This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Tr. from Alc. E. sh 26
to
~~XII~~
601. 2

Vienna. 1871.

RHETORICA

SANCTORUM PATRUM.

TOMUS II.

Toute contrefaçon de cet ouvrage sera poursuivie conformément aux lois.

Toutes mes éditions sont revêtues de ma signature.

S.-CLODOALDI. — E TYPOGRAPHEO BELIN-MANDAR.

RHETORICA

SANCTORUM PATRUM,

QUA EORUM TEMPORA,
VITA, OPERA, OPERUMQUE PRÆCIPUÆ EDITIONES, ET CONCIONANDI
MODUS, ET PRÆDICANDI PRÆCEPTA DESCRIBUNTUR,

AUCTORE

A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI.

TOMUS SECUNDUS.

Interroga Majores tuos, et dicent tibi
Deut. cap. XXXII, 7.

PARISIIS,

APUD BALLIN DE SAINT-PAUL, EDITOREM,
VIA VULGO DICTA DE SEVRES, N. 31.

MDCCCXXXVIII.

RHETORICA

SANCTORUM PATRUM

PARS II.

DE STATU ARTIS RHETORICÆ

APUD

SANCTOS PATRES.

Secundam operis nostri partem, et quidem non minimam aggressuris, primo statim ab limine *duplex*, ut ità dicam, *Rhetorica* occurrit, *una* videlicet quæ ore pronuntiata circà omne concionum genus versatur, *altera* verò quæ litteris repræsentata cunctas scriptorum species complectitur. De utrâque nunc agendum, quanquàm priori accuratiùs insistere nostri præsertim sit instituti, utpotè quæ utilior sacris Ecclesiæ ministris emergere videatur. Ità tamen de *Arte concionatoriâ* prolixiùs dice-

mus, ut hoc *faciendo*, cætera *non omittentes*[1], quædam posteà, quasi per appendicis formam, de scriptis Patrum tractatibus non injucunda, licet breviora delibemus : hic operis nostri scopus, quem duplici jam sectione obtinere curandum est.

SECTIO I.

DE RITU SACRARUM CONCIONUM APUD SANCTOS PATRES.

Ut apprimè hæc omnia cognoscantur, quæ ad *Ritum* sacrarum concionum apud Patres pertinent, plura et gravissima expendere operæ pretium est, nempè qui; quâ necessitate compulsi; quâ præparatione dispositi; quo tempore opportuni; quo loco constituti; quâ methodo directi; quibus personis collocuti; quibus tandem successibus excepti prædicaverint : quæ quidem omnia *octo capitibus* absolvemus.

[1] Matth. xxiii, 23, et Luc. xi, 42.

CAPUT I.

De iis quibus commissum fuerit concionandi munus.

I. Concionandi munus ad episcopos maximè pertinere constat tùm ex Evangelistæ verbis, qui Apostolos ad id potissimùm vocatos fuisse et electos affirmat, *ut euntes in mundum universum prædicarent Evangelium omni creaturæ*[1], tùm ex sanctorum Patrum doctrinâ simul et exemplo; qui sibi subjectos ipsi erudire in fide veritatis studuerunt, tùm ex omnibus conciliis, quorum sententiam amplexa Tridentina synodus definivit prædicationem *præcipuum esse episcoporum munus*[2].

II. Non cuilibet autem episcopo data olim concionandi facultas, sed episcopo proprio, sive, ut dicunt, ordinario uniuscujusque diœcesis, ita ut alieno pastori prohiberetur verba facere ad populum non suum, quod constitutum fuit canone synodi sextæ in Trullo, ubi dicitur: « Ne liceat episcopo in aliâ quæ ad se non pertinet civitate publicè docere; si quis autem hoc facere deprehensus fuerit, ab episcopatu desistat, et presbyteri munere fungatur[3]. » — Cujus quidem interdictionis sic rationes explicat Osius episcopus in concilio Sardicensi: « Et hoc quoque statuere debetis, ut ex aliâ civitate cùm venerit ad aliam civitatem, vel ex provinciâ suâ ad aliam provinciam, et ambitioni magis quàm devotioni serviens voluerit in aliâ civitate multo

[1] Marc. xvi, 15. — [2] Concil. Trid. Sess. v, c. 2. — [3] Synod. vi, in Trul. Can. 20.

tempore residere, (fortè enim evenit episcopum loci non esse tàm instructum, neque tàm doctum:) is qui advenit, non incipiat contemnere eum, et frequenter facere sermonem, ut dehonestet et infirmet illius personam; ne ex hâc occasione non dubitet relinquere assignatam sibi Ecclesiam et transire ad alienam [1].»

III. Quamvis autem non liceret peregrinis episcopis publicos in alienâ diœcesi sermones habere, hoc consuetudinis erat à priscis temporibus, ut venientes ab extraneâ regione pastores ad concionandum invitarentur ab ejus civitatis ad quam divertissent episcopo. Sic enim apud auctorem Constitutionum apostolicarum legitur: « Rogabis eum, ô episcope (nempè peregrinum), ut sermones habeat ad populum, ad docendum accommodatos; peregrinorum enim adhortatio et admonitio valdè accepta atque vehementer utilis esse consuevit: *Nemo enim propheta acceptus in patriâ suâ* [2].» — Hunc utique morem fuisse non semel usurpatum à beatissimis viris Gregorio Nazianzeno et Joanne metropolitano Ephesi, tradit disertis verbis Balsamon: «Magnus, inquit, in theologiâ Gregorius, cum Sasimorum esset episcopus, multos sermones legit Nazianzi, cum pater ejus in eâ civitate episcopus esset, et hoc ostenditur ex oratione, quæ sic habet: Cur solvitis ordinem laudabilem? Porrò et sapientissimus ille Ephesi metropolitanus domnus Joannes, qui instar fluvii philosophiæ fluenta effudit, et κολπωτὸς, id est, sinuosus dictus est, in eam regionem veniens, quæ illum erat sortita, cum auctoritate illius regionis antistitum publicè docuit [3].» — Idem tempore sancti Chrysostomi sæpiùs factitatum non semel testantur facundæ ejus Homiliæ, in quarum initio mentio fit venerandi cujusdam

[1] Synod. Sardic. Can. XI. — [2] Luc. IV, 24. Const. apost. lib. II, cap. 62. — [3] Balsamon.

episcopi qui plebem fuerat allocutus. Similem servatam consuetudinem reperies, sive apud S. Ambrosium[1], sive apud S. Cyrillum Alexandrinum[2], sive apud S. Petrum Chrysologum[3], sive apud S. Cæsarium Arelatensem[4]; imò et S. Gregorius Nyssenus ad Amphilochium scribens, eam ab Helladio Cæsariensi episcopo neglectam conqueritur. Extat etiam eâ de re decretum in concilio Carthaginensi quarto, his verbis conceptum: «Tàm ad verbum faciendum, quàm ad oblationem consecrandam invitentur episcopi vel presbyteri, qui causâ visitandæ ecclesiæ alterius episcopi ad ecclesiam venerint[5]. » — Piam hanc ac laudabilem priscæ religionis consuetudinem, cùm aut negligi aut intermitti non sine dolore videret S. cardinalis Carolus Borromæus, eam et facto et decreto revocatam, in ecclesiâ Mediolanensi servandam esse in posterum constituit[6].

IV. Cùm autem aliquandò contingeret, ut sive negotiis implicati, sive morbo laborantes, sive alio impedimento obstricti, per se non possent id muneris explere, per alios idipsum confici summoperè curabant episcopi. Presbyteros enim quandoque ad hanc curam quasi vicariâ operâ advocatos fuisse testis est Palladius, qui beatum Joannem Chrysostomum Antiocheni antistitis personam in concionando frequenter sustinuisse his verbis asseverat: «Agebat, inquit, episcopi vices in prædicatione verbi Dei, omniumque corda mirabili facundiâ, Scripturarum dulcedine ornatâ, ad se rapiebat[7]. » — Idem Possidius refert de sancto Augustino: « Cujus ordinator sanctus Valerius, ut erat vir pius et Deum timens, exultabat et Deo gratias agebat suas exauditas à Domino fuisse preces, quas se frequentissimè fudisse narrabat, ut sibi divinitùs homo

[1] S. Ambros. in Serm. — [2] S. Cyril. Alex. Homil. VII. — [3] S. Petr. Chrysol. Serm. CXXXVIII. — [4] S. Cæsar. Arelat. passim et sæpiùs. — [5] Concil. Carthag. IV, Can. 33. — [6] Act. Eccles. Mediol. — [7] Pallad. in Vitâ Chrysost.

concederetur talis, qui posset verbo Dei et doctrinâ salubri Ecclesiam Dei ædificare, cui se rei homo naturâ Græcus, minùsque latinâ linguâ et litteris instructus minùs utilem pervidebat. Et eidem presbytero potestatem dedit coràm se in ecclesiâ Evangelium prædicandi, ac frequentissimè tractandi, contrà usum quidem et consuetudinem Africanarum ecclesiarum; undè etiam et nonnulli episcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis ac providus in orientalibus ecclesiis id ex more fieri sciens, utilitati Ecclesiæ consulens, obtrectantium non curabat linguas, dummodò factitaretur à presbytero quod à se episcopo impleri minimè posse cernebat[1]. »

V. Diaconorum autem erat, 1° sanctorum Patrum homilias in ecclesiâ legere, ut planum fit ex concilio Vasensi secundo : « Si presbyter aliquâ infirmitate prohibente, per seipsum non potuerit prædicare, sanctorum Patrum homiliæ à diaconibus recitentur. Si enim digni sunt diacones quod Christus in Evangelio locutus est legere, quare indigni judicentur sanctorum Patrum expositiones publicè recitare[2] ? »— 2° Familiares quasdam ad populum orationes habere, ut patet ex S. Augustino ad inquisitiones Januarii : « Cùm in ecclesiâ fratres congregantur, nec est tempus sancta cantandi, nec legitur, nec disputatur, nec antistes clarâ voce deprecatur, communis oratio voce diaconi indicitur[3]. » — Quod etiam confirmatur ex eodem Augustino qui librum de Catechizandis rudibus scripsit rogatus a diacono Carthaginensi Deo-Gratias, ut illi usui esset ad Neophytos « Fidei christianæ primitiis imbuendos[4]. » 3° Solemniores etiam, licet rariùs, in ecclesiâ pronuntiare sermones quod ab initio factitatum videmus à principe diaconorum Stephano, qui Spiritu sancto afflatus publicè

[1] Possid. in Vitâ S. August. cap. 5. — [2] Concil. Vas. II, Can. 2. — [3] S. August. ad Inquisit. Januar. lib. II, Epist. 55, n. 34. — [4] De Catech. rudib. cap. I.

cum Judæis disputabat[1]. Philippus etiam unus è septem nascentis Ecclesiæ diaconis Evangelistæ nomine appellatur[2], non quod Evangelium scripserit, sed quod prædicandi obierit munus. Ad eamdem significationem referenda videntur hæc S. Pauli verba ad Ephesios dicentis *quosdam esse in Ecclesiâ evangelistas*[3], ut notat ad hunc locum S. Ambrosius. Beatissimus martyr Ignatius, in Epistolâ ad Philippenses, diaconum Philonem laudibus effert quòd sibi in sermone præclarè ministraret, eosdemque hortatur ut episcopo, et presbyteris, et diaconis verbum Dei tractantibus diligenter attendant. Cujus etiam sub nomine ad Heronem Antiochiæ diaconum scribitur : « Lectioni, attende, ut non modò ipse leges noveris, sed etiam aliis easdem interpreteris, ut Dei athleta[4].» — De Benjamin Persâ diacono prodidêrunt Theodoretus[5] et Nicephorus[6], acerbissimis eum cruciatibus ac gloriosâ tandem morte à Persarum rege ideò fuisse affectum, quòd à verbi Dei prædicatione cessare nequaquàm voluisset. Vincentius martyr, ut videtur apud S. Augustinum[7], et Gregorius Romanus, Magni posteà nomine et pontificali dignitate insignitus, asserente Joanne diacono[8], diaconatûs duntaxat ordine sublimati evangelico munere fungebantur. Notandum est tamen non semper id officii explevisse diaconos, sed urgente præsertim necessitate, ac sævientibus tyrannorum persecutionibus, cùm fideles non pauci ob christiani nominis confessionem in vinculis detinebantur. Undè sic beatus martyr Cyprianus ad Martyres et Confessores scribens : « Credideram, inquit, presbyteros et diaconos, qui illic præsentes sunt, monere vos et instruere plenissimè circà

[1] Act. VII. — [2] Id. XXI, 8. — [3] Ephes. IV. 11. — [4] Apud S. Ignat. mart., Epist. ad Her. — [5] Theodoret. Hist. Eccl., lib. V, cap. 38. — [6] Niceph. lib. XIV, cap. 20. — [7] S. August. Serm. CLXXXVIII App. de S. Vincent. n. 1. — [8] Joan. diac. in Gregor. Vitâ, lib. I, cap. 41.

Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria consiliis suis, et Scripturarum præceptis gubernarent, etc.[1] » — Hinc tyrannorum contrà diaconos rabies, quos acerbè vexare et cruciare solebant, utpotè quos apprimè scirent prædicatione continuâ jacentes Christianos erigere, confirmare nutantes et ad martyrium provocare.

VI. Licet autem sæpiùs presbyteris jure ordinario, diaconis autem singulari concessione facta fuerit prædicandi facultas, non omnibus tàm gravis momenti concedebatur licentia; lapsique præsertim et hæretici ab his quasi divinis functionibus prohibebantur. Sic enim de lapsis à Patribus in Ancyrano concilio congregatis statutum fuisse accepimus : « Presbyteri qui immolârunt, et posteà certamina sustinuêrunt, non offerant, neque concionentur, neque ministrent in sacris ministeriis. Diaconi qui immolârunt, et quos posteà tormenta vicêrunt, vacent ab omni ministerio sacro, etiam prædicandi[2]. » — Quod autem ad hæreticos attinet ità decrevit octava Constantinopolitana synodus sub Adriano II : « Bonum profectò et valdè proficuum est, sanctas et venerabiles iconas pingere, sed et proximas disciplinas divinæ ac humanæ sapientiæ docere : non autem bonum est, nec omninò proficuum, ab indignis horum aliquid fieri. Hujus rei gratiâ nequaquàm iconas operari in sacris templis, sed neque in quovis loco docere anathematizatos ab hâc sanctâ et universali synodo definimus et promulgamus, usquequò à propriâ seductione ac malitiâ convertantur. Quisquis ergò post hanc definitionem nostram ad picturæ sanctarum imaginum in ecclesiis aut doctrinæ ac-

[1] S. Cypr. Epist. XI, ad Martyr. et Confessor. — [2] Concil. Ancyr. cap. I et 2.

tionem quoquo modo eos admiserit, si quidem clericus fuerit, proprio gradu periclitetur; si verò laïcus, separetur, et divinorum mysteriorum communione privetur.» — Et iterùm : « Definivit sancta et universalis synodus, neminem ex his omnibus à nunc tale tenere vel servare chirographum, sed absque quolibet offendiculo indubitanter et intrepidè tàm docere quàm discere omnes, qui ad utrumque consistunt idonei, præter hos qui erroris inveniuntur et hæreticæ impietatis servituti redacti; hujusmodi enim certissimè et docere et discere interdicimus [1]. » — Cui quidem constitutioni non incongruè adjiciuntur Cœlestini papæ verba dicentis : « Filii nostri, inquit, Prosper et Hilarius, (tantùm nescio quibus presbyteris illìc licere, qui dissensioni christianæ studeant,) sunt apud nos prosecuti, ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adversantia veritati; sed vestræ dilectioni justiùs imputamus, quandò illi suprà vos habènt copiam disputandi. Legimus *suprà magistrum non esse discipulum* [2], hoc est, non sibi debere quemquam ad injuriam doctorum vindicare doctrinam. Quid illìc spei est, ubi magistris tacentibus, hi loquuntur, qui, si ità est, eorum discipuli non fuêrunt? Timeo ne connivere sit hoc tacere; timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis tantum loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori. Ergò corripiantur hujusmodi. Non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat, si ità res sunt, incessere novitas vetustatem; desinat ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Sciant omnes qui malè docent, quod sibi discere magis ac magis competat, quam docere; nàm quid in ecclesiis

[1] Synod. Const. VIII, Can. VI. — [2] Matth. X, 24.

vos agitis, si illi summam teneant prædicandi? Hoc tamen repetentes sæpiùs admonemus; vetentur hujusmodi qui laborant per terras, aliud quàm ille noster jussit agricola seminare. Nec tamen mirari possumus, si hæc ergà viventes tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare[1]. »

VII. Laïcis autem publicos in ecclesiâ tractatus habere minimè licitum fuisse apud antiquos Patres evidenter patebit, modò legatur Trullanæ synodi decretum, quæ ità statuendum judicavit : « Non oportet laïcum publicè disputare, vel docere, docendi auctoritatem ex eo sibi vindicantem, sed ordini à Domino tradito cedere, et aurem iis qui docendi gratiam accepêrunt, aperire, et divina ab eis doceri. In unâ enim Ecclesiâ, diversa membra fecit Deus, ut est vox Apostoli, quam apertè interpretans Gregorius Theologus, eum, qui in iis est, ordinem commendat dicens : Hunc ordinem revereamur, fratres; hunc servemus; hic quidem sit auris, ille verò lingua; hic autem manus, hic verò aliquid aliud; hic quidem doceat, ille verò discat. Et paulò post : Et discens in docilitate, et suppeditans in hilaritate, et opem ferens ac subministrans in alacritate : ne simus omnes lingua, quod est promptius; ne omnes apostoli, ne omnes prophetæ, ne omnes interpretemur. Et post quædam : Cur te ovium pastorem facis? cur caput efficeris, cùm sis pes? cur imperator esse conaris, cùm relatus sis in numerum militum? Et alibi jubet Sapientia, *ne sis velox in sermonibus*[2]*; ne, cùm sis pauper, unà cum divite extendaris, nec quæras sapientibus esse sapientior;* si quis autem præsentem canonem labefactans deprehensus fuerit, quadraginta diebus segregetur[3]. » — Illustrius autem hujus rei exemplum suppeditat beatus Leo in Epistolâ ad Maximum Antio-

[1] S. Cœlestin. pap. Epist. 1, cap. 1. — [2] Eccle. v, 1. — [3] Trullan. Syn. c. 64.

chenum episcopum scribens in hæc verba : « Illud quoque dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi jus docendi et prædicandi audeat vindicare, sive sit ille monachus, sive sit laïcus, qui alicujus scientiæ nomine glorietur, quia, etsi optandum est ut omnes Ecclesiæ filii quæ recta et sana sunt sapiant, non tamen permittendum est, ut quisquam extrà sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi prædicatoris assumat, cùm in Ecclesiâ Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore et excellentiora membra suum officium impleant, et inferiora superioribus non resultent[1]. » — Eadem repetit in Epistolâ LXIII ad Theodoretum Cypri episcopum, ex quibus colligere datur nec ipsis monachis verba facere in conventibus publicis licitum fuisse, cùm antiquitùs monachi inter laïcorum numerum deputarentur, ut signanter notant concilium Chalcedonense II et VIII, necnon et S. Hieronymus in Epistolis[2].

VIII. Non inficiendum est tamen laïcos aliquandò urgente persecutionum necessitate ab episcopis deputatos docendi munus obiisse; quod et auctoritate et exemplis probat Nicephorus iis verbis : « Cùm Cæsareæ degeret (Origenes), episcopi Palæstini, legatione quoque ad eum missâ, ei permisêre ut de sacris Litteris dissereret, et publicè eas in ecclesiâ interpretaretur, quamvis nondùm presbyterii honorem esset consecutus ; id quod comprobatur ex scriptis iis quæ Demetrius malè ergà Origenem affectus episcopis Palæstinis misit, in quibus scriptis præter alia illud erat : Nunquàm antè auditum, nunquàm factum esse, ut præsentibus episcopis laïci concionarentur; quapropter illi, et potissimùm Alexander Hie-

[1] S. Leo, Epist. LXII. — [2] S. Hieron. Epist. ad Heliodor., ad. Pammach. et ad Ripar.

rosolymitanus et Theoctistus Cæsariensis antistites, defensionem ejus rei ad eum scripserunt, non vera illum dicere asseverantes. Ubi enim, inquiunt, reperiuntur idonei homines, qui doctrinâ suâ prodesse fratribus possint, si illi sanctorum episcoporum jussu et permissione per cohortationes ad populum verba faciant, id offendiculo non est, sicuti apud Sarandos Evelpis à Neone, Iconii Paulinus à Celso, Synadæ Theodorus ab Attico, omnibus illis beatis fratribus invitati fecerunt. » — Et subdit: « Verisimile autem est, in aliis quoque locis, quod nos ignoramus, itidem esse factum [1]. » — His fundamentis insistentes summi Romanæ Ecclesiæ pontifices, justas ob causas plerisque religiosis indulsêrunt ut, licèt ad sacros ordines nondùm promoti, possent tamen publicè concionari, quemadmodùm anno 1584 Gregorius XIII factitavit, concedens id posse fieri à societatis Jesu clericis primâ duntaxat tonsurâ insignitis. Quod quidem aliis ab aliis pontificibus indultum quoque non semel in historiâ deprehendimus.

IX. Mulieribus autem publicè de religione disputare interdictum videmus tùm ab ipso Apostolo dicente: *Docere autem mulieri non permitto* [2]; et alibi: *Mulieres in ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sicut et lex dicit... Turpe enim est mulierem in ecclesiâ loqui* [3]; tùm, inter alia, à concilio Carthaginensi quarto, cujus decreto ità sancitum est: « Mulier, quamvis docta et sancta, viros in conventu docere non præsumat [4]; » — tùm à constanti Ecclesiæ praxi, quæ nunquàm mulierem pulpitum ascendere concionaturam toleravit. Hæc autem disciplinæ regula non impedit quin mater-familias, sive intrà domûs

[1] Niceph. Hist. Eccles. lib. v, cap. 14. — [2] 1 Tim. II, 12. — [3] 1 Cor. XIV, 34, 35. — [4] Burchard. lib. VIII, cap. 83, et Ivo. part. VII, cap. 101, et part. VIII, cap. 324.

suæ parietes filios servosque fidei rudimentis informet, cùm inter mulierum dotes illud quoque recenseat Apostolus, ut *sint benè docentes*[1], sive apud inscios privatis eloquiis gratiæ adjutrices existant, cùm sancti Patres præcipuèque beatus Chrysostomus semper audientibus fœminis utile inculcet propositum retenta doctrinæ argumenta absentibus recitandi ad eorum illuminandas mentes cordaquē ad Deum convertenda. Imò et superiorissas non publicè in ecclesiâ, sed privatim intrà monasterii claustra, subditas sibi virgines sanctis informare doctrinis jus habere nemo est qui negare audeat; quod et laïcæ ipsæ, quæ puellarum curam gerunt, cunctis approbantibus facere consuevêrunt.

CAPUT II.

De necessitate prædicandi pastoribus animarum impositâ.

I. Officium concionandi episcopis cæterisque animarum curam gerentibus fuisse à Christo Domino impositum perspicitur ex ipsis Pauli vocibus dicentis : *Væ mihi si non evangelizavero; necessitas enim mihi incumbit*[2]. Quibus vestigiis insistentes sancti Ecclesiæ Doctores multis tremendisque verbis confessi sunt magnum sacerdotibus impendere periculum, si concionandi munus explere neglexerint.

« Væ erit nobis, inquit Symmachus papa, qui hujus ministerii onus susceptum habemus, si veritatem Salvatoris nostri Jesu Christi, quam Apostoli prædicavêrunt,

[1] Tit. II, 3. — [2] 1 Cor. IX, 16.

prædicare neglexerimus. Væ erit nobis si silentio veritatem oppresserimus; qui christianos populos imbuere et docere jubemur. Quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonum ejus veritatem confundimur prædicare?... Ideò nos oportet semper nociva resecare et auxiliante Domino profutura erigere; undè objurgando, hortando, suadendo, blandiendo, consolando prodesse, quibus possumus, festinemus[1]. »

Eadem sed paucis iterat Nicolaus papa apud Gratianum: « Dispensatio est nobis cœlestis seminis injuncta; væ si non sparserimus; væ si tacuerimus. Quod cum electionis vas formidet et clamet, quantò magis cuilibet exiguo metuendum est[2]? »

Quibus assentiens beatus Athanasius patriarcha Constantinopolitanus: « Nisi, inquit, apertò capitè munerâ Dei perpetuò prædicaverimus, quicumque dignitate pastorali prædíti sumus, haud dubiè in manus Dei incidemus... pœnas daturi sempiternas[3]. »

« Ille, inquit, beatus Prosper, aut potiùs Julianus Pomerius in libris de Vitâ contemplativâ, ille cui dispensatio commissa est, etiamsi sanctè vivat, si tamen perditè viventes arguere aut erubescit aut metuit, cum omnibus qui eo tacente perierunt, perit[4]. »

II. Sed cætera omnia sanctorum Patrum testimonia, utpotè innumerabilia, prætermittamus, ut solùm audiamus Augustinum de impendente sibi periculo magnoperè metuentem: « Frequenter in Scripturis sacris audivit charitas vestra, fratres charissimi, in quo sint sacerdotes periculo constituti, si nolúerint implere illud quod contestatur Apostolus: *Prædica verbum; insta opportunè, impor-*

[1] Symmach. pap. in Synod. Roman. — [2] Grat. part. 1, c. 5, dist. 43. — [3] S. Athan. Const. Epist. v. — [4] Julian. Pomer. de Vit. contempl. lib. 1, cap. 21.

tunè; argue, increpa, obsecra cum omni patientiâ et doctrinâ[1]. Et quia tam grave pondus imminet cervicibus nostris, quibus dicitur : *Si non annuntiaveris impio iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tuâ requiram*[2], necesse nobis quoscumque negligentes aut secretè, aut publicè castigare[3]. » — Et alibi : « Dico vobis : libero animam meam ; in magno enim sum non periculo, sed exitio constitutus, si tacuero ; sed cùm ego dixero, et implevero officium meum, vos jàm attendite periculum vestrum. Quid autem volo ? quid desidero ? quid cupio ? quare loquor ? quare hic sedeo ? quare vivo ? nisi hâc intentione, ut cum Christo simùl vivamus. Cupiditas mea ista est, gaudium meum hoc est, possessio mea ista est. Sed si non me audieritis, et tamen ego non tacuero, animam meam liberabo, sed nolo salvus esse sine vobis[4]. .... Ideò loquor, ideò contestor, ideò non taceo, ideò vestimenta mea excutio, ideò in tribunali Dei mei excusatum me habeo. Dicam Deo meo : Domine ; non tacui ; Domine, talentum, quod mihi dedisti, non abscondi, sed erogavi[5]. .... Hæc omnia, fratres charissimi, dùm vobis paternâ pietate frequenter intimo, absolvo apud Deum conscientiam meam[6]. » — Cujus quidem officii conscientiam tàm altè infixam in cordibus habebant, ut, et voce deficientes per notarios, et communis loquelæ ignari per interpretes, et absentes etiam per epistolas plebem sibi commissam cœlestibus instruere disciplinis providerent.

III. Notariorum operâ utebatur S. Gregorius Magnus, qui, referente Joanne diacono in ipsius Vitâ, plures homilias dictavit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo, aliis pronuntiare permisit[7]. Cujus videlicet rei ido-

[1] 2 Tim. IV, 2. — [2] Ezech. III, 18. — [3] S. August. Serm. CCCLXXXVII, n. 1. — [4] Id. Serm. XVII, n. 2. — [5] Id. Serm. CCCLXXVI, n. 4. — [6] Id. Append. CCLXXII, n. 8. — [7] Joan. diacon. de Vitâ S. Gregor. lib. IV, c. 74.

neum testem invenimus ipsum Gregorium, qui in prologo ad librum quadraginta Homiliarum in Evangelio ità Secundino episcopo scribit : « Inter sacra missarum ex his quæ diebus certis in hâc ecclesiâ legi ex more solent sancti Evangelii, quadraginta lectiones exposui : et quarumdam quidem dictata expositio assistenti plebi est per notarium recitata; quarumdam verò explanationem coràm populo ipse locutus sum; atque ità ut loquebar, ità excepta est[1]. »

IV. Interpretes quoque propter vernaculi sermonis ignorantiam fuisse ab episcopis quandoque adhibitos discimus ex Theodoreto, cujus hæc sunt verba apud Cassiodorum relata : « Videns verò Chrysostomus cohortem Scythicam Arianis retibus illaqueatam, et cogitans de eorum capiendâ salute, consilium hujusmodi venationis invenit. Ejusdem namque linguæ presbyteros, diaconos atque lectores fecit, et unam eis ecclesiam dedit. Quâ occasione multos eorum cepit, cùm et ipse frequenter illùc iret et per interpretem Scythicum divinas lectiones exponeret[2]. » — Sic pastoralis charitas multiformi industriâ *omnibus omnia fieri conabatur, ut omnes faceret salvos*[3].

V. Hìnc per epistolas etiam episcopale concionandi munus non rarò fuisse olim expletum fidem faciunt ipsæ Apostolorum, quæ omnium manibus volvuntur, epistolæ, quorum exemplum imitantes sancti priorum sæculorum pontifices corruptos mores, quos præsentes per sermonem formare non poterant, per scripta absentes corrigere sæpiùs studuêrunt. Ità beatus Athanasius, qui exilio pulsus, et patris in monumento latitans, non solùm ecclesiæ sibi commissæ præclarè curam per epistolas gerebat, sed et universam Christi Ecclesiam scriptorum suorum lumine

[1] S. Gregor. Magn. prolog. ad XL. homil. — [2] Cassiodor. Tripart. Histor. lib. X, cap. 5. — [3] 1 Cor. IX, 22.

irradiabat. Ità S. Joannes Chrysostomus, qui patriâ extorris et in extremum orbis oppidum Cucusum ablegatus, *absens quidem corpore, præsens autem spiritu*[1], ignaros docere, ægrotos curare, infirmos corroborare satagebat. Ità sanctissimus vir Cyprianus, Carthaginensis Ecclesiæ martyr et episcopus, quem prodit Gregorius Nazianzenus plures ipsum solum in exilio positum per epistolas ad subeundùm martyrium induxisse, quàm cæteros omnes, qui dimicantibus corpore et voce præsentes aderant : « Tandem, inquit, in exilium actus, haudquaquàm in privatâ salute suâ vir egregius acquiescebat, aut præclarè secum agi putabat, quod vita ipsi erepta non fuisset, vel securitatem corporis potiùs hanc ignominiam, quàm animæ periculum interpretabatur, si otio et silentio indulgeret, eorumque salutem negligeret, qui gravissimo tempore periclitabantur, ut qui neminem haberent qui ipsos ad certamen erudiret animisque obfirmaret..... Proindè quamvis corpore abesset, spiritu tamen aderat, in eodemque cum his qui pugnabant certamine versabatur, et quibus linguâ opitulari non poterat, iisdem per litteras succurrebat. Aliptem enim, tametsi in exilio positus, sese præstat; cohortatorias orationes conscribens, pietatemque litterarum monumentis prodens; ac plures propemodùm solus ipse per epistolas ad subeundum martyrium induxit, quàm cæteri per se omnes, qui cum dimicantibus præstò erant[2]. »

VI. Nec etiam defuêrunt qui sermones rescripserint non à se ipsis, sed ab aliis etiam episcopis, quibus dicendi facilitas non suberat, pronuntiandos. Hoc ità de Cyrillo Alexandrino affirmat Gennadius : « Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus homilias composuit plurimas, quæ ad declamandum à Græcis episcopis memoriæ commen-

[1] 1 Cor. v, 3. — [2] S. Greg. Theol. Orat. XXIV, n. 14, 15.

davit [1]. » — Eadem etiam de Salviano narrat his verbis : « Massiliensis Ecclesiæ presbyter Salvianus scripsit scholastico et aperto sermone multa, ex quibus ista legi : De virginitatis bono, et Homilias episcopis factas multas, etc. [2] » — Quæ verba mutuatus Honorius ad litteram repetit in suo de Luminaribus Ecclesiæ libro [3]. Isidorus Pelusiota orationem scripsit Dorotheo, quæ cùm diceretur magnis fuit plausibus excepta, ut ipse testatur : « Et si, ut abs te scriptum est, oratio (quàm nimirùm Dorotheo miserat publicè pronuntiandam) plausum peperit, at etiam orationi plausus robur comparavit, quippè qui parenti adminiculi loco fuerit. At quoniam sæpenumerò usuvenit, ut plausus orationi quidem robur comparet, verùm oratoris mores inficiat ac labefactet, ad supinitatem videlicet ac socordiam eum, tanquàm porrectâ manu, ducens ; prudentiam tuam moneo, maximè quidem ut Deo, qui hujusmodi gratiam largitus est, gratiam habeas : quòd si etiam laudare vis, negas enim fieri posse, ut orationi plausus tandem non rependatur, orationem quidem arbitratu tuo laudans, ne nimias adversùm me laudes contexas, ut ne me supinum, atque ignavum reddas [4]. » — Non autem ab eo alienum est quod de Ennodio annotavit doctissimus vir Sirmondus, nempè illum Sacram secundam et Sacram tertiam ab ipso quidem elucubratam, ab alio autem fuisse recitatam, ut satis indicant inscriptiones, quarum prior sic habet : « Dictio missa Honorato episcopo Novariensi in dedicatione basilicæ Apostolorum, ubi templum fuit idolorum ; » posterior verò : « Dictio data Stephano V. S. Vicario, dicenda Maximo episcopo ; » ubi verba hæc, *Missa*, *Data*, *Dicenda* non obscurè demonstrant illas ab Ennodio compositas, ab alio autem prolatas. Cui sententiæ

[1] Gennadius de Script. eccles. c. 57. — [2] Id. ibid. cap. 67. — [3] Honor. de Lumin. Eccles. cap. 67. — [4] S. Isidor. Pelus. Epist. lib. III, epist. 382.

non parùm etiam astipulatur id quod rescriptum variis in historiis legimus de Cesario Arelatensi episcopo.

VII. Quapropter sacrosancta Tridentina synodus « Orthodoxorum patrum exempla secuta, piisque summorum pontificum et probatorum conciliorum constitutionibus inhærens ; » hæc de verbi Dei concionatoribus definivit : « Quia christianæ reipublicæ non minùs necessaria est prædicatio Evangelii quàm lectio, et hoc est præcipuum episcoporum munus, statuit et decrevit eadem sancta synodus, omnes episcopos... et alios ecclesiarum prælatos teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium. Si verò contigerit episcopos et alios prædictos legitimo detineri impedimento, juxtà formam generalis concilii viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum... Diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro suâ et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis, cum brevitate et facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant [1]. »

VIII. Imò et in sessione XXIV, jubet ut episcopi curent infantes à pastoribus quâcumque die dominicâ vel festivâ in fide et virtute institui per familiares illas quas *catechismum* vocant collationes : « Episcopi, inquit, saltem dominicis et aliis festivis diebus, pueros in singulis parochiis fidei rudimenta, et obedientiam ergà Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt ; et, si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent [2]. »

[1] Conc. Trid. sess. IV, cap. I, et sess. V, cap. I, 2. — [2] Id. sess. XXIV, cap. 4.

IX. Deniquè in eâdem sessione, c. 7, jubet ut intrà missam aliquid ex iis quæ in missâ leguntur, vel ex sanctis Scripturis vernaculâ linguâ exponatur : « Inter missarum solemnia aut divinorum celebrationem, sacra eloquia et salutis monita... singulis diebus festis vel solemnibus explanent, eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant. »

X. Caveant igitur, qui *speculatores dati sunt suprà custodiam Israël stantes, ne fiant tanquam canes muti non valentes latrare*[1]; qui sicut pastores populorum gregibus præficiuntur, ne oves sibi creditas inediâ consumi permittant; qui deniquè patrum nomine gloriantur, ne *parvulos panem* frustrà *petere* sinant, nec occurrat *qui frangat*[2] esurientibus. *O pastor, et idolum, derelinquens gregem*[3]*! Væ pastoribus Israël!..Nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis et lanis operiebamini,..gregem autem meum non pascebatis.* O qui *pascitis vosmetipsos*, et *greges* Domini *non pascitis, audite verbum Domini*: *Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum, et cessare faciam ut ultrà non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos : et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultrà eis in escam*[4].

XI. Sed potiùs talem à nobis avertat calamitatem divina misericordia; fidelibusque super oves suscitatis pastoribus, pascat eas *in montibus Israël,* quibus doctrinæ sublimitas, *in rivis*, quibus eloquentiæ copia, *in herbis* deniquè *virentibus*[5], quibus *bonus odor Christi ad vitam*[6], apprimè designantur.

[1] Isaï. LVI, 10. — [2] Thren. IV, 4. — [3] Zach. XI, 17. — [4] Ezech. XXXIV, 2, 3, 8 et 10. — [5] Ibid. 13, 14. — [6] 2 Cor. II, 15, 16.

CAPUT III.

De præparatione ad officium concionandi subeundum adhibitâ.

Cùm nemo sit qui, ad artem accedens, non priùs se repetitis exerceat conatibus, perperàm sanè leviterque ageret, qui, christianæ eloquentiæ ambitiosus æmulator, tractandam oratoriæ artis disciplinam imparatus auderet suscipere. Quod secum animo reputans sanctus Augustinus, in presbyterum Hipponensem, ad dispensandum verbum Dei quasi subitò raptus, obsecrabat Valerium, quatenùs procùl à rerum tumultu precibus studioque vacare liceret, ut idoneus posset evadere, qui imposito muneri sufficeret. Cujus verba, cùm valdè prodesse valeant, hìc partim referenda videntur : « Antè omnia peto, ut cogitet religiosa Prudentia tua nihil esse in hâc vitâ, et maximè hoc in tempore, facilius, et lætius et hominibus acceptabilius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctoriè et adulatoriè res agatur : sed nihil apud Deum miserius, et tristius, et damnabilius. Item nihil esse in hâc vitâ, et maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster imperator jubet. Quis autem iste sit modus, nec à pueritiâ, nec ab adolescentiâ meâ didici : et eo tempore quo discere cœperam vis mihi facta est, merito peccatorum meorum, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum, tenere non noveram... Et

hinc erant lacrymæ illæ quas me fundere in civitate, ordinationis meæ tempore, nonnulli fratres animadvertêrunt... Quod si non damnando, sed miserando fecit (Dominus), debeo Scripturarum ejus medicamenta omnia perscrutari, et orando ac legendo agere, ut idonea valetudo animæ meæ ad tàm periculosa negotia tribuatur : quod antè non feci, quia et tempus non habui. Tunc enim ordinatus sum, cùm de ipso vacationis tempore ad cognoscendas divinas Scripturas cogitaremus, et sic nos disponere vellemus, ut nobis otium ad hoc negotium posset esse. Et quod verum est nondùm sciebam quid mihi deesset ad tale opus, quale me nunc torquet et conterit. Quòd si propterea in re ipsâ didici quid sit homini necessarium, qui populo ministrat sacramentum et verbum Dei, ut jàm non mihi liceat assequi, quod me non habere cognovi, jubes ergò ut peream, pater Valeri? Ubi est charitas tua? Certè diligis me, certè diligis ipsam Ecclesiam, cui me sic ministrare voluisti... Tàm multa autem sunt quæ desunt instructioni meæ, ut faciliùs possim enumerare quæ habeam, quàm quæ habere desidero[1]. »—Ità sanctus Augustinus, ità omnes sancti concionatores longiori præparationi, licet jamdudùm accincti, inhiabant.

Præparatio autem *duplex*, alia *remota*, alia autem *proxima*. Præparatio *remota* ea dicitur, quâ ille qui nomen dotesque concionatoris ambit, congestis rerum divinarum notionibus, quoddam veluti armamentarium ædificat, ex quo varia sermonum jacula suo tempore depromantur; *proxima* verò quâ vir concionator ad talem vel talem sermonem publicè habendum propiùs accingitur. De utrâque seorsim disserendum.

[1] S. August. Epist. xxi, n. 1, 2, 3.

ARTICULUS I.

De præparatione remotâ.

Præparatio remota, quam sancti Patres ad concionatoris dotes acquirendas adhibuêrunt, ad quinque capita possunt revocari, scilicet facere; orare; legere; audire et meditari.

I. Quidem *facere*, secundùm exemplar divini illius Magistri, de quo in Evangelio dicitur : *Cœpit Jesus facere et docere*[1], ne fortè inciderent in illud Psalmistæ maledictum : *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* [2]; imò, quod multò magis metuendum est, *ne cùm aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficerentur* [3]. Quibus verbis perterritus Augustinus : « Videtis, inquit, fratres, cum quo tremore ista dicamus. Assumimus testamentum Dei per os nostrum, et prædicamus vobis eruditionem et justitias Dei. Et quid dicet peccatori Deus? *Ut quid tu?* Prohibet ergò prædicatores peccatores? Et ubi est illud : *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite* [4]? Ubi est illud : *Sive veritate, sive occasione Christus annuntietur*[5]? Sed hæc dicta sunt ne timeant qui audiunt, à quocumque audiant, non ut securi sint qui dicunt bona, et faciunt mala. Modò ergò, fratres, vos securi estis; si bona auditis, Deum auditis, quemlibet audiatis. Sed noluit Deus sine correptione dimittere illos qui dicunt ; ne hoc solo quòd dicunt securi sibi obdormiscant in malâ vitâ, et dicant sibi : Neque enim perdet nos Deus per quorum os voluit tanta bona dici populo suo. Imò verò audi quod dicis, quicum-

[1] Act. I, 1. — [2] Psal. XLVIII, 16. — [3] 1 Corinth. IX, 27. — [4] Matth. XXIII, 3. — [5] Philip. I, 18.

que dicis : et qui vis te audiri, prior te audi ; et dic quod dicit in alio Psalmo quidam : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem populo suo* [1]. Qualis ergò ego qui non audio quæ in me loquitur, et volo ut alii audiant quod per me loquitur? Audiam prior, audiam, maximèque *audiam quid loquitur in me Dominus Deus...* Audiam ut *castigem corpus meum, et servituti subjiciam, ne fortè aliis prædicans ipse reprobus inveniar* [2].» — Ex quibus verbis duplex veritas colligi potest, prior quidem, quod auditores non debeant intendere personam loquentis, sed Spiritum Dei qui per eum loquitur, juxtà illud ejusdem effatum : « Prædicat tibi bonus, carpe uvam de vite ; malus tibi prædicat, carpe uvam pendentem in sepe [3] ; » posterior verò quòd aliis quidem sæpiùs inutiles, sibi autem semper damnosi prædicent, qui Pharisæorum more *dicunt et non faciunt* [4] ; aliis sæpiùs inutiles, quia « nisi ardeat minister prædicans, non accendit eum cui prædicat [5] ; » sibi verò damnosi, quia si tu, *qui alium doces, te ipsum non doces : qui prædicas non furandum, furaris : qui dicis non mœchandum, mœcharis : qui abominaris idola, sacrilegium facis : qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras ; judicabit certè id quod tibi docendum contigerat legem consummans, te qui parvulorum doctor, prævaricator* tamen *legis* factus es [6]. Contemnamus igitur, et tanquàm inanem repudiamus cum Juliano Pomerio « facundiam quorumdam qui omnia quæcumque voluerint, accuratè quidem atque eleganter enuntiant : sed quamvis ornatè copiosèque disserant, tamen si docendi officium vanitate placendi magis, quàm

[1] Psal. LXXXIV, 9. — [2] S. August. Enarr. in Psal. XLIX, n. 23. — [3] Id. Serm. CI de Verb. Evang. Luc. n. 10. — [4] Matth. XXIII, 3. — [5] S. August. Enarr. in Psal. CIII, Serm. II, n. 4. — [6] Rom. II, 21 et seqq.

consulendi charitati suscipiant, non ut aliquos doceant, sed ut se doctos ostendant; nec profectum, sed plausum à suis auditoribus quærant; si totam scientiæ diligentiam transferant maledicaces ad linguam, et studiosiùs eloquentiam velint curare quàm vitam; si supercilio vanæ loquacitatis elati dicta sua magis cupiant laudari, quàm fieri; nec sint de sanctitate operis, sed de sermonis elucubrati venustate solliciti, numquid non tales meritò æramento sonanti, aut tinnienti cymbalo comparantur? qui *in modum tinnientis æramenti, vel cymbali*[1] præclara magis quæque appetunt sonare, quàm facere; nec erubescunt à se ipsis, aliter vivendo quàm prædicant, discrepare; qui, ut quoquo modo turpitudinem suæ conversationis obnubilent, honesta prædicare non cessant, non ut auditores sui eorum prædicatione proficiant, sed ut ipsi videantur curare quæ prædicant[2].» — Beatus autem Hieronymus: « Non confundant, inquit, opera tua sermonem tuum; ne cùm in Ecclesiâ loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergò hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui, pleno ventre, de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis Christi os, mens manusque concordent[3]. »

His concordat et sanctus Isidorus Hispalensis, cujus hæc sunt verba: « Tàm doctrinâ quàm vitâ clarere debet ecclesiasticus doctor; nàm doctrina sine vitâ arrogantem reddit; vita sine doctrinâ inutilem facit. Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est; ità ut quod doceat verbo, instruat exemplo: vera est enim illa doctrina, quam vivendi forma sequitur; nàm nihil turpius est, quàm si bonum, quod quisque sermone prædicat, explere opere negligat. Tunc enim prædicatio utiliter profertur, quandò

[1] 1 Cor. XIII, 1. — [2] Jul. Pomer. de Virt. et Vitiis, c. 14. — [3] S. Hier. Epist. XXXIV, ad Nepot.

efficaciter adimpletur. Unusquisque doctor et bonæ actionis, et bonæ prædicationis habere debet studium ; nàm alterum sine altero non facit perfectum : sed præcedat justus benè agere, ut sequenter possit benè docere. Omnis utilis doctor plebibus subjectis ità se præstare debet atque insistere doctrinæ, ut quantò claret verbo, tantò clarescat et merito [1]. »

Item S. Laurentius Justinianus : « Quantam, inquit, auctoritatem præstet doctrinæ vita laudabilis et experientia diuturna virtutum, insinuat mundi conversio et numerositas aggregata fidelium. Non enim per eloquentiam profunditatemque humanæ scientiæ, sed per virtutum exempla, contemptum videlicet terrenorum, voluntariam paupertatem, parcitatem victûs, vestium nuditatem, tolerantiam tormentorum, et pro salute animarum laborum perpessionem assiduam, apostoli Domini, successoresque illorum fundavêre Ecclesiam. Sanè flagrantissimum odorem sanctitatis ipsorum signis sequentibus, divinâ nihilominùs cooperante clementiâ, orbis universus christianæ religionis jugo colla subegit. Parùm profectò profuisset verborum phalerata facundia, nisi in prædicatoribus Christi concurrisset et vita. Non autem minùs ædificant bonorum operum exempla, quàm verba. Cæterùm ubi conveniunt sanctitas vitæ et veritatis prædicatio, ibi multiplex animarum exuberat fructus. Quamobrem quicumque utiliter gregi dominico præesse desiderat, priùs conversationem suam virtutibus ornatam habere studeat, sicque verbum Dei cum omni fiduciâ loquatur ad plebem [2]. »

Sanctus deniquè Bernardus : « Illius, inquit, doctoris audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. Verè turturem exhibes, si gemere doceas ; et si

[1] S. Isidor. Hispal. Sent. lib. III, cap. 35. — [2] S. Laur. Justin. de Inst. et Regim. prælat. cap. VII, n. 2.

persuadere vis, gemendo id magis, quàm declamando studeas oportebit. Exemplum sanè tùm in aliis multis, tùm vel maximè hoc in negotio, verbo efficacius est. Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, priùs tibi illud cognosceris persuasisse. Validior operis quàm oris vox. Fac ut loqueris, et non solùm me faciliùs emendas, sed te quoque non levi liberas probro [1]. »

Prædicent ergò, et confidenter soli illi prædicent quibus dici non potest : *Medice, cura te ipsum* [2], sed qui meritò dicere possunt cum Apostolo : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* [3]. Ad supplicium martyres hortetur Cyprianus, qui, non verbo tantùm sed opere potens, labores, ærumnas, pericula, exilium, mortem deniquè ipsam pro Christo mox tolerandam, veluti nobile quoddam vexillum, prætendebat. Mysteriorum fidem astruat Ecclesiæque obedientiam beatus Athanasius, quem universus suspexit orbis immaculatam hanc Christi sponsam, quam sanguinis effusione fœcundare voluisset, effusis sudoribus irrigantem. Ad castitatem virgines informet Ambrosius, qui, castitatis exemplum, cupiditates pedibus conculcatas victor superabat. Peccatores ad pœnitentiam incitet Augustinus, qui, rupto voluptatum jugo, insanientis delicta juventutis tàm largis fletibus delere assiduus conabatur. Cœlestes divini amoris delicias pius insinuet Bernardus, qui *beatam solitudinem, solam beatitudinem* anhelans procùl à mundi tumultuantis sollicitudinibus altissimæ contemplationi vacare, et intrà viscera Christi, quasi in *foraminibus petræ* [4], securus requiescere gaudebat. Omnes deniquè ad omnimodæ virtutis studium provocare non desistant, qui virtutis verè studiosi *exemplum sunt fidelium in verbo, in conversatione, in*

[1] S. Bernard. in Cant. Serm. LIX, n. 3. — [2] Luc. IV, 23. — [3] 1 Cor. XI, 1. — [4] Cant. II, 14.

charitate, in fide, in castitate [1]. *Tu ergò, ô homo Dei, sectare justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam; mansuetudinem* [2], *ut*, cùm prædicaveris, *det Dominus voci tuæ vocem virtutis* [3], *vocem revelantis condensa, vocem confringentis cedros, vocem concutientis desertum* [4].

II. *Orare.* Hoc enim primos Evangelii præcones antè omnia posuisse testatur ille Actuum locus, in quo adducuntur Apostoli convocatæ multitudini, diaconorum eligendorum causâ, dicentes: *Nos orationi, et ministerio verbi instantes erimus* [5]; ubi orationem ministerio verbi, tanquàm omnis sapientiæ fontem, præmitti maximè notandum est. Cui veritati consentiens idem Augustinus: « Justa, et sancta, et bona dicere noster ille eloquens *poterit* pietate magis orationum, quàm oratorum facultate,..ut orando pro se, ac pro illis, quos est allocuturus, sit orator antequàm dictor... Priùsquàm exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat. Cùm enim de unâquâque re, quæ secundùm fidem dilectionemque tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, et multi modi quibus dicantur ab eis, qui hæc sciunt, quis novit quid ad præsens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit ut quod oportet, et quemadmodùm oportet, dicatur à nobis, nisi in cujus manu sunt et nos et sermones nostri? Ac per hoc discat quidem omnia quæ docenda sunt, qui et nosse vult et docere, facultatemque dicendi, ut decet virum ecclesiasticum, comparet...Si enim loquitur in eis Spiritus sanctus qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non et in eis qui tradunt discentibus Christum [6]? »—Hìnc

[1] 1 Timoth. IV, 12. — [2] Id. VI, 11. — [3] Psal. LXVII, 34. — [4] Id. XVIII, 5, 7, 9. — [5] Act. VI, 4. — [6] S. August. de Doctr. christ. lib. IV, cap. 15, n. 32.

traditorum observantissimus præceptorum, quod aliis effunderet, cœleste lumen quotidianis precibus efflagitabat. Illum mihi videre videor defixis in terrâ genibus, oculisque in cœlum sublevatis, hæc vota, quæ ejus nomine alicubi prolata sunt, de cordis intimo proferentem : « O lux, quam videbat Tobias, quandò oculis clausis docebat filium suum viam vitæ [1]; lux, quam videbat Isaac, quandò caligantibus oculis exteriùs filio futura narrabat [2];.. lux, quam Jacob videbat, quandò sicut tu intùs docebas, filiis exteriùs ventura prædicebat [3]. Ecce *tenebræ sunt super faciem abyssi* mentis meæ [4]; tu es lumen : ecce caligo tenebrosa super aquas cordis mei; tu es veritas... O verbum, quod dixisti in principio : *Fiat lux, et facta est lux*;.. [5] dic etiam mihi : Fiat lux, et facta sit lux... Nàm sine tuâ luce, non est veritas, adest error; non est discretio, adest confusio ; adest ignorantia, non est scientia ; adest cæcitas, non est visio ; adest invium, non est via : adest mors, non est vita... Illuminare ergò, illuminare huic cæco tuo, qui *in tenebris et in umbrâ mortis sedet, et dirige pedes ejus in viam pacis* [6], *per quam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usquè ad domum Dei* [7], *in voce exultationis et confessionis* [8]. » — Errant igitur, si qui Apostolorum doctrinæ, et sanctorum Patrum monitis adversantes, christianæ eloquentiæ gloriam propriis viribus invadere, non autem divino auxilio obtinere posse confidant. Clamat enim Paulus : *Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans et cymbalum tinniens* [9]. Charitas autem non nisi orationis assiduitate comparatur. Hæc est enim christiana eloquentia, non

[1] Tob. IV, 2. — [2] Genes. XXVII, 28. — [3] Id. XLIX, 3. — [4] Id. I, 2. — [5] Ibid. 3. — [6] Luc. I, 79. — [7] Psal. XLI, 5. — [8] Apud S. August. Solil. c. III, n. I, 2. — [9] I Corinth. XIII, I.

quæ grandi cogitationum apparatu astruitur, non quæ verborum varietate abundat, non quæ curiosorum hominum admirationem rapit, sed quæ doctrinâ spiritum illuminat, mentemque vel divinis terroribus metuenda dejicit, vel piis benignè reficit affectibus. Quomodò autem trement auditores, si non tremat concionator? quomodò ardebunt, si frigidus torpescat? quomodò sanctis in fletibus resolventur, si lacrymas prior non effundat? Ubi verò lacrymarum fluenta? ubi charitatis ardores? ubi metûs angustiæ? si deficiat omnium bonorum mater oratio. Arripiat igitur, individuisque premat amplexibus orationem, quicumque Deo dignas, proximo utiles, sibique non infructuosas agere cupit conciones. Hanc sæpè sæpiùs oratione exquirat sapientiam, *quæ doctrix est disciplinæ Dei, et electrix operum illius; quæ scit versutias sermonum et dissolutiones argumentorum;* quâ docente, *acutus invenitur vir in judicio, et* ità *in conspectu potentium fit admirabilis*, ut *et tacentem sustineant, et loquentem respiciant, et sermocinante illo plura, manus ori suo imponant. Hæc cogitans apud se et commemorans in corde suo... adeat Dominum, et deprecetur illum, et dicat ex totis præcordiis suis: Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam;.. mitte illam de cœlis sanctis tuis, et à sede magnitudinis tuæ; ut mecum sit et mecum laboret,.. et disponam populum tuum justè, et sim dignus sedium Patris mei* [1], qui es Deus, *pro quo legatione fungor* [2] ad salutem animarum.

III. *Legere.* Quod primus insinuabat Paulus ad Timotheum scribens: *Dùm venio, attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ* [3]; quasi diceret: Si vis utiliter exhortari, si profundam eructare doctrinam, attende lec-

[1] Sap. VIII, et IX. — [2] Ephes. VI, 20. — [3] 1 Timoth. IV, 13.

tioni, sine quâ nec quod prudenter doceas, nec quod rectè exhorteris habere continget.

Lectio autem *duplex*, utpotè quæ versari possit, vel circà *profanos* auctores, vel circà auctores *christianos*.

1°. Lectio profanorum, docente S. Augustino, non est christiano concionatori penitùs respuenda : « Quisquis enim bonus verusque christianus est, Domini sui esse intelligit, ubicumque invenerit, veritatem[1].» — Quod fusiùs in eodem libro explicans sagaciter animadvertit, inter profanorum opera, multa reperiri quæ, cùm sunt superstitiosa, vel luxuriosa, vel superflua, ideò repudianda sunt et detestanda; multa verò, quæ cùm sunt utilia nec superstitione implicent, nec luxu enervent, non illicitè discuntur, si tantùm occupent, ut majoribus rebus, ad quas adipiscendas servire debent, non sunt impedimento[2]; quibus maximè annumerari possunt Historia, Dialecticè et Eloquentia.

« Quidquid enim de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur Historia, plurimùm nos adjuvat,.. cùm per olympiadas, et per consules nomina multa sæpè quærantur à nobis, et ignorantia consulatûs quo natus ést Dominus et quo passus est, nonnullos coëgerit errare ut putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Dominum...Et annorum quidem ferè triginta baptizatum esse retinemus auctoritate evangelicâ : sed posteà quot annos in hâc vitâ egerit, quanquàm textu ipso actionum ejus animadverti posset, tamen ne aliundè caligo dubitationis oriatur, de historiâ gentium collatâ cum Evangelio, liquidiùs certiùsque colligitur... De utilitate autem historiæ ut omittam Græcos, quantam noster Ambrosius quæstionem solvit calumniantibus Platonis lecto-

[1] S. August. de Doctrin. christ. lib. II, cap. XXVIII, n. 28. — [2] Ibid. cap. XXVI, n. 40.

ribus et dilectoribus, qui dicere ausi sunt omnes Domini nostri Jesu Christi sententias, quas mirari et prædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse, quoniam longè antè humanum adventum Domini Platonem fuisse, negari non potest. Nonne memoratus episcopus consideratâ historiâ gentium, cùm reperisset Platonem... profectum fuisse in Ægyptum, multò credibiliùs *ostendit* istum potiùs de litteris nostris habuisse, quæcumque bona et vera dixit, quàm de Platonis Dominum nostrum Jesum Christum, quod dementissimum est credere [1]. »

Quod autem ad dialecticam attinet, ità illam christianis prædicatoribus commendat : « Disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in Litteris sanctis sunt penetranda et dissolvenda, plurimùm valet : tantùm ibi cavenda est lidido rixandi, et puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. Sunt enim multa quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, et plerumquè ità veras imitantes, ut non solùm tardos, sed ingeniosos etiam minùs diligenter attentos decipiant. Proposuit enim quidam dicens ei cum quo loquebatur : Quod ego sum, tu non es. At ille consensit : verum enim erat ex parte, vel eo ipso quòd iste insidiosus, ille simplex erat. Tunc iste addidit : Ego autem homo sum. Hoc quoque cùm ab eo accepisset, conclusit dicens : Tu igitur non es homo. Quod genus captiosarum conclusionum Scriptura, quantùm existimo, detestatur illo loco, ubi dictum est : *Qui sophisticè loquitur, odibilis est*[2]... Sunt etiam veræ connexiones ratiocinationis falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius, cum quo agitur : quæ tamen ad hoc inferuntur à bono et docto homine, ut in iis erubescens ille, cujus errorem consequentur, eumdem relinquat errorem ; quia si in eodem manere voluerit necesse

[1] S. August. de Doctrin. christ. lib. II, c. XXVIII, n. 42. — [2] Eccli. XXVII, 23.

est etiam illa, quæ damnat, tenere cogatur. Non enim vera inferebat Apostolus, cùm diceret : *Neque Christus resurrexit ;* et illa alia : *inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra* [1], et deinceps alia quæ omninò falsa sunt, quia et Christus resurrexit, et non erat inanis prædicatio eorum qui hoc annuntiabant, nec fides eorum qui hoc crediderant; sed ista falsa verissimè connectebantur illi sententiæ, quâ dicebatur non esse resurrectionem mortuorum. Istis autem falsis repudiatis, quoniam vera erant, si mortui non resurgunt, consequens erit resurrectio mortuorum. Cùm ergò veræ sint connexiones, non solùm verarum, sed etiam falsarum sententiarum, facile est veritatem connexionum etiam in scholis illis discere, quæ præter Ecclesiam sunt. Sententiarum autem veritas in sanctis Libris ecclesiasticis investiganda est [2]. »

De præceptis tandem eloquentiæ, variisque eorum commodis ità disserit : « Sunt etiam quædam præcepta uberioris disputationis, quæ jàm eloquentia nominatur, quæ nihilominùs vera sunt, quamvis eis possint etiam falsa persuaderi: sed quia et vera possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed ea malè utentium perversitas. Nàm neque hoc ab hominibus institutum est, ut charitatis expressio conciliet auditorem, aut ut facilè, quod intendit, insinuet et brevis et aperta narratio, et varietas ejus sine fastidio teneat intentos; et cæteræ hujusmodi observationes quæ sive in falsis, sive in veris causis veræ sunt tamen, in quantum vel sciri vel credi aliquid faciunt, aut ad expetendum fugiendumve animos movent, et inventæ potiùs quòd ità se habeant, quàm ut ità se haberent institutæ. Sed hæc pars, cùm discitur, magis ut proferamus ea, quæ intellecta sunt, quàm ut intelligamus adhibenda est [3]. »

[1] 1 Cor. xv, 13, 14. — [2] S. August. de Doctrin. christ. lib. II. cap. XXX, 48, 49. — [3] Id. XXXIII, 54, 55.

Undè concludit omnia, quæ in profanorum scriptis profutura occurrunt, à christianis scriptoribus posse imò et debere usurpari. « Philosophi, inquit, si qua fortè vera et fidei nostræ accommodata dixêrunt... non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquàm injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Ægyptii non solùm idola habebant et onera gravia, quæ populus Israël detestaretur et fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et argento, et vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto, sibi potiùs tanquàm ad usum meliorem clanculò vindicavit, non auctoritate propriâ, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non benè utebantur : sic doctrinæ omnes gentilium non solùm simulata et superstitiosa figmenta gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisque nostrûm, duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari atque devitare; sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores, et quædam morum præcepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum tanquàm aurum et argentum, quod non ipsi instituêrunt, sed de quibusdam quasi metallis divinæ Providentiæ, quæ ubique infusa est, emêrunt, et quo perversè atque injuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur, cùm ab eorum miserâ societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad usum justum prædicandi Evangelii. Vestem quoque illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, quâ in hâc vitâ carere non possumus, accipere atque habere licuerit in usum convertenda christianum. Nàm quid aliud fecêrunt multi boni fideles nostri? Nonne aspicimus quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suavissimus,

et martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam?» — Taceat de vivis Augustinus, et præ modestiâ de semetipso dicere vereatur; nos autem de ipso præ admiratione tacere quî sustineamus? Quæ veterum scriptorum scientia? Quàm præclaris poëtarum carminibus, quàm excellentibus philosophorum sententiis, quàm disertis oratorum sermonibus, quàm rectis dialecticorum regulis, quàm electis historicorum narrationibus distincta variataque opera? Qualis in illo de Civitate Dei tractatu, debellatorum exuviis inimicorum onustus incedit. Cui certè, cæterisque omnibus « superstitiosa gentium consuetudo, et maximè illis temporibus, cùm Christi recutiens jugum Christianos persequebatur, disciplinas quas utiles habebat, nunquàm commodaret, si eas in usum colendi unius Dei, quo vanus idolorum cultus exscinderetur, conversum iri suspicaretur: sed dedêrunt aurum et argentum et vestem suam exeunti populo Dei de Ægypto, nescientes quemadmodùm illa quæ dabant in Christi obsequium cederent[1]. »

« Quod, ut ait Socrates, cùm Julianus tandem perspexisset, lege datâ prohibuit, ne Christiani Græcorum disciplinis imbuerentur[2]. » Timebat enim ne paganorum armis instructi, paganos faciliùs dejicerent errores, satiusque ducebat inermes quodam modo opprimere adversarios. Quam ut declinarent calamitatem, græcos lepores sibi Christianisque vindicare piâ fraude conati sunt duo illi Apollinares, de quibus ità idem habet Socrates : « Cùm uterque humaniorum disciplinarum peritiâ esset instructus: pater quidem grammaticæ, filius autem rhetoricæ; ambo plurimùm utilitatis eo tempore Christianis attulêrunt. Pater enim utpotè grammaticus artem grammaticam ad chris-

[1] S. August. de Doct. chr. lib. II, cap. XL, n. 60, 61. — [2] Socr. Hist. eccles. lib. III, cap. 16.

tianæ religionis formam composuit, et Moysis libros heroïco carmine interpretatus est. Alios prætereà veteris instrumenti libros qui historiarum more conscripti sunt, partim dactylico carmine exposuit, partim ad formam tragœdiæ personis adhibitis elaboravit, omnique numerorum genere de industriâ usus est, ne qua græcanicæ locutionis forma Christianis nova atque inaudita relinqueretur. Junior autem Apollinaris in arte dicendi valdè exercitatus, Evangelia et Apostolorum Scripta ad formam dialogorum exposuit, exemplum Platonis apud Græcos secutus[1]. » Nec certè tantam in prohibendo severitatem imperator, nec tantam in imperatoris conatus declinando curam adhibuissent Christiani, nisi omnes persuasum habuissent, quàm utilissimum fore ecclesiasticis doctoribus, si in Græcorum disciplinis, eloquentiæ et ingenii excolendi causâ, se diligenter exercerent.

Sed cùm istis penitùs carere disciplinis indecorum esset et nocivum, ità periculosum simùl et insanum iis nimiùm adhærere.

2°. Scripturæ enim sacræ lectio omni alienigenæ lectioni anteponatur necesse est; quod à sanctis Patribus semper factitatum esse ex eorum operibus evidenter constat. Audiamus sanctum Augustinum Platonicorum libros cum sacris Libris conferentem : « Non habent, inquit Deum alloquens, *exterorum* paginæ vultum pietatis hujus, lacrymas confessionis, sacrificium tuum, spiritum contribulatum, cor contritum et humiliatum, populi salutem, sponsam, civitatem, arrham Spiritûs sancti, poculum pretii nostri. Nemo ibi cantat: *Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Etenim ipse Deus meus et salutaris meus; susceptor meus, non movebor ampliùs*[2]. Nemo ibi audit vocantem : *Venite ad me qui*

[1] Socr. Hist. eccles. lib. III, cap. 16. — [2] Psal. LXI, 2, 3.

laboratis[1]... Itaquè avidissimè arripui venerabilem stylum Spiritûs sancti[2].»—Nec minùs sacræ Scripturæ studiosus Bernardus, in cujus Vitâ refert Guilielmus, abbas sancti Theodorici Rhemensis, eum « canonicas Scripturas simpliciter et seriatim libentiùs ac sæpiùs legere solitum; » undè factum est « quòd plenus Spiritu, quo omnis sancta Scriptura est divinitùs inspirata, tàm utiliter ejus verbis usus fuerit *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum*[3].» Imò quòd, « dùm prædicat verbum Dei, quidquid de eâ affert in medium, sic patens et placens afficiat, ut mirentur omnes in verbis gratiæ quæ procedunt de ore ejus[4].»—Idem sentiebat sanctus Ambrosius, Augustini magister et apostolus : « Athleta, inquit, nisi exercitio palæstræ priùs fuerit assuefactus, non audet subire certamen. Ungamus igitur oleo lectionis, nostræ mentis lacertos. Sit nobis totâ die ac nocte exercitii usus in quâdam cœlestium Scripturarum palæstrâ, artusque animorum nostrorum salubris spiritualium ferculorum esca confirmet[5]... Tu ergò ede Scripturarum cœlestium cibos, et ede ut permaneant tibi in vitam æternam, et ede quotidiè ut non esurias, ede ut replearis, ede ut verborum cœlestium eructes saginam[6].» —Beatum verò Hieronymum consultò prætermisimus, quem nemo nescit, totius vitæ decursu, legendis interpretandisque Scripturis incubuisse, et cujus hæc notissima verba in omnium ore versantur: « Tenenti codicem somnus obrepat et cadentem faciem pagina sancta suscipiat[7]. » Imò et plura referre exempla, omninò supervacaneum, cùm testentur cuncta veterum opera, Scripturarum locutionibus redundantia, quàm familiare

[1] Matth. xi, 28. — [2] S. August. Confess. lib. viii, cap. xxi, n. 27. — [3] 2 Tim. iii, 16. — [4] Guilielm. Vit. S. Bernard. c. iv, n. 24. — [5] S. Ambr. in Psal. cxviii, Serm. xii, n. 28. — [6] Id. Ibid. Serm. xxii, n. 19. — [7] S. Hieron. Epist. ad Eustoch.

Prophetis et Apostolis extiterint. Hinc « ne cœlestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summâ liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, statuit et decrevit Ecclesia, quòd sacræ Scripturæ expositio, interpretatio et lectio in omnibus diœcesibus haberentur[1]. » Nec mirum si tanto studio, et ipsi pervolvere doctores, et aliis commendare curaverint sancti Spiritûs oracula, cùm aliundè nec fidei dogmata, nec morum regulas hauriri posse meritò arbitrarentur : quod cùm sanctus Augustinus, sive potiùs ignotus auctor Sermonum ad fratres in eremo elegantissimè exposuerit, non injucundum fore putavi, si propria ipsius verba fusiùs exscriberem :

« Legite ergò, fratres mei, Scripturam sacram, legite eam, ne cæci sitis et duces cæcorum. Legite sacram Scripturam in quâ quid tenendum, quid fugiendum, planè invenietis. Legite eam quia omni melle dulcior, omni pane suavior, omni vino hilarior invenitur. Apprehendite eam, et invenietis quomodò Deus deorum sit longitudo propter æternitatem, quomodò sit latitudo propter charitatem, quomodò sit sublimitas propter majestatem, quomodò sit profundum propter sapientiæ immensitatem. Quærite Scripturam sacram, et invenietis quomodò iste Deus deorum natus ex Mariâ Virgine et homo factus nos amat ut charitas, quomodò novit ut veritas, quomodò sedet ut æquitas, quomodò dominatur ut majestas. Legite Scripturam sacram, et invenietis quomodò Nazarenus ille regit ut principium, quomodò tuetur ut salus, quomodò operatur ut virtus, quomodò revelatur ut lux, quomodò assistit ut pietas : et ideò, fratres mei, quandiù in hac infirmâ et vanâ vitâ fuerimus, hanc sapientiam discere et sapere totâ mente curemus. Quid enim homo sine litteris reputatur? Quid enim est? numquid non pecus vel

[1] Concil. Trid. sess. v, cap. 1.

hœdus? numquid non bos vel asinus? Eia igitur, fratres, qui pastores rationalium ovium nuncupamini, festinate rapere non sophismata paganorum, non carmina poëtarum, non fallacias philosophorum, de quibus doctores et auditores reddituri sunt rationem, sed illam dulcissimam sapientiam sapientiarum, quæ hæreditas Dei et filiorum ejus chara possessio nuncupatur. Hæc est illa doctrina super omnia diligenda, quam Prophetæ prædixêrunt, quam Patriarchæ divinitùs hausêrunt, quàm Dei Filius, postquàm in terris visus et cum hominibus conversatus est, aperuit et declaravit, et quid tenendum et quid vitandum apertissimè demonstravit, et per suos Apostolos nos ipsam docendo illuminavit. Hæc est mater fidelium, quæ quotidiè docet nos quomodò credamus Deum esse omnipotentem, quomodò ipsum videbimus in sede majestatis venientem, quomodò bonis bona et mala malis tribuentem videbimus. Hæc est lucerna pedum nostrorum et via salutis nostræ, in quâ instruimur quomodò primò Deum super omnia diligamus, quomodò animam nostram postmodùm sicut quid propinquius, quomodò postmodùm animam proximi, quomodò postmodùm corpus proprium, quomodò postmodùm corpus proximi velut nostrum diligamus. Iste est enim perfectus modus, Deum, nos et proximum diligendi. Hæc est illa sacra sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiit, philosophis, sophisticis, astrologis curiosis et dialecticis abscondita, sed grossis, rudibus piscatoribus revelata. Numquid non et hodiè etiam solùm parvulis revelatur? Hæc est omnium sapientiarum et doctrinarum magistra et domina quæ etiam nos docet exteriùs blandos et interiùs fraudulentos cognoscere. Hæc est scientia scientiarum, Angelorum ferculum, Archangelorum pulmentum, Apostolorum gloria, Patriarcharum fiducia, Prophetarum spes, Martyrum corona, Virginum fortitudo, monachorum refectio, epis-

coporum vocatio, sacerdotum cellarium, puerorum principium, viduarum doctrina, conjugatorum pulchritudo, mortuorum resurrectio, viventium sempiterna protectio. Hæc est per quam fide ornamur, spe confirmamur et charitate roboramur. Hæc est quam qui iuvenerit, inveniet vitam et hauriet salutem à Domino. Hæc est labrum pelvis quam Moyses posuit in tabernaculo, in quo lavarentur Aaron et filii ejus cùm ingrederentur Sancta sanctorum... Hæc est quæ præcipuè in Deum provocat et Deum diligere invitat, corda illuminat, linguam purificat, conscientiam probat, animam sanctificat, fidem confirmat, diabolum rejicit, peccatum spernit, animas frigidas calefacit, lumen scientiæ ostendit, tenebras ignorantiæ expellit, tristitiam sæculi extinguit, lætitiam Spiritûs sancti accéndit, sitienti potum tribuit. Hæc est Scriptura sancta lex nostra immaculata, quæ de insipientibus sapientes facit, primos de novissimis ponit, magnos de minimis efficit, nobiles de ignobilibus commutat, naturam frenat, prohibet levitatem, temperat dolorem, confert spem, coronat senem, docet juvenem, mitigat dedignantes, instruit errantes, sanat ægrotos, roborat infirmos, brutos facit sensatos, mentis stabilitatem donat, excitat somnolentos, otiosos increpat, pigros incitat, credentibus gratiam dat, reges humiliat, humiles exaltat, rectas vias indicat, eleemosynam imperat. Hæc est scientia scientiarum quæ sapientiam dat, gloriam exaltat, honorem multiplicat, humilitatem, charitatem, lenitatem, obedientiam et mansuetudinem docet, et intellectus bonus est omnibus benefacientibus et diligentibus Deum. Hæc est quæ abstinentiam, castitatem, largitatem et voluntariam paupertatem conservat. Postremò doctrinam omnibus, felicitatem, suavitatem, gaudia, stabilitatem cordis, sobrietatem corporis, compunctionem mentis, veram humilitatem donat, charitatem fraternam implet

et timorem Domini accendit. Quamobrem, fratres mei, qui hanc sapientiam diligit et diligenter legem implet, maximus vocabitur in regno cœlorum, et principatum Ecclesiæ possidebit et præmia, et munera copiosa recipiet in die novissimo [1]. »

Nec dissentit sanctus Joannes Chrysostomus, qui sic omnibus fidelibus, quantò magis autem concionatoribus, lectionem sacræ Scripturæ commendat : « Est spirituale pratum, ac deliciarum paradisus sacrarum lectio Scripturarum, et paradisus deliciarum multò illo melior paradiso. Hunc paradisum non in terrâ, sed in fidelium animabus plantavit Deus : hunc paradisum non in Eden, nec ad Orientem uno circumscriptum loco posuit, sed ubique terrarum expandit, et in fines orbis terrarum extendit. Atque ut intelligas in universum orbem terrarum expansas esse Scripturas, audi Prophetam dicentem : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* [2]. Sive ad Indos te conferas, quos oriens primos sol respicit ; sive ad Oceanum te conferas, sive ad Britannicas illas insulas, sive in Euxinum Pontum naviges ; sive ad Australes partes abeas, omnes ubique audies de iis quæ in Scripturâ sunt philosophantes, aliâ quidem voce, sed non aliâ fide ; ac linguâ quidem diversâ, sed mente consonâ. Nam linguæ quidem sono differunt, religionis autem modo non differunt : et linguâ quidem barbarè loquuntur, sed animi sensu philosophantur : solœcismos faciunt sono, sed pietatem moribus colunt. Vides amplitudinem paradisi ad fines orbis terrarum extensi ? Hìc serpens non est, locus est à feris immunis, ac Spiritûs sancti gratiâ munitur. Habet et fontem hic paradisus, quemadmodùm ille, fontem ex quo innumera nas-

[1] Apud S. August. Serm. XXXVIII, ad fratres in Erem. — [2] Psal. XVIII, 5, et Rom. X, 18.

cuntur flumina, non quatuor tantùm. Non enim Tigrim, nec Euphraten, nec Ægyptium Nilum, nec Indum Gangem, sed innumeros fons iste fluvios effundit. Quis hoc dicit? Deus ipse, qui fluvios nobis istos largitus est : *Qui enim credit in me,* inquit, *sicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ* [1]. Vides ut non quatuor flumina, sed infinita ab illo fonte profluant? Neque verò multitudine tantùm, sed etiam naturâ fons est mirabilis. Neque enim aquæ fluenta sunt, sed Spiritûs dona. Fons iste in singulas fidelium mentes dividitur, et non minuitur : dividitur, et non consumitur : dispertitur, et minor non fit ; apud omnes integer, et in singulis integer. Talia namque sunt Spiritûs dona. Vis tu fluentorum istorum ubertatem cognoscere? vis aquarum naturam cognoscere, quo pacto his non similes, sed his meliores sunt, et mirabiliores? Audi rursùs Christum ipsum Samaritanæ dicentem, ut ubertatem fontis agnoscas : *Aqua, quam ego dabo,* inquit, fideli, *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* [2]. Non dixit, *exeuntis,* non dixit, *effusæ,* sed *salientis,* per saltus abundantiam nobis exprimens. Illæ fontanæ solent aquæ prosilire, atque undiquè erumpere, quas continere sinu fontes nequeunt, sed fluctûs frequentiâ victi undiquè illas scaturientes effundunt. Cùm igitur laticum copiam vellet indicare, *salientis* dixit, non, *exeuntis.* Vis etiam naturam ejus cognoscere? ex usu cognosce. Non enim ad vitam præsentem, sed ad vitam æternam est utilis. In hoc igitur paradiso versemur : assideamus fonti, ne nobis accidat id quod Adamo accidit, et paradiso excidamus ; ne perniciosum consilium admittamus, ne diaboli fraudem suscipiamus ; maneamus intùs ; quippè multa indè securitas : in lectione Scripturæ istius permaneamus. Ut enim ii, qui fonti assident, et aurâ illâ fruun-

[1] Joan. VII, 38. — [2] Joan. IV, 14.

tur, et æstu ingruente faciem frequenter immergunt laticibus, æstivum calorem depellunt et sitis, quâ vexantur, malo medentur, dùm illis de propinquo fonte remedium suppetit : sic qui sacrarum fonti Scripturarum assidet, sive nefariæ libidinis æstu cruciari se sentiat, cùm animam laticibus illis perfuderit, facilè flammam repellit : sive fervida infestet iracundia, quæ tanquàm succensum lebetem cor inflammat, si modicum aquæ instillet, confestim iræ importunitatem compescet : et ex omnibus pravis cogitationibus animam tanquàm ex mediâ flammâ eripiet sacrarum lectio Scripturarum.

» Quam ob causam etiam magnus ille propheta David, cùm probè sciret, quanta ex lectione Scripturæ manet utilitas, eum, qui Scripturis perpetuò sit intentus, et earum colloquio fruatur, cum plantâ comparat quæ semper floreat, juxtà rivos aquarum sita, dùm ità loquitur : *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in viâ peccatorum non stetit, et in cathedrâ pestilentiæ non sedit : sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte : et erit tanquàm lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum*[1]. Ut enim lignum illud secùs aquarum decursus plantatum, ex juxtà rivos situm, dùm perenni aquarum copiâ irrigatur, nullâ intemperie aëris lædi potest, et neque solis radios acriùs incalescentes reformidat, neque graviori æstu sævientem aërem pertimescit; cùm enim inclusum in se sufficientem humorem habeat, omnem radii solaris exteriùs ingruentem ardorem statim depellit ac discutit : sic etiam anima, quæ juxtà sacrarum rivos Scripturarum sedet, ac perpetuò rigatur, dùm latices illos, roremque Spiritûs in semetipsâ colligit, omnibus rerum humanarum incommodis resistet invicta; sive morbus, sive contumelia,

[1] Psal. 1, 1-3.

sive calumnia, sive vituperia, sive scommata, sive pigritia quævis, sive cuncta mundi mala in ejusmodi animam impetum faciant, facilè perturbationum incendium propulsabit, cùm sufficienti lectionis Scripturæ solatio roboretur. Nàm neque gloriæ magnitudo, neque potentiæ majestas, nec amicorum præsentia, nec aliud quidquam ex rebus humanis animum adeò tristitiâ confectum solari poterit, ac sacrarum lectio Scripturarum. Quid ità? Quòd illa quidem caduca sint, et interitui obnoxia, quam ob causam et obnoxium interitui est ipsorum solatium : at lectio Scripturæ colloquium est cum Deo. Quandò igitur eum, qui tristitiâ sit affectus, consolatur Deus, quid ex rebus creatis ipsum in mœrorem potest conjicere? Lectioni ergò simus intenti, non duas tantùm has horas; non enim ad securitatem sufficit hæc auditio nuda; sed perpetuò : quisque domum reversus libros Sacros in manus sumat, et eorum quæ dicta sunt sensus percurrat, siquidem perpetuam et sufficientem utilitatem percipere cupiat ex Scripturâ. Nàm et lignum illud juxtà rivos situm non ad duas et tres horas cum aquis versatur, sed omni die omnique nocte. Propterea foliis vernat, propterea fructu gravatur lignum illud, licèt nullus ex hominibus illud irriget : quoniam juxtà rivos est consitum, radicibus humorem attrahit, et quasi per meatus quosdam in totum corpus utilitatem transfundit : sic et is qui Scripturas sacras assiduè legit, et juxtà rivos illarum residet, licèt neminem habeat qui interpretetur, frequenti lectione, quasi radicibus quibusdam utilitatem haurit[1]. »

3°. Non autem « in primo tantùm originis suæ fonte » veritatem investigare satis habebant, sed « sanctos et orthodoxos earum expositores humiliter » exemplo sancti

[1] S. Chrys. in princip. Actor. Serm. III, n. 1, 2.

Bernardi legentes[1], eorum sensibus suos sensus subjiciebant informandos. Cujus lectionis utilitatem ità exposuit Gillebertus abbas, sancti Bernardi discipulus, *in Cantica:* « Sacri scriptores, ac si quidam custodes civitatis sanctæ Jerusalem (quæ est Ecclesia), varios animorum investigant affectus, et inveniunt singulorum passiones, bonos mores et morbum quo quisque laborat; nullius vel cogitatio non invenitur ab illis. Quotiès illa lego, quasi inventum me et deprehensum puto. Illa me exhortationum jaculis feriunt; illa vulnerant, dùm quod integrum arbitrabar, saucium esse convincunt. Illa simulationis tollunt velamen, ignorantiæ vel oblivionis involucrum, falsæ pallium gloriæ... Jàm minùs in me in quo glorier, minùs in quo quiescam inveniens, amoris in dilectum facibus inardesco[2].» —Adde quod in sanctis Patribus, si facta *historici* narraverint, occurrit variorum Ecclesiæ prælìorum victoriarumque cognitio; si mysteria *dogmatici* propugnaverint, habetur doctrinæ catholicæ fidelis expositio; si morum disciplinam *mystici* instituerint, multiplicis fulget antè oculos quasi speculum virtutis; si deniquè scribendis sermonibus *concionatores* operam dederint, christianæ coruscat eloquentiæ perfectissimum exemplar. Veterum scripta vetus ipse legerat Chrysostomus, qui Athanasii Basiliique in operibus meminit; legerat et Augustinus, qui ejusdem Athanasii, necnon et Cypriani, et plurimorum aliorum dictis dogmata Ecclesiæ sæpè sæpiùs confirmat; legerant omnes sancti Doctores, non solùm antecessorum suorum, sed et coævorum celeberrima scripta, ut patet beatorum Hieronymi Augustinique exemplo, qui doctis mutuisque epistolis, inventas, sancto velut commercio, secùm invicem communicabant divitias. Legamus et nos,

[1] Guilielm. in Bern. Vit. c. IV, n. 24. — [2] S. Gillebert. in Cant. Serm. XLV, n. 2.

et assiduâ lectione perfodiamus altissimum illum sacræ doctrinæ thesaurum, quo effosso, ignaros docere, et doctos confirmare, ægros sanare, et sanatos custodire, errantes revocare, et revocatos diligere, rebelles demùm victricibus tales dejicere, et dejectos fortè divinâ annuente misericordiâ, meliùs erigere valeamus.

IV. *Audire.* Eloquentia enim spirante faciliùs exemplo quàm frigidis discitur præceptis, nec minùs Demosthenes Platonem Isæumque audiendo, quàm Isocratem Thucydidemque legendo profecisse non immeritò crediderim. Sic et Tullius apud Romanos, cùm jàm nascente facundiâ omnium animos in suî admirationem convertisset, Athenas profectus est græcos oratores auditurus, quorum veluti formam in sermonibus exprimeret. Sic, ut de nostris loquar, et Paulus à Gamaliele, et Marcus à Paulo, et Polycarpus à Joanne, non solùm quid loquerentur, sed quomodò loquerentur didicêrunt. Prompta est omnibus celebris illa sancti Irænei ad Florinum epistola, quâ suam in auscultando Polycarpo diligentiam commemorat : « Ea, inquit, quæ tunc temporis gesta sunt, meliùs memoriâ teneo, quàm illa quæ nuper accidêrunt : adeò ut et locum ipsum possem dicere in quo beatus Polycarpus sedens disserebat, processus quoque ejus et ingressus, vitæque totius formam, et corporis speciem ; sermones deniquè quos ad populum habebat ; et familiarem consuetudinem quæ illi cum Joanne, ut narrabat, et cum reliquis qui Dominum vidissent intercesserat ; et qualiter dicta illorum commemorabat, et quæcumque de Domino ab iisdem audierat,.. in omnibus cum Scripturis consentiens. Hæc ego divinâ mihi largiente misericordiâ tunc studiosiùs audiebam, non in chartâ, sed in corde meo audita describens [1]. »

[1] Euseb. Hist. eccl. lib. v, cap. 20.

Accedit etiam Augustini nondùm conversi, sed humanis laudibus inhiantis ergà beatum Ambrosium reverentia, quam ità ipse in Confessionum libris adumbrare conatus est : « Veni Mediolanum ad Ambrosium episcopum in optimis notum orbi terræ, pium cultorem tuum, ô Domine, cujus tunc eloquia strenuè ministrabant adipem frumenti tui, et lætitiam olei, et sobriam vini ebrietatem populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te nesciens, ut per eum ad te sciens ducerer. Suscepit me paternè ille homo Dei, et peregrinationem meam satis episcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi, primò quidem non tanquàm doctorem veri, sed tanquàm hominem benignum in me. Et studiosè audiebam disputantem in populo, non intentione quâ debui, sed quasi explorans ejus facundiam, utrùm conveniret famæ suæ, an major minorve proflueret quàm prædicabatur ; et verbis ejus suspendebar intentus, rerum autem incuriosus et contemptor astabam ; et delectabar suavitate sermonis, quanquàm eruditioris, minùs tamen hilarescentis atque mulcentis quàm Fausti erat, quod attinet ad dicendi modum[1]. » — Audiebat ergò Ambrosium prædicantem Augustinus eloquentiæ causâ, Faustumque, cujus facundiam cum Ambrosii comparat sermonibus, perorantem audire priùs studuerat. Dùm autem Augustinus Ambrosium, dùm Libanium Chrysostomus, dùm Gregorius Theologus Proæresium, « cui regi eloquentiæ regina rerum Roma[2] » statuam dedicaverat, longis itineribus emensis, marique aliquandò superato, magistros quærere non abnuerent, quis non miraretur juniores artis oratoriæ tyrones, vix primis imbutos fidei principiis, vix primis edoctos eloquentiæ præceptis, vix sacros ad numerum Libros recensere capaces, vix sanctorum nomina Patrum memoriâ retinentes, vix coætaneos oratores præ

[1] S. August. Confess. lib. v, cap. xiii, n. 23. — [2] Vit. Gregor.

vanâ virium confidentiâ audire aliquoties dignati, christiana imperterritos rostra conscendere, nec quo vocis tenore, nec quo vultûs situ, nec quibus oculorum nutibus, nec quo brachiorum motu sermonem animare valeant minimè cognoscentes?

V. Nec legere, nec audire satis, nisi audita et perlecta prudens discernat digeratque meditatio, ne fiat in malè gravatâ mente, juxtà Poëtæ carmen :

> . . . . . Rudis indigestaque moles,
> Nec quidquam, nisi pondus iners, congestaque eodem
> Non benè junctarum discordia semina rerum [1].

Hinc Apostolus, ad Timotheum scribens, postquàm ad lectionem doctrinamque discipulum incitavit, altè cogitantis animi necessitatem etiam inculcat dicens : *Hæc meditare, in his esto*[2]. Quod optimè intellexerat Ambrosius, qui, sancto narrante Augustino « quandò non erat cum catervis negotiosorum hominum, quorum necessitatibus inserviebat, *ità* lectione reficiebat animum, *ut*, dùm legeret, oculi ducerentur per paginas, et cor intellectum rimaretur, vox autem et lingua quiescerent... Sic enim, addit beatus Doctor, legentem vidimus tacitè, et aliter nunquàm : sedentesque in diuturno silentio (quis enim tàm intento esse oneri auderet?) discedebamus[3]. » — In Verecundi domum secessit ipse Augustinus meditationi vacaturus, antequàm populos docere, religionisque mysteria profundis sermonibus evolvere attentaret. Quatuor in eremo, duos autem in speluncis annos tacitus cogitansque priùs traduxit Chrysostomus, quàm præclaras illas scriberet Homilias, abditorumque è medio saxorum processit limpidum et exundans eloquentiæ flumen, quo totum terrarum orbem longè latèque irrigavit. Nunc autem

[1] Ovid. Metam. lib. I. — [2] 1 Tim. IV, 15. — [3] S. August. Confess. lib. VI, cap. I, n. 3.

desolatione desolata est omnis terra, quia nemo est etiam inter sacerdotes *qui recogitet corde*[1], *proferensque de thesauro suo nova et vetera*[2], *mittat tanquàm imbres eloquia sapientiæ*[3], *et fiat fons aquæ salientis in vitam æternam*[4].

ARTICULUS II.

De præparatione proximâ.

Præparatio proxima in scribendo dictandove communiter versabatur, licet interdùm, cùm rerum locorumque circumstantiis compellerentur, sacri Doctores ex tempore concionari minimè reformidarent.

I. Scriptas dictatasve fuisse omnium veterum, Demosthenis scilicet, et Æschini, et Ciceronis orationes nemo est qui nesciat. Cogitatas pariter et elucubratas fuisse christianorum Doctorum plurimas conciones, non probandum est, sed agnoscendum. Quicumque enim oculos conjecerit in sanctorum Patrum, Gregorii præsertim Nazianzeni, vel Nysseni, item et Basilii, et Athanasii, et Chrysostomi, et Ambrosii, et Leonis, sive orationes, sive homilias, sive sermones, is certè, vel me tacente, cognoscet eas curâ et vigiliis fuisse elaboratas, utpotè omnibus sententiarum atque verborum luminibus distinctas. Hoc à Gregorio Magno factum colligi potest ex his quæ anteà diximus, quod aliis ejusdem verbis expressiùs declaratum reperitur in Homiliâ XXI : « Multis, ait, vobis lectionibus, fratres charissimi, per dictatum loqui consuevi, sed quia lassescente stomacho, ea, quæ dictaveram legere ipse non possum,.. à memetipso exigere volo contrà meum morem, ut inter sacra missarum solemnia lectionem sancti

[1] Jerem. XII, 11. — [2] Matth. XIII, 52. — [3] Eccli. XXXIX, 9. — [4] Joan. IV, 14.

Evangelii, non dictando sed colloquendo edisseram [1]: » — Idem de sancto Augustino, sivè, ut alii volunt, de sancto Fulgentio constat ex primis illis ad auditores verbis : « Quoniàm video nostras disputationes graphio cerâque ligari, et nequaquàm sumus idonei lectitare, adjuvate me ipsum, quæso, intercessu vestro [2]. » — Cur enim hanc vocem *lectitare* usurpasset orator, nisi interdùm conciones de scripto recitarentur ? Illud autem certiùs evadet ex eo quòd tanquàm factum notatu dignum à plurimis scriptoribus referatur, qui et quandò extemporales habuerint orationes. Quæ sit autem hujus consuetudinis utilitas apud Gillebertum abbatem invenies : « Bonum est si dicantur verba, sed nihilominùs bonum est si scribantur verba. Volat enim irrevocabile verbum, nisi scripto mandetur. Scriptura verbum et stabile facit et visibile ; mandatum paginæ reposcetur, cùm voles. Bonus depositarius est liber, integrè quod acceperit resignans ; cùm voles, sumes ; ubi voles, leges ; quandiù voles, moraberis. Scriptura memoriæ reparatrix est, quia verbi repræsentatrix est. Tutò verbi medicamenta illic condis ; servantur illæsa... Absit à me hoc dicere : Qui primò audit verbi utilitatem capiat, ad posteros et longè positos non pertingat ; ubi primò sonat, ibi suffocetur : exhauriatur ejus commoditas auditu primo, æterno prematur silentio... Ergò, quod quidem fatendum est, magna texendi verbi salutaris utilitas [3]. » — Utilitas quidem tùm ex parte sermonis, qui meliùs ordinatâ sententiarum verborumque serie contextus procedet ; tùm ex parte docendorum, qui, mortuum corpore, spiritu vero adhùc in libris spirantem, non per aliquot horas, sed per innumeras ætates, non in coarctato brevioris templi angulo, sed per universas ter-

[1] S. Gregor. Magn. Homil. XXI, n. 1. — [2] S. Aug. Serm. CCXVII, App. n. 1. — [3] S. Gillebert. in Operib. S. Bernard. in Cant. Serm. XLVII, n. 2.

ras, concionatorem auscultare poterunt; tùm deniquè ex parte ipsius prædicantis, qui servatis priùs excogitatis, vel inventa in memoriam labore multo revocare, vel nova quotidiè multiplici operosoque partu in lucem prodere non cogetur.

II. Ità tamen scribendi dictandive consuetudinem usurpare solebant sacri Doctores, ut pro rerum adjunctis sine studio et ex tempore dicere non timerent. Hanc autem dicendi audaciam pauci scriptores profani attentâsse videntur, inter quos primus Gorgias Leontinus, quem antè omnes subitæ ac fortuitæ orationis fontem aperuisse auctor est Cicero cùm ait : « Ausum hunc primum in conventu poscere quæstionem, id est, liberè dicere, quâ de re quis vellet audire[1]. » — Divina porrò appellata fuit hæc dicendi facultas, ut est apud Philostratum in Æschino, quòd suprà mortalitatem esse quodam modo videretur, qui posset appositè dicere ex tempore. Rectè igitur dictum à Quintiliano, « maximum studiorum fructum esse ac veluti præmium quoddam longi laboris, extemporalem hanc dicendi facultatem[2]. »

Quod autem ad Doctores christianos attinet, primus emicat Origenes, quem prodidit Eusebius assiduâ exercitatione, longoque usu tantam in concionando fiduciam consecutum, eamque vim, copiam et facultatem orationis adeptum, ut et publicè magnâ omnium admiratione diceret ex tempore, et pateretur etiam excipi à notariis, quæ hoc modo profuderat. « Quo tempore, ait Eusebius, sexagesimum agens Origenes ætatis annum, posteaquàm et usu, et periculis, et laboribus plurimùm fiduciæ in verbo Dei acceperat, permisisse fertur ea, quæ ex tempore in ecclesiis disserebat à notariis excipi; nec antè unquàm dedisse hanc copiam, nisi cùm id sibi et vitæ gravitas, et

[1] Cicer. lib. 1, de Orat. et 11 de Finib. — [2] Quint. lib. x, cap. 7.

ætatis maturitas, et multæ experientiæ concessit auctoritas [1]. »

Cyrillum etiam Hierosolymitanum scribendi consuetudinem sæpiùs neglexisse, atque adeò illa dixisse quæ tunc primò *Spiritus dabat eloqui illi* [2], ex eo facilè intelligimus, quòd omnes penè ejus catecheses, extemporaneæ, seu ex tempore dictæ ità inscribuntur : « Sancti patris nostri Cyrilli archiepiscopi Hierosolymorum catechesis prima, seu institutio illuminatorum Hierosolymis *extemporanea*, introductoria ad baptismum. » — Quam formam iisdem penè verbis retinent omnes fermè aliarum ejusdem catecheseôn inscriptiones.

Beatissimum quoque Chrysostomum non semper meditatum accessisse ad dicendum, præterquàm quòd satis indicant plures ipsius homiliæ, in quibus multa respondent iis quæ casus fortuitus, aut tempus præter expectationem dabat, veluti solito frequentior alacriorque populi conventus, indecora plebis acclamatio, aliudve simile, (id quod non semel Augustino etiam accidisse testatur in ejus Vitâ Possidius;) ex eo prætereà liquet quòd ità refert Socrates : « Joanni nuntiatum fuit imperatricem Eudoxiam Epiphanium contrà illum armâsse. Ille, utpotè naturâ paulò ardentior, et in dicendo exercitatus promptusque sine morâ apud populum concionem, quâ omnes mulieres acerbè exagitabat, pro suggesto habuit [3]. » — Eumdem Chrysostomum ab exilio revocatum, et in episcopali sede vi gaudentis populi coactum considere, pace de more annuntiatâ, extemporalem etiam habuisse con-

[1] Euseb. Hist eccl. lib. VI, cap. 36, ex vers. Rufin. In textu solùmmodò legitur : « Origenes jàm sexagenario major, utpotè qui ex diuturnâ exercitatione maximum dicendi usum sibi comparâsset, conciones quas habebat ad populum à notàriis accipi permisit, cùm id anteà fieri nunquàm concessisset. » — [2] Act. II, 4. — [3] Socrat. Hist. eccl, lib. VI, cap. 15.

cionem, narrat idem Socrates, quem Sozomenus Nicephorusque secuti sunt : « Progressa multitudo vulgi illi obviàm, eum cum summâ reverentiâ ad ecclesiam rectà deducit : orans, ut in episcopali cathedrâ sedere, et pro more solito pacem populo apprecari velit. Cùm ille recusaret, diceretque id judicum decreto fieri debere, et oportere ut ii à quibus condemnatus esset, mutatâ sententiâ, ipsum absolverent, populus magis magisque incendebatur, eum in cathedrâ sedentem videre et concionantem iterùm audire votis omnibus concupiscens. Pervicit tandem populus ut ista fierent. Joannes ergò in episcopali solio residens, sicut anteà consueverat pacem populo pronuntiavit, ac prætereà necessitate compulsus sermonem habuit ad populum[1].»—Quin et Suidas, affirmans magnam ex eo quoque laudem sibi peperisse Chrysostomum, quòd extemporales ad populum nullo negotio haberet conciones, significat utiquè solitum eum aliquandò ex tempore dicere. « Quòd, inquit, ex tempore nullo negotio retentus erudiret omnes, linguamque haberet admirabili fluore orationis exundantem, ipsis etiam abruptis Nili fluctibus fœcundiorem, non mediocris hinc illi accrevit suorum de se testium celebritas nominis [2]. »

De Attico Constantinopolitano episcopo scriptum reliquit idem Socrates, crebro eum usu dicendi ac diligentiâ tantam assecutum fiduciam, ut neque invitè, neque inutiliter ex tempore concionaretur : « Cùm adhùc in presbyterii gradu esset constitutus, orationes à se compositas, quas memoriter didicerat, in ecclesiâ recitabat. Posteà verò ex laboris assiduitate fiduciam nactus ex

[1] Socrat. Hist. eccl. lib. VI, cap. 16. Sozom. lib. VIII, cap. 18. Niceph. lib. XIII, cap. 16. — [2] Suidas. in Chrys. Vitâ.

tempore loqui et panegyricam concionandi rationem sectari cœpit [1]. »

Faustum quoque Reiensem episcopum dixisse nonnunquàm ex tempore fidem facit sanctus Apollinaris Sidonius qui Faustum ipsum in hunc modum alloquitur : « Licèt prædicationes tuas, nunc repentinas, nunc, cùm ratio poposcerit, elucubratas raucus plausor audierim, tunc præcipuè cùm in Lugdunensis ecclesiæ dedicatæ festis hebdomadalibus collegarum sacrosanctorum rogatu exorareris, ut perorares[2]. » — Repentinæ enim conciones eæ sunt procùl dubio quæ subitò et ex tempore solebant haberi ; elucubratæ verò quas multùm ac diù, antequàm haberet, meditabatur Faustus.

Hanc porrò eamdem veritatem ex eo planissimè licet intelligi, quòd ex illâ quandoquè lectione dicendi argumentum sumebant concionatores quæ lectori codicem fortuitò aperienti primùm occurrisset ; quod de se ipso non semel in sermonibus asserit beatus Augustinus. Sic enim habet : « Vox pœnitentis agnoscitur in verbis quibus psallenti respondimus : *Averte faciem tuam à peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele*[3]. Modò cùm sermonem ad vestram Charitatem non præpararemus, hinc nobis esse tractandum, Domino imperante, cognovimus... Proindè aliquid de pœnitentiâ dicere divinitùs jubemur. Neque enim nos istum Psalmum cantandum lectori imperavimus : sed quod ille censuit vobis esse utile ad audiendum, hoc cordi etiam puerili imperavit [4]. » — Et alibi : « Evangelica lectio proposuit nobis, undè loquamur ad Charitatem vestram, tanquàm Domini imperio ; et verè Domini imperio : ab illo enim expectavit cor meum tanquàm jussionem pro-

[1] Socrat. Hist. eccles. lib. VII, cap. 2. — [2] Apoll. Sid. lib. IX, Epist. 3. — [3] Psal. L, 11. — [4] S. August. Serm. CCCLII, n. 1.

ferendi sermonis, ut hinc eum intelligerem loqui me velle, quod recitari ipse voluisset[1].» — Certum autem est, dicenda non potuisse diù à concionatore meditari, cùm fortuita et subita duntaxat lectio dicendi argumentum tunc primò suggereret, nec multùm temporis in legendo consumeretur à lectore.

Imò et quandoquè paratum circà aliquod argumentum, mutato inter loquendum proposito, ad aliud explanandum subitò transferri Augustinum affirmat in ejus Vitâ Possidius, cujus verba cùm memoriæ commendanda videantur, integra referemus : « Scio ego, non solùm ipse Possidius, qui Vitam hanc conscripsi, verùm etiam alii fratres et conservi qui nobiscum tunc intrà Hipponensem ecclesiam cum eodem sancto viro vivebant, nobis pariter ad mensam constitutis eum dixisse ; Advertistis hodiè in ecclesiâ meum sermonem, ejusque initium et finem contrà meam consuetudinem processisse ; quoniam non eam rem terminatam explicuerim, quam proposueram, sed pendentem reliquerim? Cui respondimus : Ità nos in tempore miratos scimus et recognoscimus. At ille : Credo, ait, quòd fortè aliquem errantem in populo Dominus per nostram oblivionem et errorem doceri et curari voluerit, in cujus manu sunt et nos et sermones nostri ; nam cùm propositæ quæstionis latebras pertractarem, in alium sermonis excursum perrexi, atque, non conclusâ vel explicatâ quæstione, disputationem terminavi magis adversùs Manichæorum errorem, undè nihil dicere decreveram, disputans de iis quæ asserere proposueram[2]. » — Ex quibus recta duo, licèt opposita, defluunt consequentia, nempè : 1°, quòd turpe foret sacerdoti, si, cùm postulaverit occasio, quoslibet Christianos, quibus omnibus debitor est, extemporali oratione, vel confirmare in fide, vel ad vir-

[1] S. August. Serm. LII, n. 1. — [2] Possid. in Vitâ August.

tutem impellere nesciret; 2°. quòd nihilominùs erraret, qui satis profundo mysteria explicare, aut vehementi satis sermone mores emendare se confideret, nisi priùs mentem in cogitando, manumque in scribendo diutiùs exercuerit, cùm ex dictis Origenes ipse non anteà disseruerit ex tempore, quàm « usu fiduciam in verbo Dei acceperit, » Atticusque Constantinopolitanus non nisi crebro usu et diligentiâ majorem audaciam adeptus, in ecclesiis fuerit ex tempore concionatus. Qui non sæpiùs, adjuvante scripturâ, cogitationes digerere, sententias ordinare, aptiora tandem verba eligere didicerit, incomposito divergentium sententiarum discursu manique inconditorum fluxu verborum hinc indè raptus vagabitur; juvenili ardore aliquandò fortè luxuriatus, mox inopiâ consumptus deficiet. Brevi arescit torrens, qui semper emittit aquas, nec aquis influentibus unquàm reficitur. Quicumque ergò ità elucubrandis incumbit sermonibus, ut, compellente necessitate, utiliora valeat elegantiùs extemporalis profundere, hic demùm verè christianus orator censeri debet.

CAPUT IV.

De tempore concionum opportuno.

Circà concionum tempus tres solvendæ quæstiones, *quibus* scilicet hebdomadis *diebus; quâ* dierum *horâ;* et per *quantum* temporis *intervallum* sancti Patres olim concionati fuerint.

ARTICULUS I.

De legitimis sacrarum concionum diebus.

I. Legitimum præcipuumque habendæ concioni tempus, jàm indè ab ipsis Ecclesiæ primordiis, Dominicum fuisse diem scriptum reliquit beatus Lucas in Actibus Apostolorum, ubi dicitur : *Unâ sabbati, cùm convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis* (nempè Christianis)[1]. Disputationis autem nomine hìc appellatur prædicatio, quia, cùm tunc Ecclesiæ fundamenta jacerent Apostoli, rationem de fide Christi reddere imprimis necesse videbatur. Unam verò sabbati pro Dominicâ die usurpari ex eo perspicuum fieri potest, quòd Magdalena et altera Maria dicantur apud Matthæum venisse ad sepulcrum Christi *in primâ sabbati*[2], quod Dominicâ die factum nemo est qui inficiatur.

De quâ consuetudine illam quoquè habemus Apostolorum doctrinam, quæ tradita legìtur in Constitutionibus apostolicis dicentibus : « Die dominico, qui est dies Resurrectionis, studiosiùs templum Domini adite, ut Deum laudibus celebretis... Quid enim apud Deum excusare poterit eum, qui, eo die, ad audiendum verbum Dei salutare de Resurrectione non convenit?... in quo adhibentur lectio Prophetarum, Evangelii prædicatio, oblatio sacrificii, et sacri cibi donum[3]. »

Meminit ejusdem observationis, ut ab Apostolis per manus traditæ, beatus etiam Justinus in hunc modum scribens : « Solis, qui dicitur, die (id est, ut apud omnes constat, die Dominicâ,) omnium qui in oppidis vel in agris

[1] Act. xx, 7. — [2] Matth. xxvm, 1. — [3] Const. apost. lib. II, cap. 59.

quandò eum ordinem quem in habendis quibusdam concionibus, continuatis ferè diebus, ipsi sibi præscripserant, ne videlicèt usitatum hunc in festis diebus concionandi morem intermitterent. « Oportebat, inquit Chrysostomus, superiore conventu debitum hoc dissolvisse (id est, finem imposuisse parabolæ Lazari); verùm non existimavimus esse tutum beati Babylæ et Bigæ, sanctorum martyrum, qui post illum occurrêrunt, præclara gesta præterire[1]. »— Gaudentius autem Brixiensis episcopus : « Ordinem lectionis Exodi, ubi lex celebrandi Paschatis describitur, idcircò præposteravimus, ut mysteriis reserandis debitæ reverentiæ ordinem teneremus, quia oportebat in illâ splendidissimâ nocte vigiliarum, secundo tractatu, non dictorum sequentia, sed congrua neophytis explanari[2]. »— Apud Augustinum demùm ità scriptum legimus : « Meminit Sanctitas vestra Evangelium secundùm Joannem ex ordine lectionum nos solere tractare; sed quia nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum, quibus certas ex Evangelio lectiones oportet in ecclesiâ recitari, quæ ità sunt annuæ, ut aliæ esse non possint, ordo ille, quem susceperamus, necessitate paululùm intermissus est, non omissus[3]. »

Nec solùm in festis, sed in ipsis etiam festorum vigiliis concionatos interdùm veteres Patres plurimis argumentis comprobare non esset arduum; sufficiat autem, præter modò allatum Gaudentii testimonium, hic Augustini aut veteris sub ejus nomine scriptoris locus dicentis : « Quia non toti viri vel mulieres voluêrunt hodiè ad vigilias convenire, rogo vos, filii et filiæ, ut ea quæ vobis dicta sunt, illis qui absentes fuêrunt, fidelissimè referatis[4]. »

[1] S. Chrys. Conc. IV, in Laz. n. 1. — [2] S. Gaudent. tract. V. — [3] S. August. præf. ad Expos. Epist. S. Joan. — [4] Apud S. August. Append. Serm. CCC, n. 1.

Neque dicas sanctos Patres in sanctorum festis sermones quidem ad populum habuisse, sed quandò illorum natalia cum die Dominicâ concurrebant. Adest enim et vetus orator illud figmentum evertens hisce verbis : « Adhùc nos delectabat cum Charitate vestrâ de beato Joseph aliquid loqui; sed propter pauperes, qui ad opera sua festinant, melius est hoc ut vobis in die crastinâ reservemus [1]. »

III. Imò et in profestis diebus, quâlibet hebdomadâ, habitas olim conciones, et certos fuisse huic rei destinatos dies parvo negotio quivis didicerit ex illo Chrysostomi loco, ubi patres, matresque familiâs allocutus : « Pueruli, inquit, quotidiè magistros adeuntes, doctrinam accipiunt, et recitant et nunquàm hoc agendi finem faciunt; imò nonnunquàm noctibus dies adjiciunt, idque pro fluxis rebus facere à vobis coguntur ! Nos autem non à vobis qui in perfectiore ætate estis, hoc requirimus, quod vos à filiis vestris exigitis, neque enim quotidiè, sed bis tantùm in hebdomadâ, idque per brevem diei partem, ut laborem levemus, vos concioni adesse et attendere hortamur [2]. »

Peculiares autem illi dies habendis concionibus destinati non iidem varios apud populos celebrabantur. Alii feriâ quartâ, alii sextâ, quæ Parasceve dicitur, alii in sabbato, sacræ Scripturæ expositionem audituri conveniebant. Sic apud Alexandrinos, narrante Socrate, feriâ quartâ et sextâ prædicabatur Evangelium : « Alexandriæ, ait, quartâ feriâ et eâ quæ dicitur Parasceve, leguntur sacræ Scripturæ, easque doctores interpretantur, atque hic mos Alexandrinæ Ecclesiæ vetustissimus est; constat enim Origenem his ut plurimùm diebus in Ecclesiâ docuisse [3]. » — Idem refert in ecclesiasticâ Historiâ Nicephorus, qui in Cypro

[1] Apud. S. August. Append. Serm. xv, n. 8. — [2] S. Chrys. Homil. xxv in Joan. n. 1. — [3] Socrat. Hist. eccles. lib. v, cap. 22.

et Cæsareâ aliam usurpari consuetudinem affirmans, dicit : « In Cypro et Cæsareæ Cappadocum, in sabbato et Dominico die vesperè post lucernarum accensionem episcopi et presbyteri sacras Scripturas populo exponunt [1]. » — De sabbati utiquè die tanquàm huic rei destinato memínit etiam beatus Augustinus sic inquiens : « Suscepi hæc verba Apostoli, adjuvante Domino, exponere Charitati vestræ. Vacat nobis ; matutinâ cœpimus ; hora prandii non urget ; ad istum diem, id est, sabbatum, maximè hi assolent convenire qui esuriunt verbum Dei [2]. » — Constat igitur varias quidem fuisse variarum Ecclesiarum consuetudines ; in hoc autem omnes consensisse, ut nulla prætermitteretur hebdomada, quin sæpiùs sacræ exponerentur Scripturæ.

IV. Quin etiam facillimè demonstrari posset singulis aliquandò diebus veteres Patres fuisse concionatos. Quotidiè enim prædicabat qui populum hisce verbis urgebat : « Etsi heri et nudius tertius de hâc vobis locutus sum materiâ, neque tamen hodiè desistam, neque cras, neque perendiè eadem persuadere. Et quid dico crastinam aut tertiam diem ? donec vos correctos videam non absistam [3]. » — Prædicabat quotidiè, qui de explicandorum ordine sic admonitam plebem volebat : « Cùm cogitarem quid secundùm hilaritatem præsentium dierum per hanc hebdomadam vobiscum de Scripturis agerem, quantùm Dominus donare dignatur, quod posset in his septem vel octo diebus fieri, occurrit mihi Epistola beati Joannis [4]. » — Audiendæ prædicationi quotidiè vacabant quos ità laudibus efferebat beatus Chrysostomus : « Benedictus Deus, qui vobis tantum audiendi spirituales sermones inspiravit ardorem. Quemadmodùm enim homines vino et potionibus

[1] Niceph. Hist. eccles. lib. XII, cap. 34. — [2] S. August. Serm. CXXVIII, n. 6. — [3] S. Chrys. Homil. V, ad popul. Antioch. — [4] S. August. Præf. ad Expos. Epist. B. Joan.

dediti, singulo quoque die obambulant, curiosèque disquirunt, ubi compotationes agitantur, ubi convivia, ubi cœnæ, ubi comessationes, ubi temulentiæ, phialæ, crateres et pocula : sic et vos quotidiè, simùl atque surrexeritis, curiosè perquiritis, ubinàm futura sit exhortatio, ubi salubris admonitio, ubi doctrina, ubi sermo ad gloriam Dei conducens[1].» — Quotidiè conciones habebat, qui sic avidam plebem alloquebatur : « Videns vestrum inexplebile desiderium et multam aviditatem, mentemque attentam, necnon omnes ad spiritualem hanc doctrinam advolantes, quamvis valdè sim meæ inopiæ mihi conscius, frequenter tamen et quotidiè inopem et tenuem hanc mensam vobis proponere studeo[2]. » — Et alibi : « Heri propositâ vobis Scripturæ lectione, sub ipso exordio, quia multum invenimus sensuum thesaurum, non potuimus ultrà progredi, ut ne dictorum multitudine memoriam vestram obrueremus, et jàm dicta oblitteraremus. Ideòque eamdem seriem attingere, hesternisque dictis ea, quæ hodiè dicenda sunt volo copulare, ut ità, enarratâ lectione totâ, vos hinc dimittam... Cum attentione igitur suscipiamus ea, quæ à Deo donantur, ut hinc lucrifacientes aliquid in animarum salutem, indè abeamus. Ideò enim quotidiè spiritualem hanc vobis apponimus mensam, ut admonitione continuâ, et multâ divinarum Scripturarum meditatione, omnes maligni dæmonis excludamus insidias[3].» — Quotidiè, licèt infructuosè, conciones auscultare solebant, quos talibus idem exprobrationibus exagitabat : « Cunctabundus hodiè, nec admodùm alacris ad docendum narrandumque accedo. Nam mentè repetò, nobis quotidiè concionantibus, admonentibus, et spirituale hoc vobis convivium apponentibus, multos ex his ipsis qui

[1] S. Chrys. Orat. v, in Jud. n. 1. — [2] Id. in Genes. Homil. xiii, n. 1. — [3] Id. Ibid. Homil. xxxvii, n. 1.

adsunt, et spiritualis hujus doctrinæ, et horrendæ atque terribilis mensæ sunt participes, totos dies in spectandis ludis equestribus perdere, et proindè atque si non doceremus, tàm nihil proficere [1]. »

Hæc eadem confirmat S. Augustinus paucis, sed claris verbis, scribens : « Et verbum Dei, quod quotidiè nobis verbis aperitur, et quodam modo frangitur, panis quotidianus est. Et quomodò illum panem ventres, sic istum esuriunt mentes [2]. » — Quod ità alibi iterat, dicens : « Et verbum Dei quod quotidiè prædicamus, panis est; non enim quia non est panis ventris, ideò non est panis mentis [3]. »

V. Maximè verò quadragesimæ et paschalis hebdomadæ tempore crebrioribus insistebant sermonibus, cujus vetustissimæ consuetudinis hic indicio est Chrysostomi locus : « Neque enim hoc solum quæritur, charissimi, ut hùc quotidiè conveniatis, et de iisdem continuò audiamus, et per totam quadragesimam jejunemus,.. nisi affectionibus quæ in nobis nascuntur, superiores fuerimus; licèt quotidiè hîc conveniamus, et frequentibus concionibus atque doctrinâ tantâ instituamus,.. qualis erit nobis venia? qualis defensio [4]? » — Et alibi : « Videns ego, ait, dilectissimi, alacrem et quotidianum vestrum in hoc templo conventum, magnam percipio voluptatem, et clementi Deo gloriam de profectu vestro referendi finem non facio [5]. » — De ipso autem quadragesimæ tempore locutum hoc loco Chrysostomum, ex iis quæ sub ejusdem homiliæ finem habentur apertè colligitur : « Age obsecramus vos, ut si per quod aliud, maximè per jejunii tempus magnam benè vivendi curam geratis; nec fiat vobis sermo fastidiosus, si quotidiè de iisdem loquamur [6]. »

[1] S. Chrys. in Genes. Homil. XLI, n. 1. — [2] S. August. Serm. LVIII, n. 5. — [3] Id. Serm. LIX, n. 6. — [4] S. Chrys. in Genes. Homil. XI, n. 3. — [5] Id. in Genes. Homil. IV, n. 1. — [6] Id. ibid. n. 6.

In paschali autem hebdomadâ singulis etiam diebus concionatos priscos Patres planissimè liquet ex verbis ejusdem Chrysostomi ità scribentis : « Illucescente Resurrectionis die, necessarium erat, ut de resurrectione Domini Caritatem vestram doceremus ; et sequentibus diebus propter ea miracula, quæ tunc facta sunt, resurrectionis demonstratio iterùm afferenda erat : quandò etiam Apostolorum Acta explanare cœpimus, indè vobis continua proponentes convivia, et crebris quotidianisque admonitionibus eos qui nuper baptismi gratiam acceperant, exhortantes[1]. »—Idem factum evidenter demonstrat magnus eorum qui supersunt sermonum à sancto Augustino in diebus paschalibus recitatorum numerus, necnon et illa sancti Gaudentii Brixiensis episcopi ad Benevolum verba : « Communis voti fuerat ut ea quæ divinis eloquiis per paschales dies proximè præteritos explanavi, coràm valuisses audire... Ex ingenti ægritudine tuum nunc adhùc corpus invalidum ne supradictæ festivitati interesses inhibuit, undè vehementer dolebas, omninò fraudem tibi spiritualium bonorum reputans peccatis urgentibus irrogatam ; ac propterea veluti singulare quoddam dispendii memorati remedium, magnoperè exegisti ut scriberem quid in unâquâque die illius sacratissimæ hebdomadis, sanctæ fraternitati à me expositum meminissem [2]. »

VI. Præter autem illum quotannis redeuntium sermonum ordinem, omnes populum docendi occasiones arripiebant sancti illi Patres, qui cum Augustino suprà citato intelligebant « verbum Dei panem esse quotidianum, quem quotidiè frangendum quotidiè esuriunt mentes. » Hinc conciones illæ quas Gregorius præsertim Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, beatus deniquè Chrysostomus in

[1] S. Chrys. in Genes. Homil. xxxm, n. 1. — [2] S. Gaudent. Brix. præf. ad Benevol.

episcopatûs natali die ad populum habuêrunt; hinc illi sermones, quibus non solùm in primo, sed etiàm in anniversario suæ ordinationis die sanctus Leo, beatusque Augustinus christianam plebem adhortati sunt; hinc orationes illæ, quas ad celebrandam basilicarum altariumque dedicationem Ennodius, Faustus, Augustinusque in lucem protulêrunt. Ità verebantur sacri Ecclesiæ Doctores, ne impositum munus ulla dicendi falleret opportunitas!

VII. Quin etiam plures sæpiùs in unâ die habebantur à diversis concionatoribus sermones. Ideò jubent Apostolicarum Constitutionum auctores, ut « Hortentur populum presbyteri, non omnes simul, sed singulatim, et postremus omnium episcopus, qui similis est gubernatori navis[1]. » —Quod autem Apostolicæ Constitutiones præcipiebant à Patribus observatum fuisse testes occurrunt inter cæteros SS. Gaudentius Brixiensis, Chrysostomus et Gregorius Nyssenus.

Ità enim Gaudentius : « Obsecro communem patrem Ambrosium, ut post exiguum rorem sermonis mei, ipse irriget corda vestra divinarum mysteriis Litterarum. Loquetur enim Spiritu sancto quo plenus est, et *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* [2], et tanquàm Petri successor, ipse erit os universorum circumstantium sacerdotum [3]. »

Sanctus verò Chrysostomus: « Eò sermoni silentii tempus præfinitum est, ut neque nos ipsos deteramus verborum multitudine, neque vos delassemus. Atque hæc tempora novit Salomon, dicens : *Tempus tacendi, et tempus loquendi* [4]. Sit igitur nobis tempus tacendi, quo detur et præceptori (episcopo) tempus loquendi. Nàm quæ nos afferimus similia sunt vino, quod recens sub torculari

[1] Const. Apost. lib. II, cap. 57. — [2] Joan. VII, 38. — [3] S. Gaud. Tract. XIV. — [4] Eccle. III, 7.

haustum est : quæ verò dicuntur ab illo, similia sunt vino quod, quoniam vetustatem seniumque collegit, multam affert tùm utilitatem, tùm vim iis qui opus habent, nobisque accidit illud Evangelii : *Post deterius vinum, id quod melius est* [1] infertur [2]. » — Idem homiliâ sequenti : « Hæc servantes, ait, redeamus domum; quin potiùs hæc servantes excipiamus perfectiorem eximii Doctoris exhortationem. Nàm nostra quidem, qualiacumque sunt, habent juventutis indicia; hujus autem qualiacumque fuerint canâ quâdam prudentiâ sunt ornata. Ac nostra quidem similia sunt torrenti, qui cum strepitu fertur; illius autem oratio similis est fonti magnâ tranquillitate fluvios effundenti, qui olei magis quàm aquarum cursum imitetur [3]. » — Jàm autem priùs dixerat : « Sed in præsentiâ de Martyribus sermonem servemus Martyrum æmulatori, communi Doctori [4]. » — Et iterùm alio in loco : « Necesse est dicendi finem facere, nàm cupio Patris vocem audire : quoniam ipsi quidem quasi pastorales pueri subtili calamo sibilamus, veluti sub quercu, aut fago quâdam ad umbram sacrorum horum sedentes : hic autem veluti musicus optimus auream citharam modulatus, sonorum concentu universum excitat theatrum : sic et hujus non pulsationum, sed verborum et operum concentus, plurimam nobis affert utilitatem [5]. » — Quod rursùs testatur in oratione de beato Philogonio, ubi dicit : « Verùm ad aliam necessariam materiam nobis festinat oratio; ideòque communi Patri beatique Philogonii sectatori hæc dicenda relinquamus, ut qui meliùs nobis teneat quidquid est antiquatum [6]. »

Hoc denique planè ostendisse videtur Gregorius Nysse-

[1] Joan. II, 10. — [2] S. Chrys. in Isaï. Homil. II, n. 3. — [3] Id. in Isaï. Homil. III, n. 5. — [4] Id. ibid. n. 1. — [5] Id. ibid. Homil. V, n. 5. — [6] Id. Sermo de B. Philogon.

nus, cum hæc ait : « Ne igitur longiùs vobis, fratres, sermonis exordium protrahamus; cùm mirificis eorum qui antè nos dixêrunt ōrationibus operam dederitis, jàm saturati estis, jàm divites facti estis; à rebus quippè dulcibus satietas gignitur, quibus nimirùm vos abundè præcedens tractatus enutrivit. Itaquè nihil aliud fortassè agetur, quàm ut satietas satietati adjiciatur, ac veluti post aureos sermones memoriam vestram plumbeis numismatibus oneremus [1]. »

VIII. Ut autem in eâdem ecclesiâ plures sæpiùs à diversis unâ die, ità et unâ die plures ab eodem habitæ fuêrunt conciones. Etenim beatum Gaudentium bis in eâdem Paschatis vigiliâ verba fecisse ad populum ostendit locus hic ex ejus scriptis excerptus : « Carnalem judaïcæ Paschæ observantiam, spiritualibus typis refertam, trino jàm tractatu docuimus, semel hesterno die, et bis in vigiliis allocuti Charitatem vestram [2]. »—Hoc idem et alio tempore factum pariter meminit nec minùs clarè, cùm ait : « Ordinem lectionis Exodi, ubi lex celebrandi Pascha describitur, ideò præposteravimus, ut mysteriis reserandis debitæ reverentiæ ordinem teneremus, quia oportebat in illâ splendidissimâ nocte vigiliarum, secundo tractatu non dictorum sequentia, sed congrua neophytis explanari [3]. » — De quo si quis adhùc dubitet, hæc Augustini ità unam ex suis concionibus inchoantis verba in memoriam revocet : « Ad reliqua Psalmi de quo in matutino locuti sumus, animum intendite [4]. »—Præcedentem verò terminârat in hunc modum : « Quod restat, si placet, servemus, quia longus est Psalmus, et adhùc vobiscum aliquid in nomine Christi acturi sumus. Reficite ergò vires, non dico animi vestri; nàm video quòd infatigabiles estis;

[1] S. Gregor. Nyss. Orat. de suâ Ordinat. — [2] S. Gaudent. Tract. IV. — [3] Id. Tract. V. — [4] S. August. Enar. in Psal. LXXXVIII, Serm. II, n. I.

sed propter servos animæ, ut durent in ministerio corpora vestra, aliquantulùm reficimini, et refecti ad cibos redite [1]. »

Quis igitùr non miraretur, quantâ cum copiâ sanctam doctrinam primi Patres profuderint? Quis etiamnùm sacræ interpres doctrinæ non trepidaret, ne parcitatis nimiæ reus, suo muneri defuisse convincetur?

ARTICULUS II.

De consuetâ concionum horâ.

I. Matutina tempora, ut à primâ diei parte ordiar, habendis concionibus ab antiquis Patribus interdùm constituta videntur ex iis, quæ modò retulimus, Augustini verbis : « In matutino locuti sumus. » Quod alibi, ut etiam dictum est, confirmans : « Suscepi, inquit, verba Apostoli, adjuvante Domino, exponere vestræ Charitati. Vacat nobis ; matutinâ cœpimus [2]. » Quod etiàm ab alio veteri oratore significari crediderim, cùm « Lectionem, quæ ad missas legenda est [3], » à se explicandam suscipi profitetur ; tempus enim quod est antè missam verè potest dici matutinum.

II. Inter ipsa autem missarum solemnia, statim ab Evangelii recitatione, habebantur ut plurimùm conciones, quod ab ipsis Constitutionibus Apostolicis colligi datur, ubi missarum ordo ità describitur : « Quispiam psalmos Dei canat ; deindè acta nostra legantur ; item Epistolæ Pauli adjutoris nostri, quas ecclesiis misit Spiritûs sancti instinctu dictatas ; posteà presbyter aut diaconus Evangelia legat. Deindè hortentur populum presbyteri ;.. deindè cuncti pariter consurgentes precentur Deum ;

[1] S. August. Enarrat. in Psal. LXXXVIII, Serm. 1, n. 29. — [2] Id. Serm. CXXVIII, n. 6. — [3] Apud. S. August. Serm. XX, Append. n. 1.

diaconi autem post precationem oblationi Eucharistiæ operam dent[1]: — » Prætermissis autem, quæ suprà attulimus sancti Justini, sanctique Gregorii Magni testimoniis, ad Augustinum rursùs attendamus, cujus auctoritate ecclesiasticus missarum concionumque ordo tàm luculenter exponitur : « De divinis lectionibus, quod Dominus admonere dignatur intenti audite, fratres, illo dante, me ministrante. Primam lectionem audivimus Apostoli : » quod nunc epistolam dicimus significare manifestè intendit. « Deindè cantavimus psalmum, » Ecce quod vulgò vocatur graduale. « Post hæc evangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit; has tres lectiones quantùm pro tempore possumus pertractemus[2]. » — Videin' post lectionem Evangelii habitum ab episcopo tractatum, sive concionem? Item S. Leo papa primus : « Totum, inquit, dilectissimi, paschale sacramentum evangelica nobis narratio præsentavit;.. sed adjiciendum est etiam nostri sermonis officium, ut sicut piâ expectatione deposcere vos consuetudinis debitum sentio, ità solemnitati sacratissimæ lectionis subjungatur exhortatio sacerdotis[3]. » — Ad hunc etiam morem pertinet, quod in sanctæ Pelagiæ Vitâ legitur, scilicet : « Post lectionem sancti Evangelii episcopum civitatis (Antiochiæ) Evangelium beatissimo Nonno porrexisse, hortatus ut verba ad populum faceret, qui aperiens os suum loquebatur sapientiam Dei, quæ habitabat in eo[4]. » — Sed et Valentinæ synodi in Hispaniâ de hâc eâdem re ità Patres cavêrunt : « Antiquos canones relegentes, inter cætera hoc censuimus observandum, ut sancta Evangelia antè munerum oblationem in missâ catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Jesu

[1] Const. Apost. lib. II, cap. 57: — [2] S. August. Serm. CLXVI, n. 1. — [3] S. Leo Serm. II, de Resur. Dom. — [4] Vit. S. Pelag. cap. VI.

Christi, vel sermonem sacerdotis, non solùm fideles, sed etiàm catechumeni et pœnitentes, et omnes qui ex adverso sunt, audire licitum habeant[1]. »— Hanc iterùm consuetudinem non parùm beati Gregorii Magni testimonio confirmatur ità ad Secundinum scribentis de suis quadraginta Homiliis in Evangelia : « Inter sacra missarum solemnia, ex his quæ diebus certis in hâc ecclesiâ legi ex more solent, sancti Evangelii quadraginta lectiones exposui[2]. »

III. Superest igitur ut pomeridiana, id est, ea quæ post prandium sunt tempora, habendis etiam concionibus destinata demonstrem ; ubi in memoriam revocandum quod de Augustino nuper retulimus, nempè ut pransi ad audiendam psalmi explicationem rediret exhortante. Nec minùs evidenter, imò et evidentiùs idem sæpiùs inculcat beatus Chrysostomus, qui, cùm plures superstitionis causâ pomeridianas declinarent conciones, talibus eos verbis exagitabat : « Minor nobis hodiè conventus adest et angustius confluentium theatrum. Cur et quâ de causâ? Fortassis aliqui erubuêrunt post sensibilem mensam ad spirituale hoc venire convivium, et hæc ipsis est absentiæ causa... Non autem ut humanæ res, ità et spirituales definitis temporibus distinctæ sunt ; sermoni enim spirituali omnis dies tempus idoneum fuerit. Et quid dico diei tempus? neque si nox ingruat, spiritualem doctrinam impedit... Audi beatum Lucam dicentem : *Discessurus crastino Paulus à Troade disserebat eis, et sermonem produxit usque ad mediam noctem*[3]. Numquid tempus obfuit, dic, quæso? Num doctrinæ sermonem præcidit? Vigilans et attentus auditor etiam pransus hoc spirituali conventu dignus est[4]. » — Et statim : « Non enim

[1] Syn. Valent. Can. 1. — [2] S. Gregor. Magn. prolog. ad Quadrag. Homil. in Evangel. — [3] Act. xx, 7. — [4] S. Chrys. Homil. x, in Genes. n. 1.

turpe fuerit eum, qui cibum anteà accepit, adesse spirituali doctrinæ, sed ignavo animo adesse, et ab affectionibus vexari et carnis lascivias non comprimere [1]. » — Et paulò post : « Fratres quoquè vestros, quotquot ob corporis valetudinem jejunare nequeunt, exhortemini ne spiritualem hanc mensam relinquant; et ad illos referte quæ à nobis didiceritis, indicantes eum qui moderatè comedit et bibit non indignum hoc auditorio esse, sed eum qui deses et dissolutus sit [2]. » — Et deindè : « Hæc omnia fratribus vestris dicite, et suadete illis ne unquàm spirituali hoc alimento se privent; sed etsi pransi sint, veniant omni cum alacritate, ut aeceptâ hic spirituali doctrinâ, diabolicis insidiis fortiter resistere possint [3]. » — Quibus verbis cùm permotus majori numero conflueret populus, sic lætus illis congratulabatur : « Quandò quæso vos, dilecti, meliùs fecistis? an præteritâ synaxi, quandò post mensam ad somnum convertebamini? an nunc cùm post mensam ad divinas leges audiendas convenistis? quandò in foro commorabamini, et consessuum nihil boni habentium participes eratis? an nunc quandò cum fratribus vestris stetistis, et propheticos sermones audistis [4]. » — Quod idem asserens alio in loco : « A mensâ, inquit, non ad lectum, sed ad precationem vertamur, ne brutis animantibus simus magis bruti. Novi fore multos, qui damnent ea quæ nunc dicuntur, veluti quæ novam quamdam et miram vitæ consuetudinem invehant; at ego magis damnabo pravam consuetudinem quæ nunc obtinuit. Etenim quod post cibum ac mensam non ad somnum oporteat ire, nec ad cubile, sed oporteat cibo preces ac divinarum Scripturarum lectionem succedere, manifestiùs declaravit ipse Christus, qui cùm immensam multitudinem excepisset

[1] S. Chrys. Homil. x, in Genes. n. 1. — [2] Id. ibid. n. 2. — [3] Id. ibid. n. 3. — [4] Id. Homil. x ad popul. Antioch. n. 1.

convivio in deserto, non remisit illos ad cibum et lectum, sed ad audiendos sermones divinos invitavit. Et idem nos quoquè faciamus, eoque modo consuescamus capere cibum[1]. » — Idem ad populum Antiochenum iterat, ubi nonnullos reprehendens, qui inter superstitiosa annumerare non verebantur usum divinos post cibum in ecclesiâ audire sermones : « Qui corporalem, inquit, attigit mensam, indignum esse putavit post corporis nutrimentum ad divinorum auditionem eloquiorum venire. Sed non rectè in hoc sentiunt : neque enim si hoc esset absurdum, multos et longos impendisset sermones Christus post illam mysticam cœnam : non utiquè si hoc incongruum esset, refectâ sæpiùs in deserto multitudine, etiam sermones ipsis post mensam communicâsset. Si enim fas est aliquid etiam præter opinionem dicere, tunc profectò utilissimum est divinis eloquiis aures accommodare ; cùm enim tibi persuaseris, post cibum et potum et ad synaxim convenire necesse esse, omninò vel invitus multam geres sobrietatis curam[2]. » — Ex quibus patet, sicut nullam ferè hebdomadæ diem, ità et nullam dierum, saltem sacrorum, horam divinis vacâsse concionibus.

ARTICULUS III.

De prolixitate sacrarum concionum.

Prolixiore sanè dicentis oratione, auditorum animos abalienari potiùs ac debilitari, quàm erigi ac conciliari fatentur omnes. Hinc igitur certo ac communi malo ut medicinam afferrent Ecclesiæ Patres in concionando determinatum dicendi tempus ferèque unius horæ spatio

[1] S. Chrys. Conc. 1 de Laz. n. 9. — [2] Id. Homil. IX ad popul. Antioch. n. 1.

conclusum aut ipsi sibi præscribebant, aut ab aliis præfinitum religiosè observabant.

1. Determinatum tempus in concionando præscriptum evidenter demonstrant et illæ longioris sermonis excusationes, et assiduæ de angustiis temporis querelæ, et interruptus etiam non rarò ipsemet dicendi cursus : « Nec nos latet, inquit Origenes, quòd plura in hoc loco profundi et arcani mysterii secreta reperies, quæ nunc nos adducere in medium, vel pro brevitate temporis, vel pro auditorum labore non possumus [1]. » — Et alibi : « Priori quidem lectione tempore exclusi sumus, ne aliquid etiam de secunda dinumeratione (filiorum Israël) diceremus; sed convenientis est omissa vel exclusa nunc reddere [2]. » — Cyrillus autem Hierosolymitanus : « Cùm multiplex ab ipsis (Judæis) contradictio opponatur, age, vestris precibus adjuti, quantum temporis brevitas patietur, Domini gratia, pauca de passione testimonia proferamus [3]. » — Et paulò post : « Cùm autem testimonia magno numero sint, et tempus jam in angustum contrahatur, plura, ut licet, quæ plus momenti habeant, nunc audi [4]. » — Et iterùm : « Multa autem Scripturarum testimonia propter temporis angustias, ut antè dixi, prætermittimus [5]. » — Non dissentit et S. Petrus Chrysologus ità scribens : « Differendus est sermo, fratres, quia et dicendi tempus absumpsimus, et lectionis loca quæ nobis tractanda sunt maxima subsequuntur [6]. » — Cùm verò omnium sanctorum Patrum sermones hisce locutionibus scaturiant, sufficiat breve hoc beati Augustini verbum : « Videtis certè profunditatem quæstionis; scio. Videtis angustias temporis, et hoc videtis et sentitis. Accipite ergò pauca; si magnitudini

[1] Origen. Homil. II, in Genes. — [2] Id. Homil. XXI in Num. n. 1. — [3] S. Cyril. Hierosol. Catech. XIII, n. 8. — [4] Id. ibid. — [5] Id. ibid. n. 13. — [6] S. Petr. Chrys. Serm. CXXI.

quæstionis non satisfecero, interim præsentem recondite sermonem, in futuro tenete debitorem [1]. » — Rursùs ibidem : « Jam nunc, quantùm potuimus, quæstionem profundam in tantillâ temporis brevitate solvimus; aut si non solvimus, debitores, ut dixi, teneamur [2]. » — Quod et iterùm ingeminans : « Tractavi, inquit, quantùm potui, de judicio, tantùmque sermo productus est, ut non remaneret temporis spatium, quo possem de cæteris disputare [3]. »

II. Definitum autem illud ac constitutum temporis spatium in unius fermè horæ curriculo fuisse coactum non inficiabitur qui sequentes beati Cyrilli, Chrysologi et Augustini locutiones attentè perspexerit. Cyrillus enim : « Verecundiâ prohibeor ne suorum, quos appellant (Græci), deorum vitia evulgem, eaque propter horæ angustiam prætermitto [4]. » — Et in sequenti catechesi : « Cùm verò multa sint hujus rei testimonia, hæc propter provectiorem horam adduxisse sufficiat [5]. » — Chrysologus autem : « Date ergò veniam, fratres, si intrà punctum temporis, et horæ unius vix momentum obscura lucidare, clausa reserare, firmare dubia, profundà contingere, tot sæculorum ineffabile sacramentum aperire non possum et eloqui [6]. » — Sanctus denique Augustinus hujus facti veritatem confirmat his verbis : « Semper in sermonibus quos ad populum habui, hujus quæstionis (de peccato contrà Spiritum sanctum) difficultatem molestiamque vitavi, non quia nihil haberem, quod indè uteumquè cogitarem, neque enim in re tantâ quærere, petere, pulsare negligerem, sed quia ipsi intelligentiæ, quæ mihi aliquantùm aperiebatur, verbis ad horam oc-

[1] S. August. Serm. XCIX, n. 4 et 5. — [2] Id. ibid. n. 7. — [3] Id. Serm. XIX, n. 1. — [4] S. Cyril. Hierosol. Catech. XVI, n. 37. — [5] Id. Catech. XV, n. 27. — [6] S. Petr. Chrysol. Serm. CXII.

currentibus me posse sufficere non putarem[1].» — Similiter et adversùs gentiles disputans, qui corporum resurrectionem impugnabant, in hunc tenorem concludit : « Quantùm existimo, responsum est illis, sicut intelligere potestis, sicut et nos loqui possumus, quantùm hora sermonis permittit[2]. »

Sanctorum igitur Patrum vestigia sectantes unâ horâ quæ dicenda sunt concludere studeamus : ut enim una saltem hora ad gravissimas quæstiones solvendas valdè necessaria, ità et longior oratio ad defatigandas auditorum mentes aptissima.

CAPUT V.

De loco habendis concionibus destinato.

I. Primis quidem temporibus ubiquè in publicis etiam plateis ac campis habitæ fuêrunt conciones. Sic apud Hebræos in eâ quæ erat antè portam Aquarum plateâ Lex populo ab Esdrâ explicata esse dicitur[3]. Sic Jeremias verbum Domini jubetur in cunctis Jerusalem portis prædicare[4]. Sic et ipse Christus et in deserto, et in littore, et in plateis, et in domibus privatis legitur multitudinem ad eum confluentem docuisse. Sic et Apostoli, ubicumquè se ferebat occasio, divina spargere semina non erubescebant. Sic et apostolici viri lætos non semel atque uberes ex otiosâ plebeculâ fructus tulêre, quemadmodùm de sanc-

[1] S. August. Serm. LXXI, n. 8. — [2] Id. Serm. CCXLI, n. 8. — [3] 2 Esdr. VIII, 1. — [4] Jerem. XVII, 19.

tissimis viris Vincentio Ferrerio, Petro martyre, Antonio Patavino et Bernardino Senensi memoriæ tradidêrunt eorum vitæ scriptores. De Equitio abbate ità scriptum reliquit beatus Gregorius : « Tantus illum fervor ad colligendas Deo animas accendèrat, ut sic monasteriis præesset, quatenùs per ecclesias, per castra, per vicos, per singulorum quoquè fidelium domos circumquaquè discurreret, et corda audientium ad amorem patriæ cœlestis excitaret [1]. » — Beatum Nicolaüm Tolentinatem ex unâ in publico foro habitâ concione ità commotum testatur ejus vitæ auctor, ut ex accepto ibi semine tantos deindè fructus sanctitatis mundo præbuerit. Extat adhùc in Patavino agro vetustissima nucis arbor, è quâ sanctum Antonium sæpiùs fuisse concionatum constanter affirmant ejus loci habitatores. Nec reticenda sunt hoc loco privilegia Prædicatorum ac Minorum ordinibus à Clemente V, et Benedicto XI concessa, ad Eremitas quoquè à Clemente, ad Carmelitas à Joanne XXII, ad Jesu deniquè societatem à Paulo III [2] prorogata, ut etiam in plateis communibus liberè valeant clero et populo prædicare.

II. Verumtamen proprius concionum locus fuit semper ecclesia apud Christianos, quemadmodùm apud Hebræos templum ac synagoga. Ac de Hebræis quidem testis ipse Dominus dicens apud Joannem : *Ego semper docui in synagogâ et in templo, quo omnes Judæi conveniunt* [3]. Et de Paulo ac Barnabâ loquens Lucas : *Prædicabant*, inquit, *verbum Dei in synagogis Judæorum* [4]. De Christianis verò res ità certa videtur tùm ex veterum tùm ex recentiorum consuetudine, ut probatione non indigeat.

[1] S. Gregor. Magn. Dialog. lib. I, cap. 4. — [2] Clement. de Sepult. *Nos autem*, et Extrav. *Inter cunctas*... de Privil. etc. — [3] Joan. XVIII, 20. — [4] Act. XIII, 5.

III. Sive in ecclesiis, sive in plateis aut campis oratio haberetur, ex edito semper loco verba ad populum faciebat concionator. Nemo enim nescit et illud moris apud paganos etiam fuisse, ut si nequaquàm adesset erectum tribunal sive suggestum, subito ac tumultuario opere excitaretur, ex palliis interdùm, interdùm ex cespitibus, nonnunquàm ex terræ glebis, vel etiam ex terrâ palustri. Ità pariter et sancti Patres; cui rei astipulatur beatus Gregorius Nazianzenus in Insomnio de Anastasiæ ecclesiâ;

Sede altâ, haud altâ considere mente videbar,
Nàm neque per somnum mente superbus eram;
Presbyterique graves sellis utrinquè sedebant
Demissis, ætas lecta, ducesque gregis.
Vestibus in niveis astabat turba ministra,
Splendorem referens ordinis angelici.
Plebs verò propiùs cupiens accedere, partim
Circà suggestum fusa erat instar apum;
Pars sese veniens ad limina sacra premebat,
Auribus approperans, approperansque pede;
Multifidique urbis vici, foraque omnia, rursùm
Mittebant alios ad mea dicta greges.
Deniquè virginei cœtus, matronæ et honestæ
E tectis aures ad mêa verba dabant [1].

Et in carmine de Vitâ suâ ità canit:

Nos ille torrens, ille torrens nos sumus,
Ordoque noster dissolutus, flens loquor:
Qui considemus haud benè altis in thronis
Boni magistri, plebis atque antistites,
Animos alentes pabulo sacro [2].

Aurelius autem Prudentius beati Hippolyti Basilicam describens, præcelsum atque editum fuisse locum ex quo

[1] S. Greg. Nazianz. Insomn. de Anastas. Eccles. vers. Bill. — [2] Id. Carm. de Vit. suâ.

episcopi sermones haberent, eleganter in hunc modum commemorat :

> Fronte sub adversâ gradibus sublime tribunal
> Tollitur, antistes prædicat undè Deum [1].

His pariter sanctus Gregorius Nyssenus celsioris ad concionandum loci meminit ; « Volo in hâc sublimi speculâ sedens, circà subjectos vertici colles undiquè congregatum gregem contueri [2], » — Testes pariter existunt beati Ambrosius et Chrysostomus, quorum prior sic ad Marcellinam sororem narrans habitum à se de Job lectione sermonem : « Unum Job miraturus ascenderam, sed omnes Job quos mirarer inveni [3] ; » posterior verò ad populum Antiochenum, laudes celebrans eorum qui in agro vitam tranquillam degunt ; « Horum quemque, ait, cerneres, nunc quidem boves jugantem aratorios, et aratrum trahentem, et profundum scindentem sulcum ; nunc autem sacrum ascendentem suggestum, et subditorum animas arantem ; nunc quidem agri spinas excidentem falce, nunc verò sermone ex animis peccata extergentem [4]. » — Eòdem spectant hæc Paulini verba, sic de sancto Ambrosio narrantis : « Cùm ignorâsset quod factum esset, ne diutiùs posset plebem tenere, ascendens pro tribunali, de eâdem quæstione, quæ fuerat proposita, sermonem adorsus est [5]. » — Sed præcipuus emicat testis Augustinus, et quidem pluribus in locis. Sic enim habet : « Populi confluunt ad ecclesias castâ celebritate, honestâ utriusque sexûs discretione ; ubi audiant quàm benè hìc ad tempus vivere debeant, ut post hanc vitam beatè semperque vivere mereantur ; ubi sanctâ Scripturâ, justitiæque doctrinâ de superiore loco in conspectu omnium personante, et

[1] Prudent. de S. Hyppol. — [2] S. Greg. Nyss. Serm. de Baptism. — [3] S. Ambros. Epist. XIII ad Marcellin. — [4] S. Chrys. Homil. XIX ad popul. Antioch. n. 1. — [5] S. Paulin. in Vitâ S. Ambros.

qui faciunt, audiant ad præmium, et qui non faciunt audiant ad judicium[1]. » — Quod et confirmans sanctus Doctor se « locutum esse de altiore loco, » quò gradibus ascendebatur, asserit[2]. Nec alibi minùs clarè : « Novit Charitas vestra omnes nos unum magistrum habere, et sub illo condiscipulos esse; nec ideò magistri sumus, quia de loco superiori loquimur vobis, sed magister est omnium, qui habitat in omnibus vobis[3]. » — Eadem sæpiùs repetit, quæ prolixiora forent, si per singula recitarentur; sufficiat et hanc adhùc vocem rescribere, quâ dicit : « Quamvis propter commoditatem depromendæ vocis altiore loco stare videamur, tamen in ipso altiore loco vos judicatis et nos judicamur[4]. »

Ultima autem illa sancti Augustini verba non facti solùm veritatem astruit, sed hujus insuper primam et quidem præcipuam consuetudinis causam non obscurè significat, nempè ut cum majori commoditate vox depromeretur. Undè et de sancto Chrysostomo sic loquitur Socrates : « Joannes episcopus, cum Eutropius ad basim altaris procumbens præ metu consternatus esset, sedens in suggestu, undè anteà, quò faciliùs audiretur, concionari solebat, orationem in reprehensionem ejus habuit[5]. »—De quo idem referens Nicephorus : « Joannis, inquit, absurdum Eutropii conatum arguens, luculentam habuit orationem in ambone seu suggestu, qui mos ejus erat cùm populum doceret, ut omnes vocem ejus exciperent, sedens[6]. » — Hinc Metaphrastes eumdem Chrysostomum repræsentat « conscendentem in suggestum, ut esset omnibus manifestus[7]. » Hinc et Sozomenus asserit illum « è suggestu docuisse, et

[1] S. August. de Civit. Dei, lib. II, cap. 28. — [2] Id. Ibid. — [3] Id. Serm. CXXXIV, n. 1. — [4] Id. Serm. XXIII, n. 1. — [5] Socrat. Hist. eccles. lib. VI, cap. 5. — [6] Niceph. Hist. eccles. lib. III, cap. 4. — [7] Metaph. in Vit. Chrys.

se omnibus dedisse medium, ut astantes dicentem certiùs audirent [1]. »

Quamvis autem naturalis illa fuerit hujus consuetudinis origo commoditas audientium, plures nihilominùs mysticas rationes sub hoc familiaris usûs cortice veteres deprehendêrunt. Prima quidem est, ut significaretur legem evangelicam debere palàm antè oculos omnium enuntiari, juxtà Innocentii III sententiam dicentis : « In ambonem ascendit, ut annuntiet Evangelium, secundùm illud propheticum : *Suprà montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion : exalta in fortitudine vocem tuam* [2]. Et Dominus inquit in Evangelio : *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta* [3]. » — Secunda autem, ut Christi exemplum imitarentur ejus Discipuli : « Nàm et ipse Dominus *ascendit in montem,* ut Evangelium prædicaret, et *aperiens os suum docebat eos* [4]. » — Tertia deniquè ut evangelicæ prædicationis excellèntia et auctoritas designaretur, quemadmodùm notat Amalarius Fortunatus : « Excelsior locus eminentissimam doctrinam evangelicæ prædicationis atque manifestam auctoritatem judicandi signat [5]. »

IV. Locus autem ille editus variis apud sanctos Patres nominibus appellatur ; nempè *pulpitum, tribunal, ambo,* passim dicitur. *Pulpitum* et *tribunal,* ut patet ex his Cypriani verbis : « Quid aliud, quàm super *pulpitum,* id est, super *tribunal* Ecclesiæ oportebat imponi Celerinum, ut loci altioris celsitate subnixus [6], etc... » — *Pulpitum*, quod apud antiquos idem ac *theatrum*, quia, ut scribit Walafridus Strabo, « locus ille in pu-

[1] Sozom. Hist. eccles. lib. VIII, cap. 5. — [2] Isaï. XL. 9. — [3] Matth. X, 27. Innoc. III, de Myst. miss. cap. 43. — [4] Matth. V, 2. — [5] Amal. Fort. de eccles. Offic. lib. XIII, cap. XVIII. — [6] S. Cypr. Epist. XXXIV.

blico statutus est, ut qui in eo consistunt, ab omnibus videri possint[1]; *Tribunal* verò, quòd, quemadmodùm *tribunal* locus erat excelsus ex quó jus tribubus reddebatur, ità concionum locus in sublimi positus esset, ut commodiùs ex eo evangelica lex populo traderetur[2]. *Ambo* deniquè, quasi ascensus, seu locus editus à verbo ἀναβαίνω, hoc est *ascendo*, quòd gradibus ad eum ascenderetur.

V. Porrò locus ille sæpiùs habebatur inter chori cancellos, qui vulgò etiam nunc *tribunæ* nomine appellantur, quia hìc pontificis aderat sedes seu tribunal, hoc est, episcopalis cathedra, ex quâ verbum divinum audienti populo promebat orator. Hoc satis apertè demonstrat sanctus Gregorius Nazianzenus; cùm de suis agens concionibus, cancellos ipsos ab auditorum se mutuò impellentium ac protrudentium multitudine vim passos commemorat[3]; et beatus Gregorius Nyssenus, qui populum scribit ob acrius sermonis audiendi desiderium in ipsummet Sacrarium penetrâsse ac irrupisse[4].

Hìnc sæpè ex episcopali cathedrâ, sæpè ex altaris gradibus verba faciebant sancti Præsules, ut pluribus certisque testimoniis comprobatur.

Et certè quid aliud quàm episcopalem sedem indicare possunt nomina illa ab omnibus sanctis Patribus data suggestui, undè verba ad populum habebant, quem sanctus Gregorius Nazianzenus *sublimem thronum*, Gregorius Nyssenus *sublimem speculam*, Chrysostomus *cathedram*, Prudentius *sublime tribunal*, Augustinus *sublimem sedem*, Chrysologus *sedem sacerdotalem*, uno eodemque concentu appellant, ut ex dictis satis manifestum evadit?

[1] Walafridus Strab. de Reb. Eccles. cap. VI. — [2] Jacob. Pamel. ad Cypr. Epist. XXXIV. — [3] S. Greg. Nazianz. Orat. XLII, 26. — [4] S. Greg. Nyss. Orat. de S. Baptism.

Ex episcopali cathedrâ certè prædicabat Chrysostomus, quem omnes narrant scriptores ab exilio reducem è throno suo verba fecisse, ut à cunctis refertur historicis. Satis habeamus hìc unum pro multis allegare; hæc apud Socratem leguntur : « Multitudo prodit illi obviàm; cum summâ reverentiâ rectà ad ecclesiam deducit; orat ut sedem episcopalem capessat, moreque consueto pacem populo precetur. Cùm ille recusaret, diceretque hoc non antè faciendum esse quàm tùm causa ejus judicio esset disceptata, tùm hi qui ipsum condemnârant, mutatâ sententiâ, absolverent, populus magis incendi cœpit; tanta cupiditas eum eùm in sede collocatum videndi, tùm de integro audiendi illam incesserat. Itaquè populi impulsu res sic confecta est. Cùm esset in sede episcopali locatus, et de more pacem populo precatus fuisset, coactus necessitate, etiam concionatus est [1]. » — Eadem prorsùs à Georgio Alexandrino [2], à Cassiodoro [3], et Nicephoro [4] relata legere datur. Nec credas illud per accidens quoddam, et non per consuetum morem accidisse, cùm illi dicant populum flagrare cupiditate audiendi eum *pro more* docentem, et maximè, dùm secundò pelleretur in exilium, hæc iterùm de illo narrentur : « Post ineffabiles illas tenebras, immensamque caliginem (ob Chrysostomum in exilium pulsum), flamma de medio throno, in quo Joannes sedere consueverat, et veluti medio in corpore positum cor, eloquia Domini cæteris membris exponere, repentè prosiliens verbi Dei doctorem requirebat, quem ubi non invenit, sedem totam depascebatur, ac speciem arboris proferens ad tectum usquè servabat [5]. »

Ex altaris autem gradibus prædicâsse aliquandò Cæsa-

[1] Socrat. Hist. eccles. lib. VI, cap. 16. — [2] Georg. Alexand. in Chrys. Vitâ, cap. 49. — [3] Cassiod. Hist. Tripart. lib. X, cap. 34. — [4] Niceph. Hist. eccles. lib. XIII, cap. 16. — [5] Pallad. Dialog. cap. 8.

rium refert Cyprianus diaconus in ejus Vitâ : « Cùm die quâdam esset ad altare Cæsarius, animadvertit quosdam, lecto evangelio, ex ecclesiâ egredi... Mox igitur appellat his vocibus populum : Quid facitis, filii? quid ità foràs absceditis, malâ persuasione subversi? State pro animabus vestris ad accipienda verba adhortationis nostræ, eaque auscultate solliciti : non licebit id vobis in illo tremendo judicii die; moneo, clamo, obtestor. Ne sitis, obsecro, vel surdi, vel profugi : auditis oris mei buccinam, perindè ac si animas vestras suo mucrone Satan jugularet; non ego taciturnitatis arguar [1]. » —Neque istud casu accidisse credideris, cùm ità Apollinaris Sidonius, Eucharistico carmine, Faustum Reiensem alloquatur :

> « Seu te conspicuum gradibus venerabilis aræ
> Concionaturum plebs sedula circumsistit [2].

Nec minùs ex sancto Gregorio Nysseno plana fit hujus facti veritas, qui sic habet in sæpiùs jàm laudatâ concione, ubi de Baptismo sermonem faciens : « Ne contemnas, inquit, divinum Lavacrum, neque id tanquàm commune propter usum aquæ pauci facias... Nàm et altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est naturâ communis, nihil differens ab aliis cunctis lapidibus [3]. » Et in alio sermone : « Quæ ordinamus attendite, quæ dicimus audite, quæ facimus approbate, nec pro voluntate vestrâ, sed pro dispositione nostrâ prædicationis nostræ percipite rationem; et sivè cùm dicimus de gradu isto, sivè cùm de sacerdotali sede pro temporis ratione tractamus, ut oves bonæ, ut chari greges, dilecta pignora, sine fastu impigrè ac toto fidei cursu convenite, concurrite; nec vos locorum mutatio tàm propinqua, et spatia sic arctata aut reddant desides, aut faciant murmurantes [4]. » Per gradum enim,

[1] Cypr. diac. in Vitâ S. Cæsar. — [2] Sidon. Apollin. carm. Eucharist. — [3] S. Gregor. Nyss. Orat. de S. Baptism. — [4] Id Serm. CLXXIII.

gradus altaris evidenter intelligi dantur. Sic autem probabiliùs prædicabant, cùm intrà missarum solemnia sacram Evangelii lectionem evolverent.

Ex ambone verò lectorum qui extrà chori cancellos exurgebat, et in medio basilicæ gremio, concionatos sæpiùs sanctos Patres minimè dubitabit, qui hunc Georgii Alexandrini de beato Chrysostomo locum oculis vel perstringere voluerit : « Semel ipsum (Chrysostomum) hortatus est Flavianus ut, conscenso ambone, Scripturas populo ex tempore explanaret, non autem de scripto. Ille contrà molestè tulit, ob idque veniam petiit; tùm Flavianus magis ipsum urgebat : tandem coactus ille à suâ conscientiâ, et habens in se ipso virtutem Spiritûs sancti per munditiam cordis sui, primùm ascendit in ambonem sermonem ad multitudinem dirigens[1].»—Quod etiam docuit nos Sozomenus de eodem referens, « quòd tanta erat eorum frequentia qui concionibus illius inhiabant, ut quoniam illi ex mutuo compulsu atque obtritu periclitarentur, dùm singuli prorsùm nituntur semper, ut propiùs astantes dicentem certiùs audiant, ipse medium se omnibus exponens *è suggestu lectorum* docuerit[2]. »

[1] Georg. Alexandr. Vit. Chrysost. cap. 17. — [2] Sozom. Hist. eccles. lib. VIII, cap. 5.

CAPUT VI.

De methodo in concionibus adhibitâ.

De veterum concionatorum methodo disserturi, cùm maximi ponderis occurrant quæstiones, hic paulò diutiùs immoremur. Proindè dicemus 1° de variis orationum *generibus*; 2° de variis orationum *partibus*; 3° de variis *circumstantiis* ad utrumque pertinentibus.

ARTICULUS I.

De variis apud antiquos orationum generibus.

Quinque orationum genera apud antiquos usurpata deprehendimus, nempè *Catecheses*, *Homiliæ*, *Sermones*, *Panegyrici* et *Invectivæ*.

I. *Catecheses*, græcè κατήχησις quorum nomen à κατὰ, *super*, et ἦχος, *sonus*, derivatur, simplices erant institutiones quibus fideles primis imbuebantur religionis principiis. Tales sunt sancti Cyrilli Hierosolymitani ad baptizandos adhortationes, in quibus planè et faciliter illos quid credendum sit aut faciendum edocere nititur. Tales etiam sancti Chrysostomi, sancti Augustini, et aliorum sermones ad neophytos. Imò et regulas hujus scribendi generis idem sanctus Augustinus in libro de Catechizandis rudibus fusiùs exposuit, quas qui perlegere voluerit, adeat hujus nostri operis tertiam partem, ubi illas eò libentiùs rescripsimus, quòd in Ecclesiâ nihil magis necessarium, nihil-

que simùl magis ignotum existat quàm sapiens puerorum rudiumque institutio. Ipsum delectabit audire Augustinum eâdem quâ hæreticos debellavit linguâ, rudes animos catechizantem, nec verba, quibus onereturmemoria, sed facta, quibus illuminetur intellectus, ingerentem.

Hìc autem ubi de exemplis potiùs agitur, quàm de præceptis, liceat ob oculos legentium ponere, quæ et quomodò recens ad vitam fidei natos doceret sanctus Cyrillus Hierosolymitanus. Lectis primùm his Apostoli verbis : *Ego autem accepi à Domino, quod et tradidi vobis* [1]; sic indè exordium ducens sublime et arduum Eucharistiæ mysterium evolvebat.

« Vel hæc sola beati Pauli institutio abundè sufficiens est, ut certam vobis de divinis mysteriis fidem faciat : quibus digni habiti, concorporei et consangues Christi facti estis. Ille enim modò clamabat : *Quòd in eâ nocte, quâ tradebatur Dominus noster Jesus Christus, sumpto pane et gratiis actis, fregit, et dedit suis Discipulis dicens : Accipite, manducate; hoc est corpus meum. Et sumpto calice, ac gratiis actis, dixit : Accipite, bibite; hic est sanguis meus* [2]. Cùm igitur ipse pronuntiaverit, et dixerit de pane : *Hoc corpus est meum;* quis audebit deinceps ambigere? Et cùm ipse asseveraverit et dixerit : *Hic est meus sanguis* [3]; quis unquàm dubitaverit, aiens non esse ejus sanguinem?

» Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Canâ Galilææ transmutavit [4]: et eum parùm dignum existimabimus cui credamus, cùm vinum in sanguinem transmutavit? Ad nuptias corporales vocatus, stupendum hoc miraculum effecit : et non eum multò magis *Filiis*

[1] 1 Cor. xi, 23. — [2] Ibid. 23-25. — [3] Matth. xxvi, 27, 28. — [4] Joan. ii, 1-10.

thalami nuptialis [1] corpus suum et sanguinem fruenda donâsse confitebimur?

» Quare cum omni persuasione tanquàm corpus et sanguinem Christi (illa) sumamus. Nam in figurâ panis datur tibi corpus, et in figurâ vini datur tibi sanguis; ut cùm sumpseris corpus et sanguinem Christi, concorporeus et consanguis ipsi efficiaris. Sic etenim Christiferi efficimur, distributo in membra nostra corpore ejus et sanguine; sic juxtà beatum Petrum *divinæ fimus consortes naturæ* [2].

» Olim Christus cum Judæis disserens aiebat : *Nisi manducaveritis meam carnem et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis ipsis* [3]. Cùm autem illi ea, quæ dicebantur, non spiritualiter accepissent, *offensi abiérunt retrò*, existimantes quòd eos ad manducandas carnes hortaretur [4].

» Erant et in antiquo fœdere panes propositionis : verùm illi cùm ad Vetus Testamentum attinerent, finem acceperunt. In Novo verò Testamento, panis est cœlestis et *poculum salutaris* [5], animam et corpus sanctificantia. Quemadmodùm enim panis corpori conveniens est, ità et verbum animæ consentaneum.

» Quamobrem ne tanquàm nudis (et communibus elementis), pani et vino (eucharisticis) attende. Sunt enim corpus et sanguis Christi, secundùm Domini asseverationem. Nàm etiamsi illud tibi suggerat sensus, fides tamen te certum et firmum efficiat. Ne judices rem ex gustu; sed ex fide citrà ullam dubitationem certus esto te corporis et sanguinis Christi dono dignatum fuisse.

» Cujus rei quæ sit vis, explicat David, dicens : *Parâsti in conspectu meo mensam ex adverso iis qui affligunt me* [6]. Quod autem ait, hujusmodi est : Antè adventum

[1] Matth. IX, 15. — [2] 2 Petr. I, 4. — [3] Joan. VI, 54. — [4] Ibid. 61, 62 et 67. — [5] Psal. CXX, 4. — [6] Id. XXVI, 5.

tuum mensam dæmones hominibus apparaverant contaminatam[1], inquinatissimam, et diabolicâ potestate refertam. Verùm postquam advenisti, ô Domine, *Parâsti in conspectu meo mensam.* Quandò homo Deo dicit : Parâsti in conspectu meo mensam, quid aliud significat præter mysticam et intelligibilem mensam quam Deus nobis apparavit. *Ex adverso*, hoc est, ex adversâ parte, et oppositam dæmonibus? Et rectè quidem : mensa enim illa communionem habebat cum dæmonibus; isthæc verò cum Deo. *Impinguâsti in oleo caput meum*[2], oleo caput tuum impinguavit in fronte, per signaculum quod habes Dei, ut efficiaris effigies signaculi, sanctificatio Dei[3]. *Et calix tuus inebrians me quasi optimus*[4]. Vides hìc eum calicem dici, quem cùm sumpsisset Jesus in manus, et gratias egisset, dixit : *Hic meus est sanguis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*[5].

» Idcircò et Salomon eam gratiam in Ecclesiaste significans, ait : *Veni, comede in lætitiâ panem tuum* (spiritualem panem). *Veni :* Vocat nimirùm salutari, et quæ beatos facit, vocatione. *Et oleum super caput tuum effundatur.* Vides-ne quemadmodùm etiam mysticum chrisma designet : *Et omni tempore sint tua vestimenta candida, quia Deo accepta sunt opera tua*[6]. Priùs enim quàm ad gratiam accederes, *vanitas vanitatum*[7] erant opera tua; postquàm verò exuisti vetera vestimenta, et ea, quæ sunt spiritualiter candida, induisti, semper candidis vestitum esse oportet. Non hoc dicimus, quòd vestibus albis te semper indui necesse sit : sed quæ verè alba sunt et splendida (et spiritualia), his te indutum oportet, ut juxtà beatum Hesaïam dicas : *Exultet anima*

[1] Malach. I, 7. — [2] Psal. XXII, 5. — [3] Exod. XXVIII, 32, juxtà LXX, et 36, juxtà Vulgatam. — [4] Psal. XXII, 5. — [5] Matth. XXVI, 28. — [6] Eccle. IX, 7, 8. — [7] Id. I, 2.

mea in Domino : induit enim vestimento salutaris, et tunicam lætitiæ circumposuit mihi[1].

» Isthæc edoctus, et certissimâ imbutus fide quòd qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi ; et quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ità gustui videatur, sed sanguis Christi ; quòdque eâ de re antiquitùs in Psalmis aiebat David : *Et panis cor hominis confirmat, ut exhilaret faciem in oleo*[2] : confirma cor tuum, panem illum tanquàm spiritualem sumens, et animæ tuæ faciem exhilara. Quam utinàm faciem retectam habens in purâ conscientiâ, gloriam Domini velut in speculo contemplans [3], eas ex gloriâ in gloriam, in Christo Jesu Domino nostro, cui honor et potestas et gloria in sæcula sæculorum. Amen [4]. »

Quis in hâc brevi mystagogicâ exhortatione non miretur perfectum illum veritatis, sublimitatis, simplicitatisque consensum? Hìc, ut familiari sancto Chrysostomo comparatione utar, paratur convivium quod exquisitis cibis doctorum mentes satiet, et lacteo succo rudium sustentet animos. Nec ideò credendum est ità ingratum esse hoc dicendi genus, ut nullam eloquentiæ ad excitandos pietatis motus ansam præbeat. Felici enim arte doctrinam præmittebant sancti Doctores, quâ religiosis affectibus via sterneretur, sicut et fœcundo solis calori præludit madidus auroræ rutilantis fulgor. Testis sit vivida illa peroratio quâ idem sanctus Cyrillus concludit admirabilem de Cruce catechesim :

« Sume igitur primùm pro insolubili fundamento Crucem, eoque reliquæ fidei consectaria inædifica. Ne Crucifixum abneges : si enim abnegaveris, multos habes qui te

[1] Isaï. LXI, 10. — [2] Psal. CIII, 15. — [3] 2 Cor. III, 18. — [4] S. Cyril. Hieros. Catech. XXII, Mystag. IV, integra.

revincent. Primus te arguet proditor Judas : ipse enim qui prodidit, novit eum à principibus sacerdotum et senioribus damnatum ad mortem fuisse [1]. Testantur triginta argentei [2]; testatur Gethsemane [3] locus ubi proditio peracta fuit. Nondùm dico montem Olivarum, in quo orabant præsentes [4] (Apostoli) noctu ; testatur quæ in nocte lucebat luna. Testatur dies et sol deficiens [5] ; nec enim insidiatorum crimen videre sustinuit. Arguet te ignis cui astans calefaciebat se Petrus [6] : si Crucem negaveris, manebit te ignis æternus. Dura dico, ne tu dura experiare. Recordare ruentium super illum in Gethsemane gladiorum [7], ne tu æternum gladium patiare. Arguet te Caïphæ domus, quæ præsenti vastitate potestatem ejus ostendit, qui tunc in eâ judicatus est. Exurget tibi ex adverso in die judicii Caïphas ipse : exurget et minister qui Jesu colaphum impegit [8], et qui ligavêrunt, et qui abduxêrunt. Exurget adversùm te et Herodes et Pilatus, ità fermè loquentes : « Quid negas eum qui coràm nobis à Judæis calumniis est appetitus, quem nos nihil peccâsse probè calluimus [9] ? Ego enim Pilatus tunc lavi manus [10]. Stabunt contrà te ipsi falsi testes [11] ; et milites qui purpureum ipsi induêrunt vestimentum, spineamque imposuêrunt coronam [12], et in Golgotha crucifixêrunt [13], deque tunicâ sunt sortiti [14]. Arguet te Simon Cyrenæus qui crucem portavit post Jesum [15].

» Convincet te ex sideribus, sol deliquium passus [16] : ex terrenis verò rebus, myrrhatum vinum [17] ; ex cannis arundo [18] ; ex herbis hyssopum ; ex marinis spongia ; ex arboribus, Crucis lignum. Milites, sicut dixi, qui

[1] Matth. xxvii, 3. — [2] Id. xxvi, 16. — [3] Ibid. 36. — [4] Luc. xxii, 39. — [5] Id. xxiii, 45. — [6] Joan. xviii, 18. — [7] Matth. xxvi, 55. — [8] Joan. xviii, 22. — [9] Luc. xxiii, 14, 15. — [10] Matth. xxvii, 24. — [11] Id. xxvi, 60. — [12] Joan. xix, 2. — [13] Ibid. 17. — [14] Ibid. 24. — [15] Id. xxii, 1-6. — [16] Id. xxiii, 45. — [17] Marc. xv, 23. — [18] Matth. xxvii, 48.

clavis confixêrunt, et de vestibus sortem jecêre [1]; miles qui lanceâ latus ejus aperuit [2]; mulieres quæ tunc affuêrunt [3]. Velum templi tunc discissum [4]; Pilati prætorium', virtute ejus, qui tunc Cruci affixus est, nunc in solitudinem redactum [5]. Golgotha iste sanctus supereminens, et hùc usquè conspicuus: atque in præsentem diem fidem faciens, quomodò petræ propter Christum eo tempore sunt scissæ [6]. Proximum quoque monumentum, in quo conditus est; et ostio impositus lapis, qui ad hunc usque diem proximè monumentum jacet. Angeli qui tunc præsentes fuêre [7]: mulieres quæ post resurrectionem adoravêre [8]; Petrus et Joannes qui ad monumentum concurrêre [9]; et Thomas qui manum in latus ejus, et digitos in clavorum vestigia inseruit [10]. Pro nobis enim ille diligenter contrectavit: quodque tu, qui præsens non affuisti, inquisiturus eras, id ille præsens altiori Dei consilio conquisivit.

» Habes duodecim Apostolos Crucis testes, et terram universam, ac mundum credentium in Crucifixum hominum. Hoc ipsum quòd nunc ades, Crucifixi virtutem tibi persuàdeat. Quis enim te nunc ad hunc cœtum adduxit? qui milites? quibus es vinculis coactus? quæ te nunc adursit judicis sententia? Verum salutare Jesu tropæum, Crux, omnes hùc coëgit. Hoc Persas servituti addixit, et Scythas cicuravit. Hoc Ægyptiis in locum felium et canium, ac multiplicis erroris, Dei notitiam impertivit. Hoc in hodiernum usque diem morbos curat, effugat dæmones, veneficiorumque atque incantationum evertit imposturas. *Hoc cum Jesu olim apparebit ex cœlo* [11]? Præcedet enim regis tropæum; ut Judæi quidem *videntes quem pu-*

[1] Matth. XXVII, 35. — [2] Joan. XIX, 34. — [3] Matth. XXVII, 55. — [4] Ibid. 51. — [5] Ibid. 27. — [6] Ibid. 51 et 60. — [7] Joan. XX, 12. — [8] Matth. XXVIII, 9. — [9] Joan. XX, 3, 4. — [10] Ibid. 27. — [11] Matth. XXIV, 30.

pugérunt[1], et ex Cruce eum, quem ignominiâ affecêrunt, recognoscentes, lamentis conficiantur : (at illi quidem deplorabunt se tribus contrà tribus [2]; tunc enim pœnitebit eos, cùm non erit tempus pœnitentiæ :) nos autem gloriemur, de Cruce plaudentes ac gestientes : adorantes eum, qui missus et pro nobis crucifixus est, Dominum; adorantes quoque Patrem, à quo missus est, Deum, cum sancto Spiritu, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen[3].»

II. *Homiliæ*, græcè ὁμιλίαι, quod idem sonat ac latinè *conversatio*, familiares alïæ dicebantur orationes, quibus varii sacræ Scripturæ textus suâ quisque vice exponebantur. Nondùm enim excogitaverant antiqui exquisitum illud *Homiliarum* genus, quo unum Evangelii factum ità explicandum suscipitur, ut omnia ad comprobandum idem argumentum concurrant, qualis est, verbi gratiâ, illa nostri *Burdalii* in *Magdalenam Homilia*, ubi sagaciter ex Evangelio ostendit multa peccata illi dimissa fuisse, quia dilexit multùm, et illam multùm dilexisse, quia multa fuêrunt dimissa peccata. Sancti autem Doctores non tàm directâ difficilique viâ procedebant, sed omnia Evangelii verba resolvere contenti elegantem illum eloquentiæ apparatum contemnere videbantur. Hìnc jamdudùm gravis exorta inter doctos contentio, utrùm prior amplectenda methodus, an anteponenda posterior.

Non nostrum *certè* tantas componere lites.

Prior quidem majore nixa auctoritate, cùm illam in Evangelia Paulique Epistolas Chrysostomus, in Psalmos Dominique et Apostoli verba Augustinus, in Canticum Canticorum Bernardus, imò et alii in alia plerique sancti Doctores adhibere maluerint; posterior verò maximis recentiorum temporum viris acceptior, politiorisque ætatis

[1] Joan. XIX, 37, Zach. XII, 10-12, et Apoc. I, 7. — [2] Zach. XII, 12. — [3] S. Cyril. Hieros. Catech. XIII, n. 38-41.

adoravisse, ut hoc præmisso cultu regis benevolentiam sibi conciliarent. Cùm verò scirent ipsum regem suum non esse futurum, sed alienæ gentis, à regione suâ longè remotæ, ipsumque ad viri ætatem nondùm pervenisse, cur tantam peregrinationem suscipiunt? cur dona afferunt, quandò maximè cum periculo hæc facturi erant? Siquidem, hoc audito, Herodes turbatus est, turbatus item populus totus, cùm hæc ex illis audiret. At, inquies, hæc illi non præsciebant: verùm id cum ratione pugnat. Nàm etsi admodùm insipientes fuissent, ignorare non poterant se in urbem regi subditam venientes, taliaque nuntiantes, aliumque ab eo, qui tùm regnabat, regem esse monstrantes, sexcentis sese mortis periculis objici. Cur autem pannis involutum adorârunt? Nàm si vir saltem fuisset, dici potuisset illos, quòd opem ejus expectarent, se in apertum periculum conjecisse: quod tamen ipsum extremæ dementiæ fuisset Persam, barbarum, qui nihil commune haberet cum Judæorum gente, à propriâ terrâ discedere velle, ac patriam, cognatos et domum relinquere, seque alteri regno subjicere.

» Quòd si hoc stultum fuisset, quod sequitur longè stultius. Quidnam illud est? Quòd tàm longi spatium itineris emensi, postquàm adoraverant, et tantum apud omnes tumultum excitaverant, statim reversi sint. Quæ tandem vidêrunt regni insignia? Tugurium, præsepe, puerulum in cunabulis, matrem pauperem. Cuinam munera obtulêrunt, et quâ de causâ? An ea lex, is mos erat, ut omnibus per orbem nascentibus regibus id obsequii tribueretur? An semper terrarum orbem circuibant, ut quos scirent ex vilibus et pauperibus reges futuros, antequàm in regium solium ascenderent, adorarent? Nemo sanè illud dixerit. Cur ergò illum adorârunt? Si rerum præsentium causâ, quid se sperare poterant à puerulo et inope

matre accepturos? si futurorum gratiâ, undè scire poterant puerulum in cunabulis adoratum, eorum, quæ tùm gesta sunt, recordaturum esse? Quòd si mater illum admonitura erat, supplicio potiùs quàm præmio digni erant, qui in apertum periculum illum conjecissent. Exindè enim Herodes turbatus, quærebat illum, scrutabatur, et interficere tentabat. Atque ubiquè terrarum, qui aliquem in tenellâ ætate privatum, regnaturum esse palàm prædixerit, nihil aliud agit, quàm quòd ipsum neci tradat, vel contrà illum bella excitet innumera. Vides-ne quanta hinc absurda nascantur, si secundùm rerum humanarum seriem, vulgaremque morem res exploretur? Neque tamen hæc tantùm, sed etiam multò plura dici possent, quæ majores iis, quas suprà diximus, parerent quæstiones. Sed ne difficultates difficultatibus nectentes, in caliginem obscuritatemque vos dejiciamus, age demùm ad quæsitorum solutionem properemus, et à stellâ ducamus initium. Si enim discamus quæ vel qualis illa sit, an ex numero aliarum, an diverso ab illis, an naturâ suâ, an specie tantùm stella, tunc facilè cætera omnia sciemus. Undè ergò hæc comperiamus? ex ipsâ Scripturâ. Quòd enim hæc stella non ex numero aliarum, imò ne stella quidem esset, ut mihi quidem videtur; sed invisibilis quædam virtus, quæ stellæ speciem præferret, primò ab ejus itinere arguitur. Nulla enim, nulla utiquè stella est quæ tali pergat viâ: nàm et solem et lunam, et alias omnes stellas ab Oriente videmus ad Occidentem pergere: hæc verò stella à Septentrione ad Meridiem ferebatur: Palæstinæ quippè hic situs est, si Persidem spectes. Secundò illud etiam à tempore probari potest: neque enim noctu apparet, sed in meridie, lucente sole, quam vim nec stella, imò ne luna quidem ipsa habet, quæ licèt omnia astra superet, orto

solis fulgore, statim occultatur, nec conspicitur. Hæc verò stella splendoris sui vi etiam solis radios splendore superabat, majoresque emittebat radios. Tertiò probatur, quòd ea modò lucem emitteret, modò cessaret : nàm venientibus in Palæstinam luxit; postquàm autem Jerosolymam advenerant, sese occultavit : deindè Herode relicto, postquàm illum de causâ itineris certiorem fecerant, iter suscepturis apparuit : quod certè non stellæ motui competit, sed virtuti intelligentiâ præditæ. Neque enim proprium sibi cursum habebat ; sed ubi pergendum erat, illa pergebat ; ubi standum, stabat, secundùm opportunitatem omnia dispensans ; sicut columna illa nubis quæ Judæis monstrabat, quandò castra movere, quandò sistere oporteret [1]. Quartò, ab ipso lucendi modo id clarè discitur : non enim in alto cœlo constituta, neque enim poterant illo modo dirigi, sed infernè demissa locum monstrabat. Nostis enim non posse stellam locum ità parvum monstrare, qui tugurium contineret ; imò locum qui corpus infantuli capere posset : quia enim immensa erat altitudo, non poterat stella tàm angustum locum indicare volentibus invisere. Illud verò ex ipsâ lunâ deprehendere est : quæ cùm stellas omnes tantùm superet, universis orbem incolentibus, et in tantâ terræ latitudine diffusis, vicina esse videtur. Quomodò igitur, quæso, locum ità angustum præsepis et tugurii stella ostendisset, nisi, relictâ illâ celsitudine, ad inferiora descendisset, et suprà caput ipsum pueri stetisset ? Quod subindicans Evangelista dicebat : *Ecce stella antecedebat eos, usquè dùm veniens staret suprà ubi erat puer* [2]. Vides-ne quot argumentis probatur hanc stellam non fuisse ex numero aliarum : neque secundùm seriem externæ illius genesis apparuisse ?

» Cur ergò apparuit ? ut Judæorum stupiditatem in-

[1] Exod. XIII, et Num. IX. — [2] Matth. II, 9.

cesserent, atque ingratis adimeret omnem defensionis ansam. Quia enim adveniens ille vetus institutum abrogaturus, orbemque ad unum eumdemque cultum deducturus, ipseque in mari et terrâ ubiquè adorandus erat, ab ipsis statim initiis ostium gentibus aperit, ut alienorum exemplo suos etiam erudiret. Quia enim cùm Prophetas frequenter audirent de ipsius adventu sæpè loquentes, non admodùm attendebant, effecit ut barbari de terrâ longinquâ venirent, qui regem apud ipsos natum inquirerent; et persicâ voce primùm ea ediscerent quæ à Prophetis discere noluerant : ut si probè se gererent, maximam arriperent ad obtemperandum ansam; sin verò contenderent, omni prorsùs excusatione vacui essent. Quid enim dicere possint ii, qui Christum à tot Prophetis annuntiatum non suscepêrunt, cùm viderint Magos ex unius stellæ visu ipsum suscipientes et adorantes? Quod igitur circà Ninivitas fecerat Jonam mittens, et quod circà Samaritanam et Chananæam, idipsum etiam per Magos fecit. Ideòque dicebat : *Viri Ninivitæ surgent, et condemnabunt*[1]; et, *Regina Austri surget, et condemnabit generationem hanc*[2]; quoniam illi minoribus credidêrunt; hi verò neque majoribus. At cur illos, inquies, per talem visum adduxit? At quomodò oportuit? An Prophetas mittere? Sed Magi Prophetis non credidissent. An vocem supernè proferre? Verùm non attendissent. An Angelum mittere? Sed hunc quoquè forsitan præteriissent. Quapropter, illis omnibus omissis, Deus summâ utens indulgentiâ, per consueta vocat illos, ostenditque stellam magnam ab aliis diversam, ut ipsos et ex magnitudine et ex pulchritudine spectaculi percelleret, nec non etiam ex cursûs modo. Hæc et Paulus imitatus, ex arâ cum Græcis disserendi occasionem accipit, et poëtarum testi-

[1] Matth. XII, 41. — [2] Luc. XI, 41.

monia in medium adducit : Judæos verò circumcisionem memorans alloquitur, et eos, qui sub lege viverent, à sacrificiis orsus, doctrinâ imbuit. Quia enim consuetum sibi quisque morem libenter sequitur, et Deus et viri à Deo ad orbis salutem missi, ità res tractant. Nec itaquè indignum Deo putes quòd per stellam ipsos vocaverit : sic enim judaïca quoquè omnia improbabis, sacrificia nempè, purificationes, neomenias, arcam ipsumque templum. Hæc quippè omnia ex gentium crassitudine ortum duxêrunt. Attamen Deus ad errantium salutem his se passus est coli, quibus dæmonas gentiles illi colebant, illo tamen cultu tantisper mutato, ut illos paulatim à consuetudine abductos, ad sublimem illam philosophiam deduceret. Id quod etiam circà Magos effecit, cùm illos per stellæ visum vocavit, ut deindè sublimiores redderet. Postquàm igitur illos ad præsepe quasi manu deduxerat, non per stellam deindè, sed per Angelum ipsos alloquitur : sic illi gradatim meliores effecti sunt. Hoc ipsum fecit circà Ascalonitas et Gazæos[1]. Nàm postquàm quinque illæ civitates, arcâ ad se veniente, lethali plagâ percussæ sunt, cùm nullum ingruentibus malis remedium invenirent, vocatis vatibus et congregato cœtu, quomodò divinitùs immissum malum amoverent consultabant. Hìnc vatibus dicentibus vaccas indomitas et primiparas arcæ jungi oportere, ut nullo duce quò vellent irent[2]; hìncque exploratum fore an divinitùs, an casu quopiam immissus morbus esset. « Nam si, aiebant, jugum ex imperitiâ conterant, vel si ad mugientes vitulos vertantur, plaga casu acciderit; sin rectà pergant, neque vitulorum mugitum curent, neque ex viæ ignorantiâ aberrent, conspicuum erit ipsam Dei manum has urbes percussisse. » Quia igitur vatum dictis paruêrunt illarum civitatum incolæ,

[1] 1 Reg. v. — [2] Id. vi, 7.

Deus etiam, indulgentiâ usus, vatum sententiam secutus est; nec majestate suâ indignum putavit vatum prædictionem ad opus deducere, et fidem dictis eorum conciliare. Eò major enim res gesta videbatur, si Dei potentiam ipsi etiam inimici testificarentur, etsi eorum doctores de illâ calculum ferrent. Multa quoque similia Deum dispensantem animadvertimus; nàm ea etiam quæ ad Pythonissam spectant eodem dispensata sunt modo[1]: ut vos deinceps secundùm jàm dicta poteritis explicare. Hæc de stellâ à nobis dicta sunt, sed plura à vobis dici possint; nàm *Da sapienti occasionem et sapientior erit*[2].

» Jàm ad principium eorum, quæ lecta sunt, redeundum est: quodnam est principium? *Cùm natus esset Jesus in Bethlehem Judæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venérunt Jerosolymam*[3]. Magi stellam ducem secuti sunt; hi verò ne Prophetis quidem annuntiantibus credidêrunt. Cur autem nobis et tempus dicit et locum, dùm ait: *In Bethlehem*, et, *In diebus Herodis regis?* Quâ verò de causâ dignitatem etiam addidit? Quoniam et alius fuit Herodes qui Joannem occidit; sed hic tetrarcha, ille rex erat. Locum autem scribit et tempus dùm prophetias nobis veteres commemorat, quarum Michæas emisit his verbis alteram: *Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquàm minima es in principalibus Juda*[4]; alteram patriarcha Jacob, qui nobis tempus exprimit, magnumque signum adventûs ejus apponit; nàm ait: *Non auferetur princeps de Judâ, nec dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est: et ipse expectatio gentium*[5]. Sed illud quoque inquirendum est, quæ causa ipsis fuerit talia cogitandi, et quis illos ad talia agenda concitaverit: neque enim mihi videtur hæc

[1] Reg. xxviii, 7 et seqq. — [2] Prov. ix, 9. — [3] Matth. ii, 1. — [4] Id. xi, 6, et Mich. v, 2. — [5] Gen. xlix, 3.

posse ad solam stellam referri, sed ad Deum qui eorum animos concitavit: id quod etiam in Cyro fecit, cùm ejus animum induxit, ut Judæos dimitteret[1]; neque tamen illud ità operatus est, ut liberum ejus arbitrium tolleret. Quandoquidem et cùm Paulum ex alto vocavit, et gratiam suam et ejus obsequentiam conspicuam effecit[2]. At, inquies, cur non omnibus magis hoc ipsum revelavit? Quia non omnes crediturі erant; hi verò erant aliis paratiores. Siquidem cùm innumeræ gentes perirent, ad Ninivitas solùm Propheta missus est; dùmque erant in cruce latrones, et alter tantùm salutem nactus est; horum itaquè virtutem perpende; non quòd venerint, sed quòd cum fiduciâ et simpliciter egerint. Etenim ne subdolè missi videantur, et quo duce venerint, et viæ longitudinem narrant, et loquendi fiduciam exhibent; nàm aiunt: *Venimus adorare eum*[3]? neque populi furorem, neque regis tyrannidem reformidant: quapropter videntur mihi etiam contribulium suorum ductores domi fuisse. Nàm qui istìc illud dicere non dubitârunt, multò magis in patriâ suâ eâ de re locuti liberè fuerint, quippè qui et oraculum Angeli accepissent, et Prophetæ testimonium allatum. *Audiens autem Herodes*, ait, *turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo*[4]. Jure quidem Herodes, qui rex erat, sibi filiisque timebat: Jerosolyma verò quarè turbata est, quandoquidem ipsum et servatorem, et beneficum, et liberatorem jàm olim Prophetæ prædixerant? Cur ergò turbati sunt? Eodem animo quo olim beneficum Deum aversabantur et carnes illas ægyptiacas commemorabant, dùm tantâ fruerentur libertate. Tu verò mihi perpende accurata Prophetarum dicta: nàm illud ipsum jam olim prænuntiavit Propheta his verbis: *Cupient si facti sunt igne combusti; quia puer natus est*

[1] Paral. xxxvi. — [2] Act. ix. — [3] Matth. ii, 2. — [4] Ibid. 3.

nobis, et filius datus est nobis[1]. Attamen perturbati, non curant videre quod gestum est, non Magos sequuntur, non sciscitantur; ità nimirùm contentiosi et simul socordes præ omnibus erant : cùm par fuisset enim gloriari quòd rex ille apud se natus esset, quòd Persarum regionem ad se traxisset, ac fore videretur ut omnes sibi subditi essent, quandò res sic prosperè caderent et in melius proficerent; ac vel à principio imperium ità splendidum esset; illi tamen ne sic quidem in meliora mutantur, etiamsi nuper fuerant à captivitate persicâ liberati. Atquí par erat illos, etiamsi arcanorum et sublimium ignari fuissent, et ex præsentibus tantùm calculum posuissent, hæc cogitare tamen : Si natum regem nostrum ità formidant, multò magis, cùm adoleverit ipsum pertimescent, ipsique obsequentur, nostraque barbaricis splendidiora futura sunt. Sed nihil hujusmodi ipsorum animos erigit : tanta scilicet erat illorum socordia cum livore conjuncta : quod utrumque vitium nos oportet diligenter arcere, eumque qui adversùs ista aciem instruet, igne ferventiorem esse. Quamobrem dicebat Christus : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur*[2]. Ideòque Spiritus ignis specie apparuit.

» Verùm nos cinere frigidiores, et mortuis stupidiores facti sumus; licèt Paulum videamus super cœlum et cœlum cœli volantem, et vehementiùs quàm ipsa flamma omnia vincentem et superantem, superna, inferna; præsentia, futura; ea quæ sunt et ea quæ non sunt. Quòd si hoc exemplum suprà te est, jam torporis est iste obtentus. Quid enim plùs quàm tu habuit Paulus, ut dicas non posse te illum imitari? Verùm ne quid contentiosiùs dicere videamur, Paulo dimisso, primos fideles consideremus, qui

[1] Isaï. IX, 6. — [2] Luc. XII, 49.

pecunias et possessiones, et curam et occupationes omnes sæculares repudiârunt, totosque se Deo consecrârunt, nocte dieque semper verbi doctrinæ attendentes. Hæc est enim spiritualis ignis natura, ut nullam rerum sæcularium cupiditatem relinquat, sed in alium transferat amorem. Quapropter talium rerum cupidus, etiamsi omnia profundere, etiamsi voluptatem et gloriam irridere, ipsamque animam tradere oporteat, cum magnâ facilitate hæc omnia perficit. Nam illius ignis ardor in animam ingressus, torporem omnem abjicit, et pennâ leviorem efficit eum quem invadit, ità ut omnia quæ sub aspectum cadunt, despiciat. Qui talis est, in perpetuâ compunctione deindè perseverat, fontes lacrymarum frequenter effundens, multamque indè voluptatem excerpens. Nihil quippè Deo ità conglutinat, et conjungit, ut lacrymæ hujusmodi. Vir talis, etsi in mediis urbibus habitet, quasi in deserto, in montibus et speluncis versatur, rebus præsentibus non attendit, neque hujusmodi fletibus unquàm satiatur, sivè pro se, sivè pro aliorum peccatis lacrymas effundat. Ideòque Christus hosce præ aliis beatos prædicat dicens : *Beati qui lugent*[1]. Cur verò Paulus dicit : *Gaudete in Domino semper*[2]? ut lacrymarum hujusmodi voluptatem declaret. Quemadmodùm enim mundi gaudium mœrorem habet conjunctum, sic et lacrymæ illæ secundum Deum lætitiam pariunt perennem, et quæ nunquàm deficiat. Sic meretrix illa virginibus clarior effecta est, hoc igne succensa. Quia enim pœnitentiæ fervore correpta est, Christi amore posteà exarsit, cùm solutis capillis, sacros illos pedes lacrymis rigavit, comâ suâ abstersit, atque unguentum effudit. Et hæc quidem extrinsecùs gesta sunt : illa verò quæ in animo agebantur, his longè ardentiora erant, quæ unus cernebat Deus. Quapropter

[1] Matth. v, 4. — [2] Philip. iv, 4.

quisque nostrûm hæc audiens, congratulatur ipsi, ac de ejus rectè factis lætatur, omnique crimine liberam illam putat. Quòd si nos, qui mali sumus, hunc calculum ferimus, cogita quantam acceperit gratiam, et quanta ex pœnitentiâ, etiam antequàm munera illa acciperet, à Deo consecuta sit bona. Sicut enim post vehementes imbres aër purus efficitur, sic post fusas lacrymas sequitur tranquillitas et serenitas, peccatorumque tenebræ fugantur. Et sicut ex aquâ et spiritu, sic ex lacrymis et confessione purgamur, modò non ad ostentationem et laudem captandam id faciamus. Nam quæ hâc de causâ lacrymatur, magis culpanda est, quàm ea, quæ fuco et pigmentis sese oblinit. Illas enim requiro lacrymas, quæ non ad ostentationem, sed ad compunctionem funduntur, quæ occultè in cubiculis, nullo teste, quæ quietè sine strepitu manant, quæ ex intimo cordis, ex afflictione et dolore, quæ propter Deum emittuntur, quales erant Annæ lacrymæ : *Ejus enim labia*, inquit Scriptura, *movebantur, et vox non audiebatur*[1]. Verùm lacrymæ solæ tubâ clariorem emittebant vocem ; ideòque vulvam ejus aperuit Deus, et durum saxum in agrum fertilem vertit.

» Si tu quoque sic lacrymeris, Domini tui imitator effectus es. Nam et ipse lacrymatus est et de Lazaro[2], et de civitate, et circà Judam turbatus est[3]. Idipsum porrò videre est sæpè facientem, ridentem verò nusquàm, imò ne subridentem quidem ; nullus certè hoc Evangelista narravit. Ideòque et Paulum flevisse, ac per triennium nocte et die idipsum fecisse, et ipse et alii de ipso narrant : quòd autem riserit, nec ipse, nec alius sanctorum de ipso dixit, imò nec de aliis ipsi similibus. De Sarâ tantùm id narratur, quandò correpta fuit, et de filio Noë, quandò ex libero servus effectus est. Hæc autem dico, non ut ri-

[1] 1 Reg. 1, 13. — [2] Joan. XI, 35. — [3] Luc. XIX, 41.

sum prorsus eliminem, sed ut dissolutionem auferam. Cur, quæso, ità gaudes et diffluis tot reddendis obnoxius rationibus, qui tremendo illi tribunali sistendus es, de tuis omnibus in hâc vitâ gestis rationem accuratè redditurus? Etenim de iis, quæ vel spontè, vel inviti fecimus, rationem reddemus : *Qui enim*, inquit, *negaverit me coràm hominibus, et ego negabo eum coràm Patre meo, qui in cœlis est* [1]. Atqui illa negatio (aliquandò) non voluntaria est, et tamen supplicium non effugit, ejusque dabimus pœnas, et tàm eorum quæ scimus, quàm eorum quæ nescimus? *Nihil enim mihi conscius sum*, inquit, *sed non in hoc justificatus sum* [2]. Sive ignorantes sive scientes peccemus : « *Testimonium enim illis perhibeo*, inquit, *quia æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam* [3]. Verùm id illis ad purgationem non sufficit. Corinthiis autem scribens aiebat : *Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ, sic corrumpantur sensus vestri, et excidant à simplicitate, quæ est in Christo* [4]. Tot tantorumque facinorum rationem redditurus, sedes ridens, urbanas facetias proferens, et voluptati indulgens? Sed si id non fecero, inquies, si luxero, quæ mihi hinc utilitas? Multa sanè, et tanta quanta explicare non possim. In sæcularibus enim judiciis quantumvis plores, non effugies supplicium post latam sententiam; hìc verò, si ingemiscas tantùm, sententiam solvisti, et veniam consequeris. Ideòque de luctu sæpè Christus nos admonet, et eos qui lugent beatos prædicat; illos verò qui rident, miseros declarat : hoc quippè theatrum non risum admittit : neque ideò convenimus, ut cachinnos effundamus; sed ut gemamus, atque ex hujusmodi gemitu regni hæreditatem nanciscamur.

[1] Matth. x, 33, et Luc. xii, 9. — [2] 1 Cor. iv, 4. — [3] Rom. x, 2. — [4] Cor. xi, 3.

Tu verò, si coràm imperatore steteris, ne subridere quidem audebis; et ipsum Angelorum Dominum domi habens, non stas tremens cum modestiâ decenti, sed rides illo etiam sæpè irato? Nec cogitat te illum magis ad iram concitare dùm hæc agis, quàm dùm peccas? Non enim ità peccatores aversatur Deus, ut eos qui post peccatum non sese cohibent. Attamen ità sunt quidam omni sensu vacui, ut post hæc audita verba dicant: Absit, ut unquàm lacrymas fundam, mihi verò id concedat Deus, ut semper rideam et ludam. Quid hujusmodi cogitatione infantius. Non enim Deus id dat ut ludamus, sed diabolus. Audi igitur quid passi sint ii qui ludebant: *Sedit*, inquit, *populus manducare et bibere, et surrexérunt ludere*[1]. Tales erant Sodomitæ; tales etiam illi tempore diluvii. Nàm de illis dicitur: *In superbiâ, in prosperitate, et in saturitate panum deliciis affluebant*[2]. Illi verò qui tempore Noë erant, cùm per tot annos construi arcam viderent, sine ullâ curâ vel sensu lætabantur, nihil de futuris rebus prospicientes; ideòque universos diluvium submersit, et commune orbis naufragium tunc effecit?

» Ne itaquè illa petas à Deo, quæ à diabolo accipis. Nam Dei est dare cor contritum et humiliatum, animum vigilem, temperantem, continentem, pœnitentem, compunctum. Hæc illius dona sunt, quia illis potissimùm indigemus. Certamen enim imminet grave, et adversùs invisibiles Potestates lucta nobis est, adversùs spiritualia nequitiæ pugna, adversùs Principatus et Potestates bellum; atque utinàm diligenter agentes, vigiles et concitati, possimus hoc ferum agmen sustinere! Si verò rideamus, et ludamus, ac semper socordes simus, etiam antè conflictum ex propriâ segnitie concidemus. Non nostrum itaquè est

[1] Exod. xxxii, 6. — [2] Ezech. xvi, 48.

perpetuò ridere, deliciari et convivari; sed eorum qui in scenâ ludunt, meretricum, virorum qui ad talia sunt adornati, parasitorum, adulatorum : non autem eorum qui ad cœlum vocati sunt; non eorum qui in supernâ civitate sunt descripti; non eorum qui armis spiritualibus sunt instructi; sed eorum qui diabolo sunt initiati. Ille namque est, ille qui hâc arte, hoc opere conatur Christi milites attrahere, illorumque animi molliores nervos efficere. Ideò theatra in urbibus struxit, et mimos illos exercens, illorum operâ, contrà totam civitatem, hanc pestem excitat; quam fugere Paulus jussit, stultiloquium nempè et scurrilitatem [1]. Quod autem horum omnium gravissimum est, risûs illius est occasio : quandò quidpiam aut blasphemum aut turpe inter ridicula mimi dixerint, tunc ex insipientioribus quidam rident et lætantur. Cùm lapidibus ipsos impetere oporteret, plaudunt illi super his, et per hanc voluptatem caminum ignis contrà caput suum attrahunt. Nàm qui talia dicentes laudant, ii sunt qui maximè id dicere suadent : ideòque supplicio hùic facinori debito justissimè obnoxii erunt. Etenim si nullus esset spectator, nullus prodiret histrio : cùm autem vos vident et officinas, et artes, et quæstum hìnc provenientem, atque uno verbo omnia relinquere, ut ad hæc spectacula accurratis, majori alacritate atque studio his operam adhibent. Hoc autem dico, non ut illos à crimine vindicem; sed ut discatis vos esse qui hujusmodi nequitiæ principium et radicem subministratis, qui totam diem his in rebus insumitis, honestum conjugii statum traducentes, et mysterium magnum dehonestantes. Neque enim histrio ille ità delinquit, ut tu, qui hæc fieri jubes; imò nec jubes modo : sed etiam curam adhibes, lætaris, rides, laudasque hujusmodi spectacula, omnique modo hanc foves dæmonum offici-

[1] Ephes. v, 4.

nam. Quibusnam, quæso, oculis uxorem tuam domi posteà videbis, quam ibi vidisti contumeliâ affectam? Quomodò non erubescis dùm conjugis tuæ recordaris, cùm ibi sexum ejus dehonestati videris?

» Ne mihi dixeris rem merè simulatam et histrionicam hæc esse : hæc enim histrionica multos effecit adulteros, multasque familias evertit. Ideòque maximè gemo, quòd illud ne malum quidem vobis esse videatur; sed plausus, clamor, risus multus adhibeatur, dùm adulterii hujusmodi spectaculum offerre audent. Quid dicis ea esse histrionicam simulationem? Ideò illi sexcentis suppliciis digni sunt, quoniam ea quæ leges omnes vitare jubent, eadem ipsi imitari student. Nàm si malum est illud, ejus est quoquè repræsentatio mala. Nondùm dico quot adulteros efficiant histrionica hujusmodi adulterii spectacula, quàm petulantes impudentesque efficiant spectatores; nihil enim lascivius, nihil petulantius oculo, qui hujusmodi spectacula ferre possit. Tu verò in foro quidem nudam mulierem aspicere nolis; imò neque domi : rem enim hujusmodi contumeliam vocas. In theatrum tamen ascendis, ut commune genus virorum mulierumque contumeliâ afficias, oculosque tuos deturpes? Ne mihi dixeris mulierem illam nudam, esse meretricem; utiquè idem ipse sexus, idem corpus est meretricis et liberæ. Si enim obscœni nihil eâ in re est, cur cùm in foro eadem ipsa videris, statim resilis, et inverecundam depellis? An cùm disjuncti sumus, id obscœnum est; cùm autem congregati unà sedemus, non perindè turpe est? Verùm hoc ridiculum ac dedecus est, et hæc verba extremam præ se ferunt dementiam : meliùsque esset cœno atque luto oculos oblinere, quàm ità fœdam et iniquam rem spectare. Neque enim tantùm damni oculo infert lutum, quantùm lascivus aspectus et nudæ mulieris spectaculum. Audi igitur

appetente die evanuêrunt : flores fuêrunt verni, et, vere exacto, emarcuêrunt omnia : umbra erant, et præteriêrunt : fumus erant, et soluta sunt : bullæ erant, et dirupta sunt : araneæ erant, et lacerata sunt. Quapropter spirituale hoc dictum occinimus, frequenter dicentes : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Hoc enim dictum in parietibus, in vestibus, in foro, in ædibus, in viis, in januis, in atriis, sed potissimùm in ipsâ cujusque conscientiâ continenter inscriptum esse oportet, omnique tempore cogitationi obversari : quandoquidem negotia fraudulenta et personata ac mimica veritatis opinionem apud plerosque sibi paravêrunt : hoc dicto, in prandio, in cœnâ, in cœtu hominum, quemque proximum suum compellare oportebat, idemque ab illo vicissim audire, nempè *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Annon assiduè tibi dicebam fugitivas esse divitias? tu verò nos non ferebas. Annon dicebam eas ingratum domesticum esse? tu verò credere nolebas : ecce experientia docuit non solùm fugitivas et ingratas, sed homicidas etiam esse, ut quæ in tremorem ac metum nunc te conjecerint. Nonne dicebam tibi, cùm me indesinenter objurgares vera monentem, me tibi potiùs amicum esse, quàm adulatores; me qui arguerem, majorem tuî curam gerere, quàm eos, qui tibi per omnia obsequerentur? Nonne et hoc addebam, fide digniora esse vulnera ab amicis, quàm voluntaria oscula inimicorum[1]? Si mea vulnera tulisses, haudquaquàm tibi illorum oscula hoc exitium attulissent : mea enim vulnera sanitatem afferunt, illorum oscula morbum immedicabilem tibi conciliavêrunt. Ubi nunc pocillatores tui? ubi qui in foro populum de viâ decedere cogebant, tuasque laudes passim apud omnes prædicabant? Transfugêrunt, abnegârunt tuam amicitiam, suam

[1] Prov. XXVII, 6.

securitatem tuis periculis quærunt. At non tales nos, sed et tunc quamvis ægrè ferentem non destituimus, et nunc collapsum protegimus ac curamus. Ecclesia à te hostiliter habita, expanso sinu te suscepit : theatra autem magnis obsequiis à te culta, quorum causâ sæpiùs nobis infensus fuisti, et prodidêrunt te et perdidêrunt : attamen nunquàm destitimus his te verbis alloqui : Cur ista facis? in Ecclesiam debaccharis, et te ipsum in exitium præcipitem agis : et tu hæc omnia monita negligenter prætercurrebas. Et circensis quidem multitudo exhaustis in se tuis facultatibus gladium in te acuit : Ecclesia verò importuno tuo furore exagitata, ultrò citròque cursitat, si quo pacto te ex his cassibus implicitum extricare queat?

» Et hæc nunc dico non quòd prostrato insultem, sed quòd eos qui adhùc stant, tutiores reddere cupiam : nec ut plagas vulnerati refricem, sed ut nondùm vulneratos in sanitate conservem : non ut jactatum fluctibus demergam, sed ut eos, qui secundis auris navigant, erudiam, ne fortè in profundum deferantur. Quo autem modo caveri possit? Nimirùm si rerum humanarum mutationes consideremus. Si enim iste mutationem timuisset, nunc eam non pateretur. Sed quoniam iste nec domesticis nec alienis consiliis corrigi potuit, vos saltem qui divitiis extollimini, hujus calamitatem in vestrum profectum convertite : nihil enim est humanis rebus infirmius : quapropter quocumque nomine earum vilitatem significaveris, minùs quàm pro rei veritate dixeris : vel si fumum eas, vel fœnum, vel somnum, vel flores vernos, vel quidlibet aliud nominaveris : usquè adeò sunt fragiles, et magis nihili quàm nihil ipsum; quòd autem non solùm nihili sint, sed et in præcipiti stent, vel hinc apparet. Quis hoc homine fuit excelsior? nonne in toto orbe divitiis præcellebat? nonne ad ipsa fastigia honorum con-

scendit? nonne omnes eum formidabant ac verebantur? Sed ecce factus est et vinctis miserior, et servis miserabilior, et mendicis fermè tabescentibus indigentior, per singulos dies gladios præ oculis habens in se exacutos, et barathra et carnifices, et viam quæ ad supplicium ducit : ac neque memoriâ præteritarum voluptatum fruitur, imò ne luce quidem communi, sed meridiè quoque tanquàm in densissimâ nocte angustiis parietum inclusus, oculorum usu privatur. Et quorsùm hæc commemorare attinet, cùm, quantùmvis annitar, nullis verbis exprimere valeam, quis illi animus sit, per singulas horas capitis supplicium expectanti? aut quid nostris verbis opus est, cùm ipse hæc nobis tanquàm in imagine depingat? Heri namque missis ad eum ab imperatore qui vel per vim hominem pertraherent, cùm ad sacrarium confugisset, nihilo meliorem, ut nunc quoque, quàm mortui colorem obtinebat : tunc dentium stridor, tremor totius corporis, vox singultiens et lingua titubans, in summâ talis habitus, qualem oportebat habere animam quæ lapidea esset.

» Hæc dico non exprobrandi causâ, neque insultans ejus infortunio, sed ut vestrum animum molliam, et ad commiserationem pertraham, eòque inducam ut præsenti hominis pœnâ sit contentus. Quoniam enim multi sunt à nostris adeò inhumani, ut nos etiam incusent, qui eum sacrario exceperimus; illorum duritiem nostris sermonibus mollire volens, miserias istius traduco. Quid enim est, quæso, dilecte, quod indignè fers? Dices, quia in Ecclesiam confugit, qui eam indesinenter impugnabat. Atqui hoc potissimùm nomine glorificandus erat Deus, quòd permisit eum in tantâ constitui necessitate, ut et potentiam Ecclesiæ et clementiam disceret : potentiam, eò quòd in tantam inciderit mutationem ob bella quæ ipsi intulerat : clementiam verò, quòd ipsum objecto

nunc scuto protegat, et alarum obtentu tueatur, præteritarumque injuriarum oblita, sinus ei amantissimè pandat. Hoc enim quovis tropæo splendidius, quâvis victoriâ illustrius; hoc Ethnicos, hoc Judæos pudefacit; hoc placiditatem vultûs ejus ostentat, quòd hosti captivo parcat, et ab omnibus desertum ac contemptum sola ut amantissima mater suis velamentis occultet, imperatoris simul iræ et intolerabili populi furori ac odio se opponens: hoc ipsum est eximium altaris ornamentum. Dices: Hoccine ornamentum, hominem scelestum, avarum, rapacem altare contingere? Cave talia dixeris; quandoquidem et meretrix pedes ipsius Christi contigit, incesta illa et impura; nec tamen hoc in crimen Domino Jesu cessit, sed in laudem magnam et admirationem: neque enim purum impura offendit, sed scelestam meretricem purus et inculpabilis suo contactu purificavit. Cave injuriarum memineris, ô homo. Crucifixi illius servi sumus dicentis: *Remitte illis, non enim sciunt quod faciunt*[1]. Dices: At præclusit hujus loci refugium legibus scriptis, quibus hoc irritum facere conatus est. At nunc reipsâ didicit, quale sit quod fecit: et suomet facto legem suam primus abrogavit, factus orbis totius spectaculum: et sileat licèt, omnes tamen admonet: Nolite hæc facere, ne qualia ego patiamini. Suâ calamitate alios docet, et altare hoc ipso illustrem ex se splendorem emittit, ac vel hinc tremendum videtur, quòd leonem vinctum contineat: quandoquidem et regiæ effigiei non tantùm ornatus ex eo contingat, si solio rex sublimi sedeat purpuratus et diademate redimitus, quantùm si sub pedibus quoque regiis barbari manibus post terga revinctis proni jaceant. Et quòd verbis non sit usus ad persuadendum paratis, vosmet festinatione vestrâ ac concursu attestamini. Etenim

[1] Luc. XXIII, 34.

præclarum hodiè nobis spectaculum et hilaris conventus contingit : nec minorem nunc video populi frequentiam, quàm in sacrâ Paschæ celebritate : adeò exciti estis istius silentio, quod impræsentiarùm quâvis tubâ clariorem sonum emittit. Et virgines thalamis, et mulieres gynæceis desertis, et viri foro vacuo relicto, universi hùc concurristis, ut humanam naturam traduci videretis, et sæcularium negotiorum momentaneam mutabilitatem detegi, illamque meretriciam faciem heri ac nudius tertius præclarissimè splendentem, (talis enim est ex alienis injuriis felicitas, quæ rugosâ quâvis aniculâ deformior apparet,) rerum mutatione tanquàm spongiâ quâdam tectoriâ fucosque abstersisse.

» Tanta nempè est hujus infortunii vis, quæ virum felicem ac conspicuum, nunc omnium abjectissimum reddidit ! Introëat dives aliquis, et magnam utilitatem percipiet : videns enim è tàm celso fastigio delapsum eum qui totum orbem metu concutiebat, ac formidine contractum, quâvisque ranâ aut lepore timidiorem, et absque vinculis columnæ huic hærentem, et vice catenæ timore affixum trementemque, reprimet arrogantiam, fastum exuet, et consideratis quæ in humanis casibus considerանda sunt, discedet reipsâ doctus, quæ Scripturæ nos docent ; quale est illud : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria hominis ut flos fœni : aruit fœnum, et flos ejus decidet* [1] : illud item : *Sicut fœnum velociter arescent, et sicut olera herbarum citò decident* [2] : *quoniam sicut fumus dies ejus sunt* [3] ; et reliqua similia. Contrà pauper introgressus, et hoc spectaculum animadvertens, non displicet sibi ipse, neque sortem suam deplorat ; sed gratias insuper paupertati habet, quæ sibi et asyli vice sit tutissimi, et portûs tranquillissimi et arcis

[1] Isaï. XL, 7. — [2] Psal. XXXVI, 2. — [3] Id. CI, 4.

munitissimæ : et his visis, si detur optio, mallet præsenti conditione contentus esse, quàm omnium facultatibus paulisper occupatis, mox in proprii sanguinis periculum venire. Vides non parvam utilitatem divitibus et pauperibus, et celsis et humilibus, servis et ingenuis, ex hoc istius refugio enatam esse? vides ut cum remedio quisque hinc abeat, hujus rei spectaculo affectus curans suos? Nùm igitur mollivi vestros animos, aut indignationem expuli? nùm inhumanitatem extinxi? nùm ad commiserationem adduxi? equidem adduxisse me opinor : idque ex vultibus vestris ac lacrymis colligo. Quandoquidem igitur petra cordis vestri in pinguem et fertilem agrum versa est, age jàm fructum quoquè misericordiæ proferentes, uberesque commiserationis spicas præ nobis ferentes, procumbamus imperatori ad genua : vel potiùs deprecemur benignissimum Deum, ut molliat iram imperatoris, et cor illi tenerum dare dignetur, quo hanc gratiam integram ab ipso auferre possimus. Jàm enim ex illo die quo hùc confugit iste, non parva est facta mutatio. Postquàm enim cognovit imperator eum ad asylum hoc se recepisse, affluente exercitu et concitato ob ejus crimina, deposcenteque hominem ad supplicium, longam habuit orationem, quæ militarem indignationem compesceret, postulans ut non culparum modò, sed etiam rectè factorum rationem haberent : ut qui pro illis gratiam haberet, et si quid secùs accidisset, tanquàm homini ignoscendum duceret. Cùm autem illi de integro urgerent ad vindictam læsi imperatoris, clamantes, exilientes, ad mortem deposcentes, hastas vibrantes : tùm verò fontes lacrymarum clementissimis suis oculis effundens, et sacrosanctæ mensæ, ad quam perfugerat, religionem illis incutiens, ægrè tandem iram eorum sedavit.

» Admoveamus igitur nos quoquè quæ à nobis adhi-

beri par est. Quâ enim ipsi veniâ digni essetis, si imperatore propriam injuriam condonante et oblito, vos nihil tale passi, in irâ obstinatè pergeretis? aut quomodò hoc spectaculo soluto sacramenta contrectabitis, et precationem illam dicetis, quâ rogare jubemur : *Dimitte nobis sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*[1], si à debitore vestro pœnas exigatis? Injuriis vos fortè magnis affecit ac contumeliis? Ne nos quidem istud inficias ibimus, sed non tribunalis est præsens tempus, sed misericordiæ potiùs : non repetundarum, sed clementiæ : non examinis, sed condonationis ; non suffragiorum ac calculorum, sed miserationis ac gratiæ. Ne igitur quis vestrûm accendatur, neve ægrè ferat, sed potiùs mitissimum Deum deprecemur, ut reo vitam proroget, eumque ex impendente cæde eripiat, ut ipse errata sua corrigat : et communi operâ interpellemus clementissimum imperatorem pro Ecclesiâ et altari, unum hominem sacrosanctæ mensæ donari obsecrantes. Quod si fecerimus et imperatori gratum faciemus, et Deus priùs quàm imperator factum nostrum approbabit, magnamque nobis hujus humanitatis mercedem retribuet. Sicut enim crudelem et inhumanum aversatur et odit ; ità misericordem et humanum amplectitur et amat : eique sivè justus sit, splendidiores plectit coronas : sivè peccator, peccata ejus dissimulat, commiserationis ergà conservum talionem illi retribuens. *Misericordiam volo*, inquit, *et non sacrificium*[2]. Et per universam Scripturam vides eum semper hoc requirere, atque hanc esse dicere peccatorum medelam. Proindè nos quoquè ad hunc modum illum propitium reddemus ; sic peccata nostra redimemus ; sic Ecclesiam ornabimus ; sic et imperator clementissimus, ut dixi, nos laudabit ; ità fiet ut universus populus nobis applaudat, et usquè ad

[1] Matth. VI, 12. — [2] Osee VI, 6o.

fines orbis terræ humanitatis et clementiæ nostræ fama celebretur, et hoc comperto ubiquè terrarum laude afficiamus. Ut igitur talibus bonis frui contingat, procidamus ad genua, obtestemur, deprecemur : eripiamus è periculis captivum, profugum, supplicem, ut et ipsi futura bona consequamur, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen [1]. »

Hùc etiam mihi spectare videtur altera Sermonum species, quibus celebranda Christi mysteria suscipiuntur. Nullus est enim inter veteres Evangelii Præcones, qui sublimia illa argumenta non fuerit aggressus. Non quæramus typum, sed primum occurrentem accipiamus. Sic beatus Augustinus Natale Christi fidelibus meditandum proponit, ut dogmati potiùs incumbat, quàm faveat affectibus.

« Natalis Domini et salvatoris nostri Jesu Christi, quo Veritas de terrâ orta est, et dies ex die in nostrum natus est diem, anniversario reditu nobis hodiè celebrandus illuxit : exultemus et jucundemur in eo. Quid enim nobis præstiterit tantæ sublimitatis humilitas, fides habet Christianorum, remotum est à cordibus impiorum; quoniam *Abscondit Deus hæc à sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis* [2]. Teneant ergò humiles humilitatem Dei : ut in hoc tanto adjumento, tanquàm in infirmitatis suæ jumento, perveniant ad altitudinem Dei. Sapientes autem illi et prudentes, dùm alta Dei quærunt, et humilia non credunt, ista prætermittentes, et propter hoc nec ad illa pervenientes, inanes et leves, inflati et elati, et tanquàm inter cœlum et terram in ventoso medio pependêrunt. Sunt enim sapientes et prudentes, sed hujus mundi, non illius à quo factus est mundus. Nàm si esset in eis vera sapientia, quæ Dei est et Deus est, intel-

[1] S. Chrys. Homil. in Eutrop. integra. — [2] Luc. x, 21.

ligerent à Deo carnem potuisse suscipi, nec eum in carnem potuisse mutari : intelligerent eum assumpsisse quod non erat, et permansisse quod erat; et in homine ad nos venisse, et à Patre non recessisse; et id eum perseverasse quod est, et nobis apparuisse quod sumus; et corpori infantili potentiam esse inditam, et mundanæ moli non esse subtractam. Cujus opus est apud Patrem manentis mundus universus, hujus opus est ad nos venientis Virginis partus. Dedit quippè indicium majestatis ejus Virgo mater, quàm virgo antè conceptum, tàm virgo post partum; à viro prægnans inventa, non facta : gravida masculo, sine masculo : felicior atque mirabilior fœcunditate additâ, integritate non peditâ. Hoc tàm grande miraculum malunt illi fictum putare, quàm factum. Ità in Christo homine et Deo, credere quoniàm non possunt humana, contemnunt; quoniam non possunt contemnere divina, non credunt. Nobis autem quantò illis abjectius, tantò sit gratius in humilitate Dei hominis corpus : et quantò illis est impossibilior, tantò sit divinior in hominis nativitate Virginis partus.

» Proindè Natalem Domini frequentiâ et festivitate debitâ celebremus. Exultent viri, exultent fœminæ : Christus vir est natus, ex fœminâ est natus; et uterque sexus est honoratus. Jàm ergò ad secundum hominem transeat, qui in primo fuerat antè damnatus. Mortem nobis persuaserat fœmina : vitam nobis peperit fœmina. Nata est similitudo carnis peccati, quâ mundaretur caro peccati : non itaquè caro culpetur, sed ut natura vivat, culpa moriatur : quia sine culpâ natus est, in quo is qui in culpâ fuerat, renascatur. Exultate pueri sancti, qui Christum præcipuè sequendum elegistis, qui conjugia non quæsistis. Non ad vos per conjugium venit, quem sequendum invenistis; ut donaret vobis contemnere per

quod venistis. Vos enim venistis per carnales nuptias, sinè quibus ille spiritales venit ad nuptias : et vobis dedit spernere nuptias, quos præcipuè vocavit ad nuptias. Ergò undè nati estis, non quæsistis; quia eum qui non ità natus est, plùs quàm cæteri dilexistis. Exultate, virgines sanctæ : Virgo vobis peperit, cui sine corruptione nubatis; quæ nec concipiendo, nec pariendo potestis perdere quod amatis. Exultate, justi : natalis est Justificatoris. Exultate debiles et ægroti : natalis est Salvatoris. Exultate captivi : natalis est Redemptoris. Exultate servi : natalis est Dominantis. Exultent liberi : natalis est Liberantis. Exultent omnes Christiani : natalis est Christi.

» Hic de matre natus istum diem sæculis commendavit, qui de Patre natus sæcula cuncta creavit. Nec illa Nativitas ullam habere potuit matrem, nec ista quæsivit hominem patrem. Deniquè natus est Christus, et de patre, et matre; et sinè pâtre, et sine matre : de Patre Deus, de matre homo; sine matre Deus, sine patre homo. *Generationem ergò ejus quis enarrabit*[1]? Sivè illam sinè tempore, sivè istam sinè semine; illam sinè initio, istam sinè exemplo; illam quæ nunquàm non fuit, istam quæ nec anteà nec posteà fuit; illam quæ non habet finem, istam quæ initium illic habet, nbi finem. Meritò ergò Prophetæ nuntiavêrunt nasciturum, cœli verò atque Angeli natum. Jacebat in præsepio continens mundum : et infans erat et Verbum. Quem cœli non capiunt, unius fœminæ sinus ferebat. Illa regem nostrum regebat; in quo sumus, illa portabat; panem nostrum illa lactabat. O manifesta infirmitas, et mira humilitas, in quâ sic latuit tota Divinitas! Matrem, cui subjacebat infantiâ, regebat potentiâ : et cujus ubera sugebat, eam veritate pascebat. Perficiat in nobis sua munera, qui sumere non abhorruit

[1] Isaï. LIII, 8.

etiam nostra primordia ; et ipse faciat nos Dei filios, qui propter nos fieri voluit hominis Filius [1]. »

Doctorem habuisti mysterium orthodoxis evolventem sermonibus ; rethorem audisti verborum, oppositione ludentem ; ausculta nunc, quæso, oratorem idem argumentum ità pertractantem, ut illud cunctis eloquentiæ perfundat divitiis.

« Mysterium novum et admirabile video : pastorum vocibus aures meæ circumsonant, qui non leni cantu sibilant, sed cœlestem hymnum concinunt. Angeli canunt, Archangeli modulantur, Cherubim hymnum dicunt, Seraphim glorificant, omnes festum celebrant, dùm in terris Deum, et hominem in cœlis cernunt : eum, qui sursùm est, propter dispensationem deorsùm versari : eum, qui deorsùm erat, propter benignitatem sursùm nunc versari. Hodiè Bethlehem cœlum imitata est : quæ stellarum quidem loco Angelos canentes excepit, solis autem loco justitiæ Solem incircumpscriptè complexa fuit. Neque hìc quæsieris, quomodò hoc factum sit : ubi enim Deus vult, sibi naturæ ordo cedit. Voluit enim, potuit, descendit, salvavit ; omnia Dei nutum sequuntur. Hodiè qui est gignitur, et rursùm qui est, fit id, quod non erat ; nàm cùm Deus esset, fit homo ; ab eâ tamen, quàm habebat, Deitate non excidit : neque enim cum Deitatis jacturâ factus est homo, neque rursùm per succedentia incrementa ex homine factus est Deus : sed Verbum existens, naturâ propriâ ob sui impatibilitatem manente immutatâ, factum est caro. Quandò autem natus est, Judæi quidem inusitatum partum negabant, Pharisæi verò perperàm sacros Libros interpretabantur, et Scribæ quæ legi erant contraria loquebantur. Herodes eum, qui natus erat, quærebat, non ut eum honore afficeret, sed ut eum interfi-

[1] S. Aug. Serm. CLXXXIV, de Natali Domini I.

ceret. Hodiè namque contraria cuncta cernebant. *Non* enim *sunt occultata*, ut cum Psalmorum Auctore loquar, *à filiis eorum in generationem alteram*[1]. Siquidem reges venêrunt, et cœlestem Regem suspexêrunt, quòd in terram venerit, non Angelos secum habens, non Archangelos, non Thronos, non Dominationes, non Virtutes, non Potestates, sed novâ et minimè tritâ incedens viâ ex illibato processerit utero ; nec tamen Angelos suæ gubernationis exsortes dereliquit, neque propter incarnationem suam à suâ excidit Deitate ; sed reges quidem venêrunt, ut cœlestem Regem gloriæ adorarent; milites autem, ut Principem exercitûs colerent ; mulieres, eum qui ex Virgine natus est, ut mulieris dolores in lætitiam commutet ; virgines, filium Virginis, admirantes quî fiat ut lactis Conditor, qui efficit ut uberum fontes spontanea fluenta diffundant, à Virgine matre pueruli alimentum accipiat ; infantes, eum qui factus est infans, ut *ex ore infantium et lactentium laudem perficeret*[2] ; pueri, puerum qui martyres ob Herodis insaniam effecit ; viri, eum qui homo factus est, ut servorum malis mederetur ; pastores, bonum Pastorem, qui animam pro ovibus suis ponit ; sacerdotes, eum qui factus est pontifex secundùm ordinem Melchisedech ; servi, eum qui servi formam accepit, ut nostram servitutem honore libertatis ornaret ; piscatores, eum qui ex piscatoribus hominum efficit venatores ; publicani, eum qui ex publicanis selectum Evangelistam designat ; meretrices, eum qui lacrymis meretriciis pedes suos exponit ; atque ut complectar brevi, peccatores omnes advenêrunt, ut Agnum Dei cernerent, qui tollit peccata mundi ; Magi, ut eum benedicant ; publicani, ut Evangelium prædicent ; meretrices, ut unguenta deferant ; Samaritana, ut fontem vitæ sitiat ; Chananæa, ut indubitatam fidem exhibeat.

[1] Psal. LXXVII, 4. — [2] Matth. XXI, 16.

Cùm igitur omnes exultent, mihi quoquè placet exultare; choreas agere volo, festumque celebrare : porrò choreas ago, non citharam pulsans, non thyrsum quatiens, non tibias inflans, non faces accendens, sed musicorum instrumentorum loco, Christi cunarum fascias gestans. Hæ namque mihi sunt spes, hæ mihi vita, hæ mihi salus, hæ mihi tibiæ, hæ mihi cithara : propterea et ipsas gestans advenio, ut earum virtute facultatem sermonis adeptus cum Angelis dicam : *Gloria in altissimis Deo;* cum pastoribus, *Et in terra pax, in hominibus beneplacitum*[1]. Hodiè qui ex Patre ineffabiliter genitus est, ex Virgine propter me inexplicabili modo nascitur. Sed tùm quidem secundùm naturam antè sæcula genitus est ex Patre, prout novit ille, qui genuit : hodiè verò rursùs ex Virgine præter naturam natus est, prout Spiritûs sancti novit gratia. Et superna ejus generatio vera est, et inferior ejus generatio minimè falsa : et verè Deus ex Deo genitus est, et verè homo idem ex Virgine natus est. Sursùm solus ex solo unigenitus, deorsùm solus ex solâ Virgine idem unigenitus. Sicut enim in supernâ generatione matrem intelligere impium est : sic et in inferiori generatione patrem existimare blasphemum est. Pater absquè defluxu genuit, et Virgo sine corruptione peperit : nam neque defluxum sustinuit pater, quippè qui, prout conveniebat Deo, genuit : neque Virgo corruptionem sustinuit pariendo, quippè quæ spiritualiter peperit. Undè neque superna ejus nativitas explicari potest, neque progressus ejus novissimis temporibus curiosè pervestigari se sinit. Nàm Virginem quidem hodiè peperisse scio, et Deum sine tempore genuisse credo : modum autem generationis silentio didici venerari, non oratione curiosè illam inquirendam accepi. Siquidem in Deo non rerum natura est attendenda,

[1] Luc. II, 14.

sed ejus, qui operatur, virtuti fides habenda. Lex enim est naturæ, cùm mulier matrimonio juncta parit : cùm verò virum non experta virgo, postquàm peperit, virgo rursùs apparet, tùm res naturam excedit. Quod igitur secundùm naturam fit, inquiratur : quod verò naturam superat, silentio colatur : non tanquàm fugiendum, sed tanquàm inenarrabile, dignumque quod silentio veneremur. Sed date mihi, quæso, hanc veniam, ut in exordio finem faciam dicendi. Cùm enim rerum sublimiorum investigationem attingere reformidem, quo pacto, aut quam in partem orationis clavum flectam nescio, Quid enim dicam, aut quid loquar? matrem video, quæ peperit; filium partu editum cerno : modum autem generationis non conspicio : vincitur enim natura, vincitur ordinis limes, quandò vult Deus. Non enim secundùm naturam est quod accidit, sed suprà naturam miraculum evenit. Quievit enim natura, sed Domini voluntas operata est. O ineffabilem gratiam! Unigenitus, qui est antè sæcula, qui tangi non potest, qui simplex est et incorporeus, corpus meum subiit corruptioni obnoxium, et aspectabile! Quam ob causam? ut conspectus doceat, docens autem ad ea, quæ non cadunt sub oculos, manu ducat. Nàm quoniàm oculos auribus fideliores esse existimant homines, de eo verò dubitant, quod non vident, propterea dignatus est et per corpus oculis conspectum suî præbere, ut dubitationem tolleret. Et nascitur ex Virgine, quæ rem ignorabat : nàm neque cooperata est ad rem gerendam, neque contulit quidpiam ad id quod fiebat : sed nudum fuit arcanæ virtutis ejus instrumentum; tantùm id noverat quod ex Gabriele sciscitata didicerat : *Quomodò mihi fiet istud, quia virum non cognosco* [1]? Tùm inquit ille : Vis hoc scire : *Spiritus sanctus veniet in te, et virtus Altissimi*

[1] Luc. I, 34.

obrumbrabit tibi [1]. Et quomodò cum ipsâ erat? et paulò post ex ipsâ? Quemadmodùm artifex, inventâ materiâ utilissimâ, vas pulcherrimum fabricatur : ità Christus, invento Virginis sancto corpore et animâ, templum sibi construxit animatum, et hominem, quâ ratione voluit, efformavit ex Virgine, eumque indutus hodiè processit, neque naturæ deformitatem erubuit. Neque enim probrosum illi fuit, ut suum opus ipse gestaret; ipsum quoquè opificium maximæ gloriæ cumulabatur, quod opificis sui fieret indumentum. Nàm quemadmodùm in primâ formatione fieri non poterat, ut homo constitueretur, antequàm lutum in ejus manus veniret : ità fieri nequit ut vas corruptibile transmutetur, nisi fiat opificis indumentum.

» Sed quid dicam, aut quid loquar? miraculum enim in admirationem me traducit. Antiquus dierum factus est infans [2], et qui in solio sublimi præcelsoque considet, in præsepio ponitur; et qui impalpabilis et simplex et incompositus, atque incorporeus est, humanis manibus contrectatur; qui peccatorum vincula disrumpit, fasciis, quia vult, stringitur. Statuit enim ignominiam vertere in honorem, infamiam induere gloriâ, et contumeliæ fines modum virtutis ostendere. Idcircò meum corpus subit, ut ejus Verbi ego capax fiam, et meam carnem suscipiens, Spiritum mihi suum largiens et accipiens, vitæ mihi thesaurum comparet. Carnem meam suscipit, ut me sanctificet : Spiritum mihi suum largitur, ut salvum me faciat. Sed quid dicam, aut quid loquar? *Ecce Virgo concipiet* [3]. Non jàm dicitur, ut futurum, sed suscipitur ut jàm factum : atque apud Judæos quidem factum est, apud quos dicebatur : à nobis autem creditur, apud quos ne nominabatur quidem. *Ecce Virgo concipiet.* Littera

[1] Luc. I, 35. — [2] Citatur hic locus à S. Cyrillo Alexand. in lib. ad Reginas. — [3] Isaï. VII, 14.

quidem Synagogæ est, possessio verò Ecclesiæ. Illa tabellas invenit, hæc margaritam invenit : illa lanam tinxit, hæc veste purpureâ est induta. Siquidem Judæa ipsum peperit, at orbis terrarum ipsum excepit. Synagoga ipsum aluit et educavit : Ecclesia ipsum tenuit, eoque potita est. Apud illam palmes vitis, et apud me racemus veritatis. Illa racemum vindemiavit, et gentes mysticam potionem bibunt. Illa granum frumenti in Judæâ seminavit; et gentes fidei falce segetem messuêrunt. Gentes rosam piè decerpsêrunt, et apud Judæos spina incredulitatis remansit : pullus avolavit, et assident nido stulti : folia litteræ interpretabantur Judæi, et fructum Spiritûs gentes decerpunt. *Ecce Virgo in utero concipiet.* Dic mihi, Judæe, dic mihi porrò quem peperit? fide mihi, saltem ut Herodi. Sed non fidis. Scio quam ob causam; propter insidias. Illi enim dixisti, ut eum interficeret : mihi verò non dicis, ut ne eum adorem. Quemnam verò peperit? Quemnam? naturæ Dominum. Licèt enim tu sileas, clamat natura : peperit enim, ut voluit partu edi, qui partu est editus. Non enim id à naturâ permittebatur, sed ut naturæ Dominus, inusitatum nativitatis modum invexit, ut ostendat se hominem factum non ut hominem partu edi, sed ut Deum nasci. Ex Virgine igitur hodiè prodiit, quæ naturam vicit, et nuptias superavit. Etenim sanctitatis dispensatori conveniebat, ut puro et sancto partu in lucem ederetur. Ipse namque est, qui è terrâ virgine quondàm formavit Adamum, ex Adamo verò sine muliere mulierem efformavit. Sicut enim sinè muliere protulit mulierem Adamus, sic etiam Virgo sine viro hominem hodiè peperit. Homo enim est, inquit, et quis cognoscet eum? Nàm quoniam hominibus genus muliebre beneficium debebat, utpotè quòd Adam sine muliere mulierem produxerat : propterea Virgo sine viro hodiè

peperit, ac pro Evâ debitum viri persolvit. Ut enim non superbiret Adamus, quòd sinè muliere mulierem protulisset, idcircò et mulier sinè viro peperit virum, ut miraculi communione naturæ æqualitatem ostenderet. Nàm quemadmodùm ab Adamo costam abstulit, et Adamum nihil imminuit : sic et in Virgine animatum templum effinxit, et virginitatem minimè solvit. Salvus et incolumis remansit etiam post costæ privationem Adamus : incorrupta etiam Virgo permansit, postquàm infans ex eâ prodiit. Idcircò autem non aliundè sibi templum extruxit, neque aliud corpus formatum induit, ne massam Adami contumeliæ afficere videretur. Nam quoniam deceptus homo, diaboli instrumentum factus erat, propterea ipsum qui supplantatus fuerat tanquàm animatum templum assumit, ut propter hanc cum suo Conditore conjunctionem ipsum à diaboli consuetudine ac familiaritate divelleret. Verumtamen dùm fit homo, non ut homo partu editur, sed ut Deus nascitur. Si enim ex communi conjugio prodiisset, ut ego, figmentum à vulgo existimatus esset. Jamverò idcircò ex Virgine nascitur, nascens autem, et uterum illibatum conservat, et intemeratam virginitatem custodit, ut inusitatus pariendi modus magnæ mihi fidei conciliator existat. Undè sivè me Gentilis, sivè Judæus interroget, nùm Christus, cùm secundùm naturam Deus esset, homo præter naturam sit factus, dicam : Sic est : et testem inviolatum virginitatis sigillum citabo. Ità nàmque Deus est, qui naturæ ordinem vincat : ità ventris est fictor, et virginitatis inventor, qui et immaculatum habuerit nativitatis modum, et ineffabiliter templum sibi, quo voluerit modo, construxerit. Dic mihi, ergò, Judæe, peperit-ne Virgo, annon ? Si enim peperit, inusitatum partum confitere : quòd si non peperit, cur Herodem fefellisti ? Tu enim ipsi sciscitanti ubi Christus

nasceretur dixisti : *In Bethlehem Judææ* [1]. Nùm igitur ego pagum noveram aut locum? nùm ego dignitatem ejus, qui natus erat, perspectam habebam? Nonne Esaïas ipsius tanquàm Dei mentionem fecit? *Pariet enim*, inquit, *filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuël*[2]. Nonne vos improbi inimici veritatem introduxistis? nonne vos, Scribæ et Pharisæi, diligentes legis observationes omnes res ejus docuistis? Numquid hebraïcam linguam nos callemus? Nonne vos Scripturas interpretati estis? Postquàm Virgo peperit, et antequàm pareret, ne videretur locus ille in gratiam Domini exponi, nonne vos interrogati ab Herode testem Michæam prophetam protulistis, ut sermonem vestrum confirmaret? *Et tu enim*, inquit, *Bethlehem, domus Ephrata, nequaquàm minima es in principibus Juda : ex te enim exiet Dux qui reget populum meum Israël*[3]. Rectè dixit Propheta : *Ex te*. Ex vobis exiit, et in orbem terrarum venit. Qui enim est, progreditur ; qui verò non est, creatur, aut fit : at ipse et erat, et antè erat, et semper erat : sed erat quidem semper ut Deus, mundum gubernans ; hodiè verò prodiit : ut homo, populum regit ; ut Deus autem, orbem terrarum salvum facit. O benignos hostes! O modestos ac mites accusatores, qui natum in Bethlehem Deum esse imprudentes indicârunt ; qui latentem in præsepio Dominum notum fecêrunt ; qui jacentem in speluncâ inviti indicârunt, et beneficio nolentes suâ sponte nos affecêrunt, revelârunt, cùm occultare conarentur. Vides imperitos magistros? Quæ docent ipsi nesciunt : fame confecti nutriunt, sitientes potum præbent, egestate pressi ditant. Venite igitur, festum agamus, venite, solemnitatem celebremus. Inusitatus enim est festivitatis modus, quandoquidem et incredibilis est sermo nativitatis. Hodiè nàmque vetus

[1] Matth. II, 3.— [2] Isaï. VII, 14. Matth. I, 23, et Luc. I, 31.— [3] Mich. V, 2.

solutum est vinculum, diabolus confusus est. Dæmones aufugêrunt, destructa mors est, paradisus reseratus, maledictio delèta est, peccatum è medio sublatùm est, ablatus est error, veritas rediit, et pietatis sermo undequaquè disseminatus est, et cucurrit; conversatio Cœlitum in terris plantata est, Angeli cum hominibus communicant, homines cum Angelis intrepidè colloquuntur. Quid ità? quoniam Deus in terram venit, et homo in cœlum; omnia passim commixta sunt. Venit enim in terrâ, cùm totus in cœlo sit : cùmque totus in cœlo sit, totus est in terrâ. Cùm esset Deus, factus est homo, non negans se Deum esse : cùm esset Verbum impatibile, factus est caro : ut habitaret in nobis, caro factus est. Deus enim factus non est; sed erat. Propterea caro factus est, ut quem cœlum non capiebat, hodiè præsepium susciperet. Propterea ponitur in præsepio, ut is, à quo nutriuntur omnia, pueruli alimentum à Virgine matre accipiat. Propterea futurorum sæculorum pater, tanquàm ab ubere pendens infans, virgineas minimè refugit ulnas, ut Magis accessu facilis fiat. Siquidem et hodiè Magi advenêrunt, et tyrannum abnegandi initium fecêrunt, et cœlum gloriatur, dùm per stellam Dominum suum indicat, et super nubem levem corporis sui sedens Dominus currit in Ægyptum : et fugere quidem Herodis videtur insidias, re autem verâ quod ab Esaïâ dictum fuerat adimplet. *Erit enim*, inquit, *in die illâ Israël tertius in Assyriis et Ægyptiis; benedictus erit populus meus in terrâ, quam benedixit Dominus Sabaoth, dicens: Benedictus erit populus meus qui in Ægypto, et qui in Assyriis, et qui in Israël*[1]. Quid ais, Judæe? qui primus eras, tertius factus es? Ægyptii et Assyrii tibi antelati sunt, et primogenitus Israël, numero posterior est? Ità est, meritò As-

[1] Isai. XIX, 24, 25.

syrii primi erunt : quandoquidem et ipsi primi per Magos eum adoravêrunt. Ægyptii verò post Assyrios, quandoquidem ipsum Herodis insidias fugientem excepêrunt. Postremo verò loco numeratur Israël, quandoquidem post ascensum ejus ex Jordane tùm demùm per Apostolos eum agnovêrunt. Ingressus est autem Ægyptum concutiens Ægypti manufacta, non quoquo modo, sed postquàm Ægypti vestibula conclusit interitu primogenitorum. Propterea tanquàm primogenitus hodiè ingressus est, ut antiquæ mœstitiæ luctum solveret. Primogenitum verò dici Christum testatur hodiè Lucas evangelista cùm dicit : *Et peperit filium suum primogenitum, et pannis involvit eum, et acclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio* [1]. Ingressus est igitur Ægyptùm ut antiquæ mœstitiæ luctum solveret : et plagarum loco gaudium invexit, et loco noctis atque tenebrarum, lumen salutis largitus est. Contaminata tunc fuit aqua fluminis immaturæ ætatis infantium cæde : ingressus est igitur in Ægyptum is, qui aquam rubram reddiderat, et fluminis fluentis vim gignendi salutem indidit, eorumque impuritatem ac sordes Spiritûs virtute purgavit. Afflicti fuêrunt Ægyptii, et furore correpti Deum abnegârunt. Ingressus est igitur in Ægyptum, religiosas animas cognitione Dei complens, effecit ut flumen fœcundiores spicis martyres aleret. Sed propter angustias temporis hoc loco statui finem facere dicendi, quod reliquum est negotii vobis in diem sequentem reservaturus : hìc autem orationi finem imponam, ubi hoc explevero, quo pacto nimirùm, cùm impatibile Verbum esset, caro factum sit, immutatâ manente naturâ. Quid dicam, aut quid loquar? Fabrum et præsepe video, et infantem, et cunarum fascias, et Virginis partum rebus necessariis destitutum, omnia eges-

[1] Luc. II, 7.

tate pressa, omnia plena paupertatis. Vidisti divitias in multâ paupertate? Quomodò, cùm dives esset, egenus est nostrâ causâ factus? quomodò neque lectum, neque stragulum habuit, sed in nudo præsepi erat projectus? O paupertatem, divitiarum fontem! O divitias immensas, paupertatis speciem præ se ferentes! In præsepi jacet, et orbem terrarum concutit: fasciis cunarum involvitur, et peccati vincula disrumpit. Nondùm in vocem articulatam erupit, et Magos edocuit, et ad conversionem commovit. Quid dicam, aut quid loquar? Ecce infans fasciis involvitur, et in præsepi jacet; adest autem et Maria quæ virgo et mater est; aderat autem et Joseph, qui pater appellatur. Hic vir dicitur, illa uxor vocatur: legitimà sunt nomina copulatione destituta. Verborum tenùs hæc mihi intellige, non rerum tenùs. Hic solùm desponsavit, et Spiritus sanctus obumbravit ei. Undè dubitans Joseph, quid appellaret infantem nesciebat. Ex adulterio natum dicere ipsum non audebat, probrosum in Virginem jacere sermonem non poterat, filium ipsum dicere suum refugiebat: probè nàmque sciebat sibi ignotum esse, quo pacto, vel undè infans natus esset: quam ob causam illi de re dubitanti, de cœlo oraculum Angeli voce delatum est: *Noli timere, Joseph: quod enim ex eâ genitum est, de Spiritu sancto est* [1]. Spiritus enim sanctus Virgini obrumbravit. Quarè verò ex Virgine nascitur, et virginitatem illibatam servat? quia quondàm virginem Evam decepit diabolus, idcircò ad Mariam, quæ virgo erat, felicem nuntium Gabriel detulit. Sed decepta quidem Eva peperit verbum, quod mortem intulit: at felicem nuntium accipiens Maria Verbum in carne genuit, quod vitam nobis æternam conciliat. Verbum Evæ lignum indicavit, per quod lignum è paradiso Adamum

[1] Matth. 1, 20, et Luc. 1, 35.

expulit : Verbum autem quod ex Virgine prodiit, crucem exhibuit, per quod latronem vice Adami in paradisum introduxit. Nàm quoniam neque Gentiles, neque Judæi, neque Hæretici credebant Deum sine passione ac defluxu genuisse, propterea hodiè ex patibili corpore progressus, impatibile conservavit corpus patibile, ut ostenderet quemadmodùm ex Virgine natus virginitatem non solvit, ità Deum quoquè, non defluxu nec mutatâ manente sacrâ substantiâ, tanquàm Deum, prout Deo conveniebat, Deum genuisse. Postquàm enim homines, eo derelicto, statuas sibi humanâ præditas formâ sculpsêrunt, quibus in Creatoris contumeliam cultum deferebant, propterea Dei Verbum, cùm Deus esset, hodiè in hominis formâ apparuit, ut mendacium dissolveret, et occultè in se ipsum cultum omnem transferret. Huic igitur, qui res impeditas ità reddidit expeditas, Christo Domino gloriam afferamus et unà Patri et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen[1].

IV. *Panegyrici*, nomen habent quod ex græco sermone depromptum apud Romanos Cicero usurpavit ad illas orationes significandas, quibus virtutes præclarissimorum virorum justis laudibus extolluntur. Græci enim dicunt πανήγυριν, totam populi concionem (πᾶν, omnis, ἄγυρις concio); πανηγύρικον autem orationem solemniorem coràm omni multitudine habitam. Panegyricos ergò sermones sublimius quoddam dicendi genus commendet necesse est; absit autem ab oratore christiano vana illa concionum species, quæ inani vapore tumentes, nihil habent quod ad audientium utilitatem conferat; quæ mentes subtiliori cogitationum apparatu, auresque suaviori elocutione demulcent, quin virtutis amorem aut vitii odium insinuare conentur; quas deniquè Scripturæ verbis, profanâ inopiâ, destitutas philosophum potiùs

[1] S. Chrys. Homil. II in Natal. Christ.

quàm sacerdotem; academiam, quàm Ecclesiam; cathedram deniquè vanitatis, quàm veritatis tribunal decere non immeritò dixerim. Non eodem modo christianus celebrabo Ludovicum, quo paganus celebravit Plinius Trajanum; quibus optimè Codrus extolleretur laudibus, malè ornarentur Christi Martyres; encomium aliud Lucretiæ virtus requirit, aliud sanctarum Virginum integritas. Vis autem perfectissimum istius orationis exemplar attendere, habes apud sanctum Chrysostomum beati Luciani martyris certamina concinentem. Hìc nobiles sententias, nobilioremque elocutionem cum frequentibus Scripturarum oraculis, regulisque morum et pietatis affectibus apprimè consentientem reperies.

Primò quidem ex ipso, quo versabatur, tempore exordium ducit, festumque Epiphaniorum vix transactum martyris festo consocians : « Heri, inquit, Dominus aquâ baptizatus est, hodiè servus sanguine baptizatur; hesterno die cœli portæ sunt reseratæ, hodiè inferorum portæ sunt conculcatæ. Neque miramini quòd baptismum martyrium nuncupârim : nàm et hìc Spiritus cum multâ advolat ubertate, ac peccatorum abolitio, et animæ fit purgatio quædam mirabilis ac stupenda : et quemadmodùm ii, qui baptizantur, aquis, ità qui martyrium patiuntur, proprio sanguine abluuntur. »

Deindè transit ad narrationem facti; factum autem illud est, quòd cùm Lucianus fame diù maceratus fuisset, necnon et acerbissimis addictus suppliciis, nihil aliud interroganti tortori respondebat, nisi hoc breve : *Christianus sum.* Quâ autem eloquentiæ copiâ illud evolverit argumentum attende : « Cùm diabolus omne suppliciocum ac pœnarum genus ab eo derisum animadverteret, ac se neque accensâ fornace, neque barathro effosso, neque rotâ paratâ, neque cùm in equuleum sustulisset,

neque cùm in præcipitia projecisset, neque cùm dentibus ferarum objecisset, sancti philosophiam superare potuisse ; aliud acerbius genus excogitavit, quærensque circumibat, ut supplicium inveniret, quod simul et acerbissimum esset et longissimum... Quid ergò facit? fami sanctum hunc exponit. At tu cùm de fame audis, ne quod dictum est oscitanter prætereas : est enim illa mors omnium acerbissima... Etenim tanquàm visceribus intùs insidens carnifex quispiam, omnia membra dilaniat, quovis igne ferâque sæviùs corpus omni ex parte corrodit, ac continuum et inexplicabilem dolorem inurit. Atque ut quanta res sit fames intelligas, etiam liberos sæpenumerò devorârunt matres, cùm istius mali violentiam ferre non possent. Et hanc deplorans calamitatem Propheta, dicebat : *Manus mulierum misericordium coxérunt filios suos* [1]; quos pepererant comedebant, et natorum infantium venter, qui pepererat, sepulcrum efficiebatur ; et naturam fames superavit... At hujus sancti generositatem minimè superavit. Quis ergò cùm hæc audierit, non obstupescat?..... (Quæ) matres vicit, ac partus oblivisci coëgit, hunc supplantare non potuit,.. sed quovis adamante firmior permanebat, seque bonâ spe oblectabat : materiam agonum se nactum gloriabatur, et ex certaminum oblatâ occasione, consolabatur, præsertim quotidiè Paulum dicentem audiens : *In fame et siti, in frigore et nuditate* [2]. Et rursùs : *Usquè in hanc horam et esurimus et sitimus, et nudi sumus et colaphis cædimur* [3]. Noverat quippè, noverat probè illud : *Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* [4]. Ut autem illum improbus dæmon vidit tantâ rei necessitate non frangi, graviorem cruciatum reddidit ; etenim sumptis idolothytis, eisque mensâ refertâ, antè conspec-

[1] Thren. IV, 10. — [2] 2 Cor. XXI, 27. — [3] 1 Cor. IV, 11. — [4] Matth. IV, 4.

tum ejus collocari eam curavit, ut facultas utendi animi robur infringeret. Non enim adeò irretiri solemus cùm res eæ, quibus allicimur, non apparent, ac cùm oculis observantur; quandòquidem et mulierum cupiditatem faciliùs quis superaverit, dùm mulierem formosam non videt, quàm si sæpè oculos in eam intendat. Verumtamen has quoquè insidias justus vicit, quodque fortitudinem ejus diabolus infracturum putabat, hoc eum magis ad certamina corroboravit et instruxit; non enim tantùm nihil ab idolothytorum aspectu lædebatur, sed ea magis idcircò aversabatur et oderat... Dùm pollutam et execrandam mensam intueretur, alterius mensæ tremendæ ac Spiritu repletæ recordabatur, adeòque inflammabatur, ut quævis sustinere ac pati statueret potiùs quàm impuros illos cibos degustare. Recordabatur et illius trium puerorum mensæ, qui juvenes capti, omnique patrocinio destituti, in terrâ alienâ ac barbarâ regione tantam philosophiam ostendêrunt ut ad hunc usquè diem ipsorum fortitudo celebretur... Hæc itaquè secum reputans, diaboli malitiam irridebat, calliditatem contemnebat, neque ad quidquam quæ cerneret flectebatur. Postquàm autem se nihil proficere sceleratus ille vidit, ad tribunal rursùs eum deducit, et tormentis admotis frequenter interrogabat. Ille verò ad unamquamque interrogationem tantùm respondebat : *Christianus sum.* Ac dicente tortore, quânam ex patriâ ortus es? *Christianus sum*, ait. Quam artem profiteris? *Christianus sum.* Quibus parentibus natus es? Ille verò ad omnia dicebat : *Christianus sum*; hoc uno ac simplici verbo diaboli caput percutiens, et illi continua sibique succedentia vulnera infligens. Quanquàm ille quidem externis imbutus fuerat disciplinis; at probè noverat in ejusmodi certaminibus non esse opus eloquentiâ, sed fide : non dicendi facultate, sed animâ Dei amore suc-

censâ. Unum, inquit, verbum ad omnem diaboli turmam in fugam vertendam sufficit. Ac videtur quidem iis qui rem accuratè non examinant, minùs conveniens esse responsio; sed si quis attentiùs eam consideret, ex hâc quoquè sapientiam martyris animadvertet. Qui enim, *Christianus sum*, dixit, et patriam, et genus, et artis professionem, et omnia declaravit. Quo tandem pacto? ego dicam : Christianus urbem in terrâ non habet, sed Jerusalem quæ sursùm est. *Illa enim* inquit *quæ sursùm est Jerusalem, libera est; quæ est mater nostra* [1]. Christiano terrena nulla est professio, sed ad supernam conversationem vitæ pertinet : *Nostra enim*, inquit, *conversatio in cœlis est* [2]. Christianus cognatos habet sanctos omnes ac cives : *Sumus enim*, inquit, *cives sanctorum et domestici Dei* [3]. Itaquè uno verbo et quis esset, et undè, et ex quibus, et quid agere soleret exactissimè docuit, et vitam cum hâc voce finivit, abiitque salvum referens Christo depositum, ac posteris ex iis, quæ passus est, cohortationem reliquit, ut insistant, nihilque nisi pollutum et negationem tantùm reformident. »

Deniquè cùm omnium mentes in beati Martyris admirationem sustulit, eorumdem oculos morali exhortatione ad se ipsos reflectit, dicens : « Hæc itaquè nos etiam cùm noverimus, pacis tempore bellicis in rebus nos exerceamus : ut cùm belli tempus advenerit, illustre nos quoquè tropæum erigamus. Famem contempsit ille; delicias et nos contemnamus, ac ventris tyrannidem evertamus, ut si tempus adveniat, quod tantam fortitudinem à nobis reposcat, in minoribus anteà rebus exercitati, præclari in scammate compareamus. Coràm principibus ille ac regibus liberè locutus est; hoc nos faciamus nunc quoquè, ac si in opulentorum et illustrium paganorum conventibus

[1] Gal. IV, 26. — [2] Philip. III, 20. — [3] Ephes. II, 19.

consideamus, fidem cum fiduciâ profiteamur... Et quemadmodùm imperator in capite diadema, sic et nos ubiquè confessionem fidei circumferamus[1]. »

Quis hæc audiendo, tàm strenuum Christi militem non miraretur? quis ad ejus imitationem non exultaret? quis sibimet ipsi non exprobraret cordis vana metuentis imbecillitatem? Dùm exaltatur martyr, instruuntur mores, animi illustrantur, mentesque ad virtutem sancto impulsu incitatæ properant. Opponantur huic brevi, religiosæ, simplicique orationi, tàm elucubrati, tàm compti, tàm expoliti quorumdam recentiorum panegyrici, et sapiens unusquisque dicat, utrùm hæc pauca cum illo, an hæc multa cum istis scripsisse maluerint.

Non facundè minùs S. Basilius sanctorum Quadraginta-Martyrum encomium celebrat. Cujus hæc sunt verba aticam eloquentiam spirantia :

« Postquàm autem promulgatum est impium illud scelestumque edictum, ut ne quis confiteretur Christum, alioqui subeunda pericula essent, tùm nullum non intentabatur genus suppliciorum, atque judices iniquitatis accendebantur multâ irâ ac ferinâ in hos pietatis cultores. Insidiæ ac doli eis tendebantur, studiosiùsque exquirebantur varia tormentorum genera. Tortores implacabiles erant, ignis paratus, gladius acuebatur, crux defixa, fossa, rota, flagella. Alii conjiciebant se in fugam, alii succumbebant, alii fluctuabant. Quidam verò antè experimentum minis solis absterriti sunt. Alii cruciatibus jàm non longè dissitis, vertigine laborârunt : alii aggressi certamina, deindè ad finem usquè laborum perseverare haud valentes, in medio ferè certamine despondentes animum, non secùs atque hi, qui in mari tempestate jactantur, etiam partas jàm patientiæ merces naufragio amisêrunt.

[1] S. Chrys. Serm. de S. Lucian.

Tunc igitur invicti illi ac strenui Christi milites prodeuntes in medium, ostendente præfecto imperatoris litteras, ac obedientiam exigente, liberâ voce, confidenter fortiterque, nihil tormentorum aspectu perterrefacti, neque minas formidantes, esse se Christianos confessi sunt. O beatas linguas, quæ sacram illam vocem emisêrunt, quam cùm aër recepit, sanctificatus est; quâ auditâ plausum excitârunt Angeli, diabolus verò, unà cum dæmonibus sauciatus est : quam deniquè Dominus inscripsit in cœlis.

» Itaquè unusquisque eorum in medium prodiens, dixit : *Christianus sum.* Et quemadmodùm in studiis, ad certamen qui accedunt, simul dicunt nomina sua, et ad certaminis locum transeunt : ità et hi quoquè tunc ea, quæ sibi ortus indiderat, nomina abjicientes, à communi Salvatore suum quisque nomen desumpsêre, idque fecêre singuli, adeò ut sequens priori semet adjungeret. Ex quo factum est omnium nomen unum : quippè jàm non erat talis aut talis, sed Christiani vocabantur omnes. Quid igitur tunc præfectus? Nàm callidus erat et varius, tùm ut seduceret blanditiis, tùm ut minis subverteret. Primùm quidem blanditiis pelliciebat, firmitatem pietatis atque constantiam frangere conatus : Juventutem vestram ne prodatis, neve cum morte intempestivâ hujus vitæ jucunditatem commutetis. Nàm abs re fuerit eos, qui in bellis fortiter agere consuevêrunt, maleficorum morte interire. Ad hæc pollicebatur pecunias. Rursùs dabat honores ab imperatore, dignitatumque distributiones, atque sexcentis ipsos versutiis expugnare nitebatur. Cùm autem nihil emollirentur hoc tentamine, transit ad aliud artificii genus. Plagas eis mortemque et suppliciorum intolerabilium periculum intentat. Et hic quidem talia, Martyres verò qualia? Quid, inquiunt, offerendis muneribus tuis, ô hostis Dei! inescas nos, ut secedamus à Deo vivente, et exitio-

sis dæmonibus inserviamus? Quid tantum dederis, quantum conaris auferre? Odi munus, quo damnum inferatur: non suscipio honorem dedecoris parentem. Pecunias das hìc permansuras, gloriam marcescentem. Notum me facturus est imperatori, sed à vero Rege abalienas. Quid parcè pauca ex mundanis rebus polliceris? Mundus totus à nobis contemptus est. Res visibiles cum eâ spe, quæ nobis in votis est, non queunt comparari. Vides hoc cœlum ut pulchrum aspectu, ut magnum? vides terram, quanta sit, et quæ in eâ sunt admirationi? Nihil horum adæquat justorum beatitudinem: siquidem hæc prætereunt, nostra verò manent. Concupisco donum unum, coronam justitiæ: gloriæ unius impotenti desiderio teneor, ejus quæ est in regno cœlorum. Honorem supernum ambio: gehennæ metuo supplicium. Ignis ille extimescendus mihi est; quem verò vos comminamini, is conservus est. Contemptores idolorum novit revereri. Jacula puerorum puto plagas vestras. Corpus enim cædis, quod, si diutiùs restiterit, coronam splendidiorem consequetur: sin autem citiùs defecerit, liberabitur judicibus tàm violentis, qui cùm famulatum corporum vobis sumpseritis, adhuc etiam contenditis animis dominari. Qui, nisi Deo nostro præferamini, sævitis quasi extremâ ignominiâ à nobis affecti; atque horrenda hæc supplicia intentatis, crimen nobis objectantes pietatem. At offendetis non timidos, neque vitæ cupidos, neque qui facilè perterreantur, idque pro Dei dilectione. Nos enim et rotari, et torqueri equuleo, et comburi, et omne tormentorum genus perferre parati sumus.

» Hæc autem cùm audisset superbus ille ac barbarus, haud ferens virorum dicendi libertatem, irâ ejus suprà modum effervescente, reputabat secum quodnam artificium excogitaret, ut mortem et longam et amaram simul eis strueret. Invenit tandem ejusmodi artificium, sed

attendite quàm acerbum et grave. Cùm enim considerâsset regionis naturam, quod frigida esset, et anni tempus, quod hybernum, observatâ nocte, in quâ maximè malum augebatur, præsertim cùm boreas in ipsâ tunc spiraret, denudatos omnes jussit sub dio in mediâ civitate congelatos mori. Scitis autem omninò vos, qui hyemem experti estis, quàm intolerabile sit illud tormenti genus. Neque enim fieri potest ut id aliis notum sit, nisi quibus post ipsam experientiam suppetunt eorum, de quibus loquimur, exempla. Corpus enim, quod frigori exponitur, primùm quidem totum lividum est, sanguine congelato: exindè agitatur ac effervescit, dentibus in se impingentibus, retractis nervis, et mole omni præter voluntatem contractâ. Quin et acutus quidam cruciatus, et dolor inenarrabilis ad ipsas usquè medullas perveniens, sensu intolerabili algentes afficit. Tùm mutilatur, extremis partibus quasi ab igne concrematis. Calor enim ab extremitatibus corporis fugatus, et ad interiora confugiens, partes, à quibus abscedit, relinquit mortuas: eas verò, ad quas contruditur, excruciat, morte paulatim per congelationem accedente. Tunc igitur ea in illos lata sententia est, ut sub dio pernoctarent, cùm stagnum, circùm quod condita erat civitas, in quâ sancti decertabant, esset velut quædam planities equitabilis, glacie illud transmutante, cùmque id ex frigore ad continentis naturam redactum, super dorsum iter accolarum pedibus tutum præberet, prætereàque fluvii, qui jugiter fluebant, glacie constricti, desiissent manare, et aquarum natura mollior in lapidum duritiem conversa esset, cùm deniquè acres boreæ flatus animantia omnia urgerent ad mortem.

» Tunc igitur audito edicto, (et mihi hic consideres velim virorum insuperabilem constantiam,) unusquisque postremâ etiam tunicâ lætè abjectâ, per frigus ad mortem

progrediebatur, alter alterum quasi ad spolia diripienda cohortatus. Neque enim, inquiunt, vestem exuimus : sed *veterem hominem, qui secundùm desideria erroris corrumpitur, deponimus*[1]. Gratias tibi agimus, Domine, quod unà cum hoc amictu abjiciamus peccatum. Quoniam propter serpentem induti fuimus[2], exuamur propter Christum. Vestes tenaciùs ne retineamus, ob paradisum, quem amisimus. *Quid retribuemus Domino*[3]. Exutus est quoquè Dominus noster[4]. Quid magnum servo, ea quæ Dominus perpessus est, perpeti? Imò verò nos sumus, qui ipsum Dominum exuimus. Militum enim est illud scelus, illi exuêrunt, divisêruntque vestes. Quamobrem nostram accusationem litteris proditam per nos ipsos deleamus. Acris est hyems, at dulcis paradisus : congelatio aspera, sed jucunda requies. Paululùm expectemus, et nos sinus Patriarchæ confovebit. Unam noctem æternitate totâ mutèmus. Exuratur pes, ut perpetuò cum Angelis tripudiet : diffluat manus, ut sese ad Dominum attollendi fiduciam habeat. Quot è nostris commilitonibus in acie cecidêrunt, imperatori mortali servatâ fide? Nos verò vitam istam pro fide in verum Regem non projiciemus? Quot mortem maleficorum pertulêrunt, in sceleribus deprehensi? Nos verò pro justitiâ mortem non sustinebimus? Ne declinemus, ô commilitones, terga ne demus diabolo. Carnes sunt, ne pepercerimus; cùm mori omninò necesse sit, moriamur, ut vivamus. *Fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, Domine*[5]; suscipiamurque velut *hostia vivens, accepta tibi*[6], hoc isto frigore holocaustum effecti, oblatio pulchra, novum holocaustum, frigore, non igni consumptum. Hos sermones consolatorios inter se conferentes, et alter alterum exhor-

[1] Ephes. IV, 22. — [2] Gen. III, 21. — [3] Psal. CXV, 12. — [4] Matth. XXVII, 28. — [5] Dan. III, 40. — [6] Rom. XII, 1.

tantes, actis velut in bello excubiis quibusdam, noctem transmittebant, ferentes præsentia strenuè, speratis gaudentes, deridentes hostem. Unum autem erat omnium votum. Quadraginta ingressi sumus in stadium, quadraginta coronemur, ô Domine. Ne unus quidem desit huic numero. Venerabilis est hic numerus, quem quadraginta dierum jejunio honorâsti [1], per quem lex ingressa est in mundum [2]. Elias cùm Dominum per quadraginta dies in jejunio conquisisset, ipsum vidit [3]. Et hæc quidem erat illorum precatio : sed unus ex eorum numero cruciatui succumbens, ineffabilem luctum, deserto ordine, sanctis dereliquit. Verùm non sivit Dominus eorum preces irritas esse atque inefficaces. Nàm cui martyrum concredita custodia erat, is non longè è quodam gymnasio, dùm se calefaceret, rei exitum observabat, milites eos, qui ad ipsum confugerent, suscipere paratus. Nàm et hoc quoquè excogitatum fuerat, ut in propinquo balneum esset, quo remedium promptum sententiam mutantibus denuntiaretur. Sed quod malignè adversariis excogitatum est, videlicet, ut talem certaminis locum advenirent in quo paratum levamen robur decertantium atque constantiam labefacturum esset, hoc Martyrum patientiam splendidiorem reddidit. Non enim is, cui necessaria desunt, tolerans est : sed is, qui inter bonorum fruendorum copiam in malis ferendis perseverat.

» Cùm autem hi decertarent, ille verò eventum observaret, spectaculum mirum vidit, virtutes quasdam è cœlis descendentes ; et velut à rege munera magna militibus distribuentes : quæ aliis quidem omnibus dona dispertiebant, sed tamen unum reliquêrunt non donatum, judicantes indignum cœlestibus honoribus ; qui statim animo ob dolorem concidens, transfugit ad adversarios. Misera-

[1] Matth. IV, 2. — [2] Exod. XXXIV, 28. — [3] 3 Reg. XIX, 8.

bile spectaculum justis ; miles transfuga, vir strenuissimus captus, direpta à lupo ovis Christi : atque illud miserabilius quòd et æternam vitam amisit, et ne hâc quidem fruitus est, carne ipsius ad caloris accessum statim exsolutâ. Et hic quidem vitæ amans, frustrà admisso scelere, cecidit : sed lictor ut vidit eum abscessisse, et ad balneum accurrisse, semet substituit in locum desertoris, et indumentis abjectis, se ipse nudis admiscuit, idem quod sancti clamans : *Christianus sum.* Atque repentinâ hâc mutatione astantes obstupefaciens, ut numerum complevit, ità illorum de emollito transfugâ mœrorem accessione suâ delinivit, imitatus eos, qui in acie versantur, qui uno aliquo in primâ acie cadente, confestim replent phalangem, ut ne inter ipsos ordinum densitas defectu illius interrumpatur. Fecit igitur et ipse quiddam non dissimile. Vidit cœlestia miracula, agnovit veritatem, confugit ad Dominum, annumeratus est inter Martyres. Discipulorum renovavit facta. Abiit Judas, et ei subrogatus est Matthias [1]. Imitator effectus est Pauli, heri persecutor, hodiè Evangelii præco [2]. Habuit et ipse ex supernis vocationem, *Non ab hominibus, neque per hominem* [3]. Credidit in nomine Domini nostri JesuChristi : baptizatus est in ipsum, non in aquâ, sed in proprio sanguine.

» Ità demùm ineunte die, adhùc spirantes igni traditi sunt, atque reliquiæ ignis in fluvium projectæ fuêre, ut beatorum certamen per omnem creaturam transiret. Decertârunt in terra, tolerantiam ostendêrunt in aëre, traditi igni sunt, aqua ipsos excepit. Illorum est vox illa : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* [4]. Hi sunt qui regionem nostram obtinentes, veluti densæ quædam turres ipsam adversùs hos-

[1] Act. I, 26. — [2] Id. IX, 20. — [3] Gal. I, 1. — [4] Psal. LXV, 12.

tium incursum tutò communiunt, non in uno loco se ipsos concludentes, sed multis locis jàm hospitio excepti, regionesque multas adornantes. Et quod mirum est, non singulatim divisi accedunt ad suscipientes, sed inter se commixti conjunctiùs tripudiant. O rem miram! neque numero pauciores sunt, neque plures. Eos in centum si diviseris, proprium numerum non excedunt: si in unum collegeris, nihilominùs tamen quadraginta permanent, non aliter atque ignis natura. Nàm et ille ad accendentem transit, et totus est apud habentem. Sic etiam quadraginta, et omnes simul sunt et omnes apud singulos sunt. Beneficentia uberrima, donum quod non absumitur, paratum auxilium Christianis, ecclesia Martyrum, exercitus tropæa gestantium, chorus laudes divinas celebrantium. Quantùm impendisses laboris, ut reperires unum aliquem, qui pro te Dominum exoraret? Sunt quadraginta, precationem concordem sursùm emittentes. *Ubi duo aut tres congregati sunt in nomine Domini, illìc est in medio ipsorum*[1]. Ubi verò quadraginta fuerint, quis de Dei præsentiâ ambigat? Qui angustiâ aliquâ premitur, ad Quadraginta-Martyres confugit; qui lætatur, recurrit ad eosdem: ille quidem ut à malis liberetur, hic verò, ut res sibi secundæ esse pergant. Hìc mulier pia pro liberis orans deprehenditur; peregrinanti marito reditum, infirmo salutem petit. Fiant cum Martyribus preces vestræ. Adolescentes imitentur æquales suos: patres talium filiorum patres esse exoptent: matres matris bonæ ediscant exemplum. Mater unius illorum beatorum, cùm vidisset alios jàm frigore consumptos, suum verò filium adhùc spirantem, tùm ob robur, tùm ob animum in ferendis malis acrem, cùmque eum lictores, quòd fortè consilium mutare potuisset, relinquerent, ipsa suis ipsius manibus

[1] Matth. XVIII, 20.

sublatum imposuit currui, in quo reliqui simul jacentes ad rogum ferebantur, verè martyris mater. Non enim ignavè flevit, nec quidquam humile, aut illo temporis articulo indignum locuta est : Sed abi, inquit, ô fili, viam bonam eum æqualibus, cum contubernalibus : ne disjungaris à choreâ : ne reliquis seriùs Domino sistaris. Reverà radicis bonæ bonum germen. Ostendit generosa mater, quòd eum pietatis dogmatibus magis quàm lacte enutriverit. Atque is quidem sic educatus, sic à piâ matre deductus est : diabolus verò pudore affectus abiit. Nàm commotâ in illos creaturâ omni, omnia invenit horumce virorum virtute superata, noctem vento gravi agitatam, regionem frigidam, tempestatem anni, corporum nuditatem. O chorus sanctus ! ô sacer ordo ! ô confertissimum et infractum agmen ! ô communes generis humani custodes, boni curarum socii, precum fautores, legati potentissimi, stellæ orbis terrarum, ecclesiarum flores. Non vos terra operuit, sed cœlum suscepit : apertæ sunt vobis paradisi portæ. Dignum spectaculum exercitui Angelorum, dignum Patriarchis, Prophetis, justis, viri, qui in ipso juventutis flore, contemptâ vitâ, præ parentibus, præ liberis Dominum dilexêrunt. Ætatem illam dùm agerent, in quâ spes vivendi habetur, aspernati sunt temporariam vitam, ut Deum glorificarent in suis ipsorum membris, *spectaculum mundo Angelisque et hominibus effecti* [1]. Erexêrunt collapsos, ambigentes confirmârunt, piis religiosisque desiderium altero tantò majus reliquêre. Omnes uno tropæo pro pietate erecto, unâ etiam justitiæ coronâ exornati sunt, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen [2]. »

Ad hoc idem genus referendæ pariter illæ quæ dicuntur funebres orationes, ubi mortuorum virtutes extolluntur ad

[1] Cor. IV, 9. — [2] S. Basil. Serm. XIX, in XL Mart. n. 3-8.

eorum gloriam vivorumque utilitatem. Plures hujus speciei conciones maximè apud sanctum Gregorium Nazianzenum reperiuntur, inter quas eminet celeberrimum sancti Basilii encomium, quod si propter prolixitatem non integrè videtur repræsentandum, propter excellentiam tamen sententiarum simul et verborum plurimâ sui parte hìc admirationi necnon et imitationi proponendum est.

Laudaturus Basilium, duplici ex fonte exordium assumit, nempè ex laudandi dignitate, et ex apparenti negligentiâ laudantis, qui annum integrum expectârat, priusquàm debitum exolveret.

« Hoc profectò supererat, ut, cùm magnus ille Basilius multa nobis orationum argumenta proposuisset, (sic enim meis orationibus gloriabatur, ut nemo unquàm omnium perindè suis,) se ipsum nunc nobis proponeret, argumentum certaminum omnium maximum, iis, qui litteris et eloquentiæ operam dedêrunt. Nam existimo, si quis suam in dicendo facultatem experiri, eamque postèà velut ad normam exigere vellet, materiam unam ex omnibus sibi proponens, quemadmodùm pictores eas tabulas, ex quibus exempla petunt, eum, hâc solâ submotâ, velut oratoriam omnem vim superante, cæterarum primam quamque delecturum. Tàm arduum opus est hujus viri encomium, non nobis solùm, qui jàm olim omne gloriæ studium deposuimus; verùm etiam illis, quibus vita est oratio, quique etiam in id unum operam suam contulêrunt, ut hujusmodi argumentis nominis sui famam celebrent. Hâc de re quidem sic existimo, et, ut mihi persuadeo, admodùm rectè. Cæterùm nescio, quâ tandem aliâ in re sermonibus uti queam, si nunc iis minimè usus fuero; aut quid ipse gratius facere possim, vel mihi, vel iis qui virtutem laudibus efferunt, vel ipsis deniquè sermonibus, quàm si hujus viri laudes prædicem. Ità enim me primum

ipse velut ære quodam alieno utcunquè liberavero. Debetur quippè, ut si quid aliud, viris, cùm cætera egregiis, tùm in dicendo copiosis, oratio. Deindè illos simul, et voluptate afficiet hic sermo et ad virtutis studium extimulabit : quarum enim rerum laudes novi, earum quoquè haud dubiè incrementa explorata habeo; nec quidquam omninò est, quod non hâc ratione augeatur. Postremò, quod ad sermones attinet, utrovis modo res præclarè se habitura est. Nàm si ad ipsius dignitatem et meritum propiùs accesserint, vim suam et facultatem ostendent, sin autem ab illius præstantiâ longè abfuerint, (quod omninò iis, qui eum laudare instituerint, accidere necesse est,) re ipsâ se succubuisse declarabunt, eumque de cujus laudibus agitur, omnem vim orationis superare.

» Hæc quidem sunt, quæ me ad dicendum, et ad suscipiendum hoc certamen impulêrunt. Quòd si multò seriùs, quàm tempus postulabat, ac post tot alios, qui res illius privatim publicèque laudibus ornârunt, ad hoc munus accessi, nemini mirum videatur. Verùm ignoscat mihi, velim, divina anima, mihique, et nunc, et antè veneranda. Quemadmodùm autem omninò, cùm apud nos ageret, multa mea errata pro amicitiæ jure ac præstantiori lege corrigebat; (non enim dicere vereor, quòd cunctis esset lex et norma virtutis;) sic nunc quoquè suprà nos positus, facilem se mihi ac exorabilem præbebit. Ignoscant etiam, quæso, quicumque ex vobis ferventiores illius laudatores sunt; si qui tamen alii aliis ferventiores sunt, ac non potiùs omnes hâc unâ in re, hoc est, in ipsius laude et prædicatione, pares sumus. Non enim negligentiâ et contemptu officium prætermisimus; absit enim, ut aut virtutem, aut amicitiæ officium usquè adeò negligamus, nec quòd hoc laudationis munus cuiquam alii, potiùs, quàm nobis convenire arbitremur. Sed

primùm, ut verum fatear, sermonem habere detrectabam, quemadmodùm qui ad sacra accedunt, priusquàm vocem animumque perpurgâssem. Deindè, tametsi enim id non ignoretis, in memoriam tamen vobis revocabo, in veræ doctrinæ periclitantis negotio interim occupati fuimus, pulchrè coacti, nec sinè Dei numine fortassè peregrè profecti, nec præter voluntatem ac consilium eximii illius veritatis propugnatoris, quique nihil unquàm aliud quàm piam orbique universo salutarem doctrinam spiravit. Nàm de corporis mei imbecillitate forsan ne sermonem quidem facere audendum est, ad strenuum virum, corporeque, etiam antequàm hìnc migraret, sublimiorem, ac illud asserentem, nihil ex animæ bonis à vinculo impediri. Atque hìc excusatio nostra finem habeat. Neque enim longiore aliâ mihi opus fore arbitror, cùm sim duntaxàt apud eum, cæterosque, quibus res nostræ probè cognitæ sunt et exploratæ, locuturus. Jàm igitur ad laudationem nobis accedendum est, illius Deum orationi nostræ præficientibus; ne nostris laudibus huic viro dedecus inferamus, ab iisque, qui jàm in hoc argumento versati sunt, longo intervallo prætereamur; quanquàm fortassè omnes ab illo pari intervallo distemus, non secùs à cœlo solisque radiis, qui ea contuentur [1]. »

His prælibatis 1° exaltat illius generis nobilitatem imò et sanctitatem :

« Enimverò si eum genere, ac generis splendore gloriari perspicerem, aut ullâ re ex iis, quæ omninò parvæ sunt, et quibus ii, qui humi defixos oculos habent, efferri solent, alius utiquè heroûm catalogus appareret. Quanta à majoribus illius ad eum ornandum accipere possemus? Nec historiis quidem quidquam hâc parte cederemus; hoc

[1] S. Gregor. Theol. Orat. XLIII, n. 1, 2.

certè nomine superiores futuri, quòd non commentitiis fictisque narrationibus, sed rebus ipsis, quarum multi testes sunt, ornaremur. Multa enim nobis narratu digna ex paterno latere Pontus suppeditat, et quidem priscis suis prodigiis, quibus et historicorum, et poëtarum volumina plena sunt, neutiquàm inferiora: multa etiam veneranda hæc mea patria Cappadocia, non minùs juvenum, quam equorum bona nutrix. Undè paterno generi materni generis splendorem opponimus. Quorumnam autem et militaria imperia, et populorum gubernationes, et in imperatorum aulis potentia et auctoritas, ac prætereà, opes, et excelsi throni, et publici honores, ac sermonum splendores, vel plures, vel majores extitêrunt? Quæ nobis, si arbitratu nostro commemorare liceret, nihil essent Pelopidæ, nec Cecropidæ, nec Alcmæones, nec Eacidæ, nec Heraclidæ, nec alii quibus nihil est sublimius; qui quidem, cùm nihil proprium habeant, quod apertè prædicent, ad obscura confugiunt, dæmones videlicet quosdam, et deos, ac fabulas majoribus suis attribuentes; quorum ea est ratio, ut quod in ipsis maximè speciosum et illustre est, fide careat; quod autem creditur, probrum et contumelia sit.

» Quoniam autem de eo mihi oratio instituta est, qui nobilitatem viritim expendi vult, nec, cùm formæ atque colores, et equi, tam nobilissimi, quàm abjectissimi ex se ipsis explorari soleant, nos contrà per ea, quæ extrà nos posita sunt, depingi, posteaquàm unum aut alterum ex iis, quæ à majoribus ipse habuit, quæque, et ipsius vitæ conveniunt, et maximam ei, si commemorentur, voluptatem allatura sunt, exposuero, ad ipsum confestim me convertam. Aliarum quidem familiarum, vel etiam sigillatim cujuslibet hominis, alia sunt insignia, et narrationes, vel majores, vel minores, quæ, instar paternæ cujusdam hære-

ditatis, vel longinquiùs, vel propinquiùs exorsæ, ad posteros devolvuntur : huic autem utriusque generis decus pietas fuit, quemadmodùm nunc oratio declarabit[1]. »

Postquàm exaggeratâ Maximiani persecutionis crudelitate, parentes ejus ad martyrium promptissimos ostendit, sic illos commendando prosequitur :

« Eccui Basilius, Basilii nostri pater, incognitus est, vir magni apud omnes nominis, qui paterni voti compos factus est, si quis unquàm alius, ne dicam solus? Cùm enim reliquos omnes virtute superârit, à solo filio prima obtinere prohibetur. Eccui Emmelia, quæ id priùs appellata est, quod posteà fuit; aut id fuit, quod priùs nuncupata fuerat; illa, inquam, merito ἐμμελείας, id est, *concinnitatis*, nomen ferens, quæ, ut uno verbo dicam, hoc inter mulieres fuit, quod ille inter viros; ut, si quidem eum, cujus laudes illustrandas suscepimus, ad servitutem naturæ obeundam, mortalibus dari oportebat, velut quempiam ex priscis illis viris, qui ad publicam utilitatem divino beneficio concessi sunt, neque huic ex aliis potiùs, quàm ex his gigni conveniret, neque illis rursùs cujusquam alterius potiùs, quàm hujus parentes nominari[2]. »

2°. Ad originis excellentiam accessit institutionis liberalitas, cujus in multis cum eo particeps fuerat ipse Gregorius :

« Primâ igitur ætate sub magno patre, quem communem virtutis magistrum eo tempore Pontus proponebat, velut fasciis involvitur, atque optimo illo purissimoque figmento, quod David diurnum pulchrè vocat[3], nocturnoque oppositum, effingitur. Sub hoc igitur, et vitâ simul et sermone pariter augescentibus, atque in altum assurgentibus, egregius adolescens eruditur; non Thessalicum

[1] S. Greg. Theol. Orat. XLIII, n. 3, 4. — [2] Id. ibid. n. 10. — [3] Psal. CXXXVIII, 16.

et montanum quoddam antrum, quasi virtutis scholam et officinam, jactans, nec arrogantem quemdam Centaurum, heroum sui temporis præceptorem, nec ab eo artem percipit, quo lepores sagittis configat, vel hinnulos cursu insequatur, vel cervos venetur, vel in rebus bellicis excellat, vel feroces equos optimè domet, eodem videlicet et equo utens et magistro, nec fabulosis cervorum ac leonum medullis nutritur; sed liberales artes docetur, atque ad Dei cultum excolitur, et, ut uno verbo complectar, per primas ac pueriles disciplinas ad futuram perfectionem ducitur. Nàm, qui vel solos mores, vel solam doctrinam consecuti sunt, ab alterâ verò deseruntur, ii mihi nihil à luscis differre videntur, quibus cùm magnum detrimentum sit, tunc verò major turpitudo, sivè alios cernant, sivè ab aliis cernantur. At quibus utrâque laude excellere, ac velut ambidextris esse contigit, hi nimirùm omnibus numeris absoluti sunt, ac cum alterius vitæ beatitudine vitam agunt. Quod quidem illi, ut par erat, contigit, quippè qui domesticum haberet virtutis exemplar, in quod oculorum aciem intendens, statim optimus erat. Et quemadmodùm equorum pullos, ac vitulos, simul atque in lucem prodiêrunt, matribus suis assultare videmus; sic ille patrem cum equino et generoso impetu è propinquo assectabatur, nec à summis virtutis illius agitationibus longo intervallo distabat; aut, si mavis, in ipsâ quoque virtutis adumbratione, futuræ virtutis pulchritudinem subindicabat, atque accuratioris vitæ notas antè accuratioris vitæ tempus præferebat.

» Illìc porrò cùm satis uberem doctrinam collegisset, nec rei cujusquam honestæ ignarum et expertem eum esse oporteret, nec ab apiculâ, quæ ex quibuslibet floribus utilissima quæque decerpit, labore ac diligentiâ superari, Cæsaream, ut scholarum urbis illius particeps esset, con-

tendit; hanc, inquam, illustrem civitatem, et nostram, (nàm meorum quoquè studiorum dux et magistra existit,) non minùs litterarum atque doctrinæ, quàm urbium, quibus præcellit et dominatur, metropolim; quam si quis doctrinæ palmâ spoliaverit, rem omnium pulcherrimam ipsique maximè propriam eripuerit. Nàm cum aliæ civitates aliis ornamentis, vel antiquis, vel novis glorientur, prout, opinor, vel historiis, vel rebus quibusdam visendis ornatæ sunt; hanc contrà, ut arma vel tragœdias notæ quædàm atque insignia, sic litterarum gloria nobilitat, illustremque reddit. Sanè quæ sequuntur, ii exponant, qui et eum apud se erudiêrunt, et fructum ex ipsius eruditione cepêrunt; quantus videlicèt magistris, quantus æqualibus esset, illos nimirùm æquans, hos omnis doctrinæ genere superans; quantam apud omnes tùm plebeios, tùm civitatis primarios gloriam brevi tempore assecutus fuerit, majorem quidem, quàm illa ætas ferebat, eruditionem, majorem rursùs eruditione morum constantiam et gravitatem ostendens: rhetor inter rhetores, etiam antè sophistiscam exhedram: philosophus inter philosophos, etiam antè philosophiæ decreta: et, quod maximum est, sacerdos Christianis, etiam antè initum sacerdotium. Tantùm ipsi omnes in omnibus rebus concedebant. Ipsi porrò eloquentiæ studium, accessionis duntaxàt, ac velut corollarii cujusdam rationem habebat, hoc tantùm scilicèt ex ipsâ fructûs decerpenti, quantùm auxilii, ut eâ ad nostram philosophiam uteretur; quandòquidem ad explicanda animi sensa ipsius vis ac facultas requiritur. Mens enim, quæ id, quod sentit, verbis exprimere nequit, hominum torpore laborantium incessui haudquaquàm dissimilis est. At verò serium et præcipuum illius studium in eo versabatur, ut veræ philosophiæ operam daret, seseque à mundi contagione abrumperet, Deoque adjungeret,

ac per terrena, supera lucraretur, et per fluxa et fragilia, ea quæ firma et æterna sunt, compararet.

» Hinc Byzantium, urbem totius Orientis principatum tenentem, venit; (excellentissimis enim oratoribus philosophisque florebat, quorum brevi optima quæque ingenii celeritate ac magnitudine collegit;) atque indè Athenas, hoc est, litterarum sedem ac domicilium, à Deo, atque inexplebili simul et præclarâ doctrinæ cupiditate mittitur; Athenas, inquam, mihi verè aureas, ac, si cuiquam alii, bonorum procuratrices. Nàm illæ mihi hominem, non illum quidem antè ignotum, sed tamen pleniùs noscendum præbuêrunt: ac doctrinam exquirens, beatitudinem reperi; mihique dispari modo idem quod Saüli accidit, *Qui patris asinas quærens, regnum invenit*[1], plùsque in eâ re, quam obiter agebat, quàm in ea, quæ præcipuè ipsi curæ erat, lucrifecit. Jàm nobis quidem hactenùs planâ, et facili ac verè regiâ laudum illius viâ prosperum cursum oratio tenuit: nunc autem quam dicendi rationem sequar, aut, quò me vertam, nescio; habet enim mihi arduum aliquid hic sermo. Hùc enim oratione progressus, atque hanc occasionem nactus, rerum etiam mearum aliquid adjungere, paululùmque in hâc narratione immorari gestio, atque nudè, et quo modo, ac quibus ex initiis conflatâ inter nos amicitiâ, sivè, ut congruentiùs loquar, animorum conspiratio et naturæ conjunctio fuerit explicare. Quemadmodùm enim oculi à jucundis spectaculis non facilè recedunt, ac si quis per vim eos retrahat, eòdem rursùs feruntur; sic nec sermo à rerum suavissimarum commemoratione. Sed in hoc conatu metuendam mihi difficultatem esse conspicio. Annitor itaquè, ut, quàm parcissimè potero, id faciam. Quòd si nos fortè amoris et cupiditatis æstus

[1] 1 Reg. IX, 3, et seqq.

modum excedere coëgerit, affectui nostro, quæso, ignoscite, affectuum omnium justissimo, et quo non affici, damnum ac detrimentum est, iis quidem certè, qui sanâ atque integrâ mente sunt.

» Habebant nos Athenæ, velut fluxum quemdam fluminis, ex eodem patriæ fonte in diversas regiones doctrinæ cupiditate dissectos, rursùmque, velut ex composito, Deo videlicet ità impellente, coëuntes. Ac me quidem aliquantò antè habebant; illum autem haud multò post, et quidem cum mirificâ et luculentâ spe expectatum. Etenim in multorum linguis versabatur, antequàm advenisset; nec quisquam erat, qui non præclarè secum agi putaret, si id, quod summo studio expetebat, prior occuparet. Nec verò alienum erit narratiunculam unam, condimenti cujusdam vice, orationi adjungere, ut scientibus quidem memoriam renovet, ignorantibus autem documento sit. Insano quodam ergà sophistas studio Athenis tenentur quàm plurimi et stolidissimi adolescentes, non modò ignobiles et obscuri, vel nobiles etiam et illustres, ut qui miscellanea quædam multitudo sint, et juvenes, et ità effecti, ut eorum impetus vix reprimi possint. Quod igitur in equestribus certaminibus iis accidere videmus, qui equis et spectaculis oblectantur; exiliunt enim, clamant, pulverem in cœlum mittunt, sedentes habenas moderantur, aërem verberant, equos digitis, quasi scuticis, in alterum atque alterum latus subindè jungunt, cùm nihil horum in ipsorum potestate situm sit. Facilè inter se aurigas, equos, equorum stationes, certaminis duces permutant; idque quinam tandem? Pauperes plerumquè atque inopiâ laborantes, et quibus ne in unum quidem diem victus suppetit: hoc ipsis quoquè planè circà præceptores suos, aliosque ejusdem artis professores, eorumque æmulos accidit; in hoc nimirùm elaboranti-

bus, ut et plures ipsi sint, et illos operâ suâ locupletiores efficiant. Atque ea res vehementer absurda et prodigiosa est. Præoccupantur urbes, viæ, portus, montium cacumina, campi, solitudines, omnes deniquè Atticæ at reliquæ Græciæ partes, atque adeò incolarum maxima pars; nàm et illos in partes ac studia distractos habent....

» Ut autem temporis progressu desiderium nostrum mutuò inter nos confessi sumus, ac philosophiam id esse quod à nobis expeteretur, tùm verò jàm uterque alteri quidvis eramus, contubernales, convictores, concordes, unum idemque spectantes, ferventius quotidiè ac firmius desiderium nobis invicem colligentes. Etenim corporum amores, quia rerum fluxarum sunt, fluunt quoquè ipsi, non secùs ac veris flores. Nàm nec flamma, consumptâ materiâ, remanet, sed unà cùm eâ extinguitur, nec desiderium, marcescente fomite, subsistit. At pudici et Deo grati amores quandòquidem rei stabilis et firmæ sunt, propterea diuturniores etiam sunt; quantòque major pulchritudinis species ipsis objicitur, tantò etiam arctiùs et secum, et inter se, earumdem rerum amatores devinciunt. Hæc quippè superni amoris lex est.

» Cùm igitur hoc inter nos animo essemus, talesque valido thalamo, ut est apud Pindarum, aureas columnas subjecissemus [1], ità demùm porrò progrediebamur, Deo et desiderio adjutoribus utentes. Heu! quomodò harum rerum mentionem sine lacrymis faciam? Par spes doctrinæ, hoc est, rei omnium invidiosissimæ nos ducebat; et tamen aberat invidia, æmulatio autem in pretio habebatur. Hoc utrique certamen, non uter primas ferret, sed uter alteri eas concederet; uterque enim alterius gloriam pro suâ ducebat. Una utrique anima videbatur, duo corpora ferens. Quòd si fides iis minimè habenda

[1] Pind. Olymp. Od. VI, vers. 1.

est, qui omnia in omnibus sita esse dicunt; at nobis certè credendum est, quòd uterque in altero et apud alterum siti eramus. Unum utrique opus et studium, virtus erat, et ad futuras spes vivere, nosque ità comparare, ut antè discessum ex hâc vitâ, hinc migraremus. Quod quidem nobis ob oculos ponentes, vitam actionesque omnes nostras dirigebamus, tùm divini præcepti ductum sequentes, tùm alter alteri virtutis studium exacuentes; atque nisi hoc arrogantiùs dicere videar, uterque alteri norma et amussis eramus, quâ rectum à pravo discernitur. Non enim cum sodalium nostrorum petulantissimis et impudicissimis, sed cum castissimis consuetudinem habebamus; nec cum pugnacissimis, sed cum pacatissimis, iisque, quorum consuetudo maximos fructus afferebat; illud nimirùm exploratum habentes, facilius esse vitium contrahere, quàm virtutem impertiri; quemadmodùm etiam facilius esse morbo alieno infici, quàm sanitatem largiri. Disciplinis porrò, non tàm jucundissimis, quàm optimis oblectabamur: nàm hinc quoquè vel ad virtutem, vel ad vitium, juvenes informantur....

» Duæ nobis viæ notæ erant: altera prima et præstantior; secunda altera, et inferioris pretii: illa quidem ad sacras ædes nostras, et ad doctores, qui illic erant, ferebat; hæc autem ad externos præceptores; cæteras omnes, quæ ad festa, spectacula, celebres conventus, epulas, ducebant, æquo ac libenti animo aliis reliqueramus. Nihil enim, meâ quidem sententiâ, magni faciendum est, quod ad rectè honestèque vivendum nihil affert, nec suî studiosos meliores reddit. Jàm cùm aliis alia quædam cognomenta sint, vel à parentibus accepta, vel ex se ipsis, hoc est, ex propriis vitæ studiis institutisque comparata: nobis contrà, magna res et magnum nomen erat, Christianos et esse, et nominari; atque eâ re magis effereba-

mur, quàm Gyges palæ annuli conversione, siquidem hoc fabulosum non esset, per quam Lydiorum tyrannidem occupavit: aut Midas auro, quod ipsi interitum accersivit, cùm voti sui compos factus, nihil præter aurum possideret? Quæ et ipsa Phrygia est fabula. Nàm quid hyperborei Abaridis sagittam, aut Argivum Pegassum dicam, quibus non tantùm erat per aërem ferri, quantùm nobis mutuâ operâ et simul ad Deum attolli? Atque, ut rem in pauca contraham, pestiferæ quidem aliis, quantùm ad animæ salutem attinet, Athenæ sunt; (nec enim id à piis viris temerè existimatur;) malis nàmque operibus, hoc est, idolis, suprà reliquam omnem Græciam affluunt, difficilèque factu est, non simul cum eorum laudatoribus et patronis in errorem abripi: nobis autem nihil detrimenti ab iis allatum est, utpotè qui animo communiti et obsepti eramus. Quin potiùs, quod vix credibile est, hìnc ad fidem confirmati sumus, ipsorum fraudem et imposturam agnoscentes, atque illìc dæmones contemnentes, ubì dæmones admiratione afficiuntur. Quòd si quis est, aut esse creditur, fluvius, per mare dulcis fluens; aut animal in igne, quo omnia consumuntur, saliens, hoc ipsi inter omnes æquales ac coætaneos eramus.

» Illud autem præclarissimum, quod circà nos quoddam non ignobile sodalitium erat, præceptorem illum habens, ac ducem sequens, iisdemque rebus gaudens, quamvis alioqui pedites, ut vetus habet proverbium, ad Lydium currum, hoc est, illius cursum et mores, curreremus; ex quo id nobis contigit, ut, non solùm apud præceptores et socios, sed etiam apud universam Græciam, ac præsertim clarissimos quoquè Græciæ viros, clari atque illustres essemus. Quin etiam, ultrà Græciæ fines processimus, ut ex multis hæc commemorantibus perspicuum factum est. Nàm præceptores quidem nostri

apud tot homines celebres erant, apud quot Athenæ : ac nos item, apud quot homines de præceptoribus nostris, apud totidem de nobis etiam, et erudiebatur, et prædicabatur; ac par quoddam non obscurum et incelebre apud eos, et eramus, et dicebamur. Nec verò quidquam ejusmodi apud eos erant Orestes et Pylades; nec Molionidæ illi, homerico versu celebrati, quos calamitatum societas, atque ars egregiè aurigandi nobilitavit, eodem tempore habenas et flagrum inter se partientes. At enim imprudens ipse in meas laudes prolapsus sum, quas ne ab alio quidem unquàm prædicari sustinui. Nec mirum videri debet, si hìc quoquè fructum aliquem ex illius amicitiâ obiter cepi; nàm quemadmodùm, cùm viveret, ad virtutem, ità, cùm vitâ excessit, ad laudem et commendationem mihi prodest. Verùm ad metam rursùm nobis reducenda est oratio [1]. »

3°. Alterum Basilii titulum affert, videlicèt ingenii dotes et doctrinæ sublimitatem.

« Quis prudentiâ perindè canus erat, etiam antè canitiem? Quandòquidem hâc re senectutem Salomon quoquè definivit [2]. Quis vel senibus, vel juvenibus æquè venerabilis; non de nostræ tantùm memoriæ viris loquor, sed de iis etiam, qui longo antè tempore vixêrunt? Quis doctrinâ propter mores minùs eguit? Quis tamen uberiorem doctrinam cum moribus conjunxit? Quod disciplinæ genus est, in quo versatus non sit; atque ità eximiè versatus, quasi in eo solo elaborâsset? Sic nimirùm omnia complexus, ut ne unum quidem quisquam; singula rursùs ità ad summum, quasi nihil aliud prætereà didicisset. Ad ingenii enim solertiam studium accedebat, ex quibus imperium scientiis et artibus comparatur. Qui cùm celeritate naturæ propter laborem et contentionem minimè

[1] S. Gregor. Theol. Orat. XLIII, n. 12-22. — [2] Sap. IV, 8.

opus haberet, quemadmodùm nec labore propter ingenii magnitudinem; sic tamen utrumque conjunxerat, ut non satis liqueret, utro nomine admirabilior esset. Quis in rhetoricâ, illâ, inquam, vim ignis spirante, cum eo comparandus, tametsi illius mores à rhetorum moribus dissiderent? Quis in grammaticâ, quæ linguam ad Græcismum format, historias colligit, metris præest, carminibus leges præscribit? Quis in philosophiâ, excelsâ procùl dubio scientiâ, et sursùm gradiente, sivè eam partem spectes, quæ in actione et speculatione posita est, sivè eam, quæ in logicis demonstrationibus aut oppositionibus et concertationibus versatur, quam *dialecticam* vocant; in quâ adeò excelluit, ut iis, qui cum eo disputabant, facilius esset è labyrinthis sese extricare, quàm argumentorum ejus laqueos effugere, si quandò res ità postularet? Jamverò astronomiam, geometriam, numerorum proportiones hactenùs didicisse contentus, ut non ab iis, qui in hujusmodi rebus sciti et eruditi sunt exagitaretur; quidquid supererat, ut pietatis cultoribus infrugiferum, contempsit; adeò ut, id quod elegit, magis admirari ac prædicare liceat, quàm quod reliquit; et rursùs, id quod reliquit, majori laude efferre, quàm quod elegit. Nàm medicinam, quæ philosophiæ et laboris atque industriæ fructus est, corporis morbus, ac morbi curatio, necessariam ipsi reddiderat; undè exorsus, ad artis habitum tandem pervenit. Eam porrò artis partem intelligo, non quæ circà perspicua oculisque subjecta et humilia versatur, sed quæ in doctrinâ et philosophiâ consistit. Sed quid hæc, tametsi magna et præclara, si cum morum illius doctrinâ conferantur? Qui virtutis ipsius periculum fecêrunt, Minoëm illum ac Rhadamanthum pro nugis habent, quos pratis asphodelo refertis, et campis Elysiis Græci donandos duxêrunt, paradisi videlicet nos-

tri speciem quamdam animo intuentes, atque ex Mosaïcis, ut opinor, nostrisque libris, tametsi in nomine nonnihil discrepârint, aliis tamen vocabulis hoc ipsum indicantes [1]. »

4°. Ità illius ad prsebyteratum electionem narrat, ut nec temerè et sinè merito factam, nec post factum meritis et virtutibus vacuam fuisse ostendat :

« Nec enim mihi perturbatio illa temeritasque probatur, quæ apud nos nonnunquàm, et in nonnullis Ecclesiæ præsidibus existit. Non enim eò audaciæ progrediar, ut omnes accusem; iniquè enim facerem. Verùm nauticam legem laudo, quæ gubernatori futuro primùm remos tradit, deindè ad proram eum collocat, sicque prioribus muneribus ipsi commissis, tandem eum, post diuturnam remigationem ac ventorum observationem, ad gubernacula constituit. Eadem rei militaris est ratio : miles primùm, deindè centurio, tùm imperator. Hic optimus ordo est, iisque, qui subsunt, imprimis conducibilis. Quàm præclarè nobiscum ageretur, si idem esset rerum nostrarum status! Nunc autem periculum est, ne ordo omnium sanctissimus sit quoquè omnium maximè ridiculus. Non enim virtute magis, quàm maleficio et scelere, sacerdotium paratur; nec digniorum, sed potentiorum throni sunt. Samuël inter Prophetas, ille, inquam, futura prospiciens; sed et Saül, vilis ille et rejiciendus. Roboam Salomonis filius inter reges; sed et Jeroboam, servus et apostata. Cùmque, nec medici, nec pictoris nomen, quisquam obtineat, nisi priùs morborum naturas considerârit, aut multos colores miscuerit, variasque formas penicillo expresserit; antistes contrà facilè invenitur, non elaboratus, sed recens, quantùm ad dignitatem, simul satus et edi-

[1] S. Gregor. Theol. Orat. XLIII, n. 23.

tus, quemadmodùm Poëtæ Gigantes finxêrunt. Uno die sanctos fingimus, eosque sapientes et eruditos esse jubemus, qui nihil didicêrunt, nec ad sacerdotium quidquam priùs contulêrunt, præter *Velle*. Atque ille quidem inferiori sede acquiescit, humilisque stat, qui sublimem promeretur, atque et multùm diùque in divinorum Sermonum meditatione versatus est, et multùm diùque carni leges sanxit ad spiritui parendum : hic contrà superbè et arroganter præsidet, superciliumque adversùs meliores attollit, nec thronis intremiscit, nec ex aspectu horrorem concipit, hominem continentiæ studiosum, infrà se videns; verùm simul cum imperio, sapientiorem quoquè se esse existimat; pravè utiquè sentiens, atque à potentiâ et auctoritate de mente deturbatus.

» At non ità magnus et insignis Basilius; verùm ut aliarum omnium virtutum, sic etiam in his rebus ordinis et disciplinæ exemplar aliis se præbet. Nàm cùm priùs sacros Libros populo lectitâsset, ipse eorum interpres, nec illud lectoris officium se indignum duxisset, ità demùm in presbyterorum, ac deindè in episcoporum cathedrâ Dominum laudat, non hanc potestatem furatus, nec eâ per vim potitus, nec honorem prosecutus, sed ab honore quæsitus, nec humano favore, sed divinitùs ac Dei gratiâ sacerdotium consecutus. Verùm de sedis principatu hoc loco nos expectet oratio; atque in eâ, quæ ad inferiorem dignitatis locum pertinet, nonnihil immoremur. Quale enim hoc quoquè mihi penè effluxit, in medio eorum, quæ à nobis commemorata sunt, jacens[1] ! »

5°. Episcopus propter eximias virtutes consecratus, hæreticos repellit scriptis; factis autem Valenti resistit, cujus sic persecutionis acerbitatem depingit.

« Porrò cùm illustria quidem prima illius facinora

[1] S. Greg. Theol. Orat. XLIII, n. 26, 27.

fuerint, tùm verò illustriora fuêre ea certamina, quæ postrema adversùm nos habuit. Quænam autem prima dico? Exilia, fugæ, bonorum proscriptiones, insidiæ tàm apertæ, quàm obscuræ; sermonum illecebræ, ubì occasio se offerebat; vis, ubì verborum blanditiis locus non erat. Alii quidem ab ecclesiis extrudebantur, qui scilicèt fidem orthodoxam ac nostram profitebantur. Alii autem introducebantur, nempè qui pestiferam et exitialem imperatoris doctrinam tenebant, qui impietatis chirographa exigebant, qui his adhùc graviora scribebant. Presbyteri in medio mari combusti; impii belli duces, non Persas superantes, non Scythas in potestatem redigentes, non aliam quamdam barbaricam gentem debellantes; verùm ecclesiis bellum inferentes, in altaribus saltitantes, hominum et victimarum sanguine incruenta sacrificia contaminantes, ac virginum pudorem probro afficientes. Idque quam tandem ob causam? Nimirùm, ut Jacob patriarcha expelleretur, ipsique Esaü ille, *antè etiam quàm in lucem prodiisset, odio habitus* [1], subrogaretur. Habetis primorum ipsius facinorum historiam, quorum ipsa quoque commemoratio et auditio multis etiamnùm lacrymas movet [2]. »

Locus hìc foret referendi episcopalem hanc fortitudinem quam præfecti Modesti furoribus opposuit, sanctamque dignitatem quâ ingredientem in sanctuarium Valentem perterruit; sed cùm ista jàm narraverimus in ejus vitâ, hùc recurrat curiosus lector. Sufficiat hìc rescribere quæ de cæteris ejus virtutibus enarrat Orator.

« Equidem mihi verendum esse video, ne, dùm apud eos, qui omnes illius laudes requirunt, negligentiæ culpam vitare cupio, in immodicæ prolixitatis crimen apud eos incidam, qui mediocritatem laudant, quam nec ille

[1] Rom. IX, 11. — [2] S. Greg. Theol. Orat. XLIII, n. 46.

contemnebat, utpotè qui sententiam hanc, « Modus omnis optimus, » imprimis laudaverit, ac per omnem vitæ cursum observaverit. Ego tamen, utrisque perpensis, nempè et iis, qui brevitatis nimirùm studiosi sunt, et iis, qui nullâ oratione saturari possunt, hunc ferè dicendi modum tenebo. Alii alio quodam virtutis officio funguntur. Nonnulli etiam ex pluribus virtutis generibus quædam assequuntur. Nemo autem est, qui per omnia ad summum usquè grassatus sit, eorum quidem certè, qui nobis noti sunt. Verùm is apud nos præstantissimus est, qui, vel quàm plurima præstiterit, vel unum quàm maximè et præstantissimè. At Basilius ità omnia peragravit, ut in eo gloriæ materiam quæsivisse natura videatur. Id autem sic perspiciamus. Laudat quispiam possessionum penuriam, vitamque supellectilis expertem, et supervacaneis rebus vacuam? Illi verò quid unquàm fuit, præter corpus, ac necessaria carnis integumenta? Divitiæ autem illi erant nihil habere, et crux, cum quâ solâ ipsius vita versabatur, et quam majori in pretio habebat, quàm ingentes pecuniæ acervos. Neque enim quemquam, etiamsi maximè cupiat, omnia adipisci posse; posse autem omnia contemnere, sicque omnibus rebus præstantiorem se præbere. Hâc porrò mente præditus, atque ità comparatus, arâ quidem opus non habuit, nec inani gloriâ, nec publico illo præconio : « Crates Cratetem Thebanum libertate donat. » Non enim optimus videri, sed esse, studebat. Nec verò in dolio, atque in medio foro habitabat, ut apud omnes luxum ac delicias sibi compararet, inopiam in rerum copiam novo modo convertens : verùm ab omni gloriæ cupiditate alienus, pauper erat et incultus; atque omnibus facultatibus, quas unquàm habuerat, æquo animo projectis, leviter facilèque vitæ pelagus transmittebat.

» Admiranda res continentia, et parvo contentum

vivere, nec à voluptatibus superari, nec à ventre, tanquàm à sævo et sordido domino gubernari! Quis unquàm tantâ inediâ fuit, penè etiam dixerim, quis tàm carnis expers? Nàm voracitates et saturitates ad eos abjecerat, qui ad brutorum naturam propiùs accedunt, quorumque servilis atque in terram prona vita est. Ipse autem nihil eorum, quæ post guttur pari deinceps honore sunt, magnum esse censebat; verùm necessariis tantùm cibis, quandiù licuit, vitam tolerabat, atque hunc solum luxum nôrat, nempè à luxu abstinere, nec ob eam causam pluribus rebus indigere; sed lilia et aves, quibus simplex atque artificii expers pulchritudo est, et victus facilis atque ex tempore quæsitus, ob oculos habere, quemadmodùm Christus meus monet[1], qui carnis paupertatem nostrâ causâ subiit, ut nos ipsius Divinitate locupletemur. Hìnc illi tunica una et pallium unum, et stratus humi lectulus, et vigiliæ, et illuvies, (illa ejus decora et ornamenta,) et suavissima cœna et obsonium, panis et sal, novum, inquam, illud condimentum, et potio sobria et uberrima, quam nobis nihil laborantibus fontes profundunt. Ex quibus, imò cum quibus, morborum curationes ac medicationes promanârunt, quod commune utriusque nostrûm studium fuit. Oportebat enim me, cùm in aliis rebus inferior essem, calamitatum saltem æquam partem habere.

» Magna res virginitas et cælibatus, atque in angelorum naturæque singularis ordine censeri, vereor enim dicere Christi, qui, cùm propter nos genitos nasci vellet, ex Virgine gignitur, virginitatem velut latâ lege sanciens, ut hìnc abducentem ac mundum conscindentem, vel potiùs, mundum ad mundum transmittentem, præsentem nimirùm ad futurum. Quis igitur magis quàm ille, aut virginitatem in pretio habuit, aut carni leges imposuit;

[1] Matth. VI, 26, et seqq.

idque, non suo tantùm exemplo, sed etiam per ea quibus operam dedit? cujus sunt virginum cœnobia, ac præcepta illa litteris mandata, quibus, et omnes sensus coërcebat, et membra omnia componebat, ac verè virginitatem colere admonebat, pulchritudinem, ab iis rebus, quæ aspectu sentiuntur, ad ea, quæ oculorum obtutum fugiunt, convertens; atque id quidem, quod externum est, debilitans, flammæque materiam subtrahens, quod autem internum et occultum est, Deo, qui solus est purarum animarum sponsus, atque insomnes animas, si modò cum claris lampadibus et copiosâ olei alimoniâ obviàm ipsi prodierint, secum introducit, spectandum offerens? Cùm igitur solitaria vita, et ea, quæ societate gaudet, ut plurimùm inter se dissiderent, ac pugnarent, neutraque omninò, vel commoda, vel incommoda sua pura et immixta haberet; verùm illa magis quidem tranquilla et sedata esset ac Deo animos copularet, cæterùm ob eam causam fastu non careret, quòd virtus non exploraretur, nec in comparationem veniret; hæc autem magis quidem actuosa et utilis esset, verùm à tumultibus minùs libera, eas præclarè inter se reconciliavit ac permiscuit, pietatis nimirùm gymnasia et monasteria extruens, non tamen longo intervallo ab iis, qui in sodalitio vivunt, remota, nec, velut muro quopiam interjecto, ea distinguens atque à se invicem separans, verùm propè conjungens ac dirimens: ut nec contemplatio communicationis expers esset, nec actio contemplatione careret; sed quemadmodùm terra et mare, ità etiam hæ duæ vitæ commoda sua inter se communicantes, ad unicam Dei gloriam concurrerent.

» Quid prætereà? Pulchra res benignitas, et pauperum alendorum studium, atque humanæ infirmitati opem ferre. Paululùm extrà civitatem pedem effer, ac novam civitatem conspice, illud pietatis promptuarium, illud commune

locupletum ærarium, in quod, non modò redundantes ac superfluæ opes, sed jàm necessariæ quoquè facultates per illius cohortationes reconduntur, tineas excutientes, fures non oblectantes, invidiæ certamen et temporis corruptionem effugientes; in quo morbus æquo animo toleratur, et calamitas beata censetur, et misericordia exploratur. Quid cum hoc opere comparem Thebas septem portas habentes, et Ægyptias illas, et muros Babylonicos, et Caricum Mausoli sepulcrum, et Pyramides, et Colossi æs immensum, et delubra mirâ magnitudine atque eleganti arte confecta, jàm eversa et prostrata, cæteraque omnia, quæ homines admirantur, atque historiis prodidêrunt; ex quibus omnibus, præter inanem quamdam et exiguam gloriam, nulla prorsùs utilitas ad extructores rediit? Mihi verò nulla res perindè admirabilis videtur, atque compendiaria hæc ad salutem via, hic facilis in cœlum ascensus. Non jàm oculis nostris triste et miserandum spectaculum proponitur, homines antè mortem vitâ functi ac pluribus corporis membris mortui, civitatibus, domibus, foro, aquis, hominibus etiam sibi charissimis expulsi, nominibus potiùs quàm corporum lineamentis agnoscendi: nec in publicis cœtibus et conventibus per sodalitia et contubernia offeruntur, non jàm misericordiam ob morbum, sed odium suî concitantes; miserabilium cantionum artifices, si quibus tamen vox quoque ipsa superest. Quid res nostras omnes tragicis verbis prosequar, cùm nulla oratio huic calamitati par inveniri queat? At ille omnium maximè nobis persuasit, ut, cùm homines simus, homines ne contemnamus, nec per nostram in illos crudelitatem, Christum, unum omnium caput, ignominiâ afficiamus; sed in alienis calamitatibus nobis ipsis optimè consulamus, Deoque misericordiam, quâ ipsi egemus, fœneremur. Quocircà ne labra quidem vir nobilis, et nobi-

libus ortus, gloriâque clarissimus, ægrotis admovere gravabatur; verùm ut fratres amplectebatur, non, ut quispiam fortassè existimaverit, inanem gloriam captans; (quis enim ab hoc affectu remotior?) verùm per philosophiam suam hoc aliis præscribens, ut ad ægrorum corporum curationem accedere non vererentur. Ità, non modò loquendo, sed etiam tacendo, monitoris partes obibat. Nec verò civitas quidem ad hunc modum se gerebat, regio autem atque externa loca non item : quin potiùs, omnibus populi præsulibus commune benignitatis ergà pauperes et munificentiæ certamen proposuit. Et aliorum quidem coqui, et lautæ mensæ, et cupediariorum lenocinia et scitamenta, et elegantes currus, et vestes molles latèque diffluentes : Basilii autem, ægroti, et vulnerum curationes, et Christi imitatio, non quidem sermone, sed opere lepram purgantis.

» Quid ad hæc nobis dicturi sunt, qui homini fastum superciliumque objiciunt? Iniqui sanè et acerbi rerum hujusmodi judices, eosque, qui regulæ non sunt, ad regulam admoventes. An verò fieri potest, ut qui leprosos deosculetur, et hùc usquè se demittat, adversùs sanos et valentes supercilium attollat? qui carnes continentiâ et inediâ conficiat, inani animi fastu infletur? qui Pharisæum damnet, atque illius ex arrogantiâ depressionem commemoret, et Christum sciat ad formam usquè servilem sese demisisse, et cum publicanis comedisse, et discipulorum pedes abluisse, nec crucem recusâsse, ut peccatum meum affigeret; (quanquàm quid hoc mirabilius, Deum, qui capi atque expugnari nequit, ac perpessione omni sublimior est, pendentem, et quidem cum latronibus, ac prætereuntium ludibrio expositum intueri?) idem tamen suprà nubes sese efferat, atque omnibus anteponat, quemadmodùm iis videtur, qui ipsius virtuti invident?

Verùm illi fastûs nomen, ut opinor, morum firmitati et innocentiæ imposuêrunt. At iidem homines facilè quoquè mihi facturi videntur; ut et fortem, temerarium appellent; et prudentem ac circumspectum, timidum; et temperantem, agrestem et inhumanum; et justum, illiberalem et sordidum. Neque enim hoc quidam malè tradidêrunt, virtutibus finitima et quodam modò vicina esse vitia; nihilque facilius esse, quàm ut ab illis, qui hujusmodi rerum scientiam non tenent, res quædam aliud esse judicetur, quàm reverà sit. Quis enim magis aut virtutem coluit, aut vitium coërcuit, vel officio probè functis benigniorem ac suaviorem, aut peccantibus severiorem se præbuit; utpotè cujus vel pertenuis risus sæpè laudatio esset, et silentium increpatio, in propriâ nimirùm cujusque conscientiâ culpam explorans ac puniens? Quòd si non lepidus quispiam et facetus erat, nec circumforaneus, nec ex eo quòd omnibus omnia fieret, plerisque gratus et acceptus, quid tùm? Nonne laudem potiùs quàm reprehensionem hoc nomine meretur, saltem apud mente præditos? Nisi quis leonem etiam accusandum putet, quòd non simiæ vultum, vel torvum quemdam et horrificum ac regium præferat, cujus ipsæ quoquè saltationes fortes et generosæ sunt, et cum admiratione jucundæ; atque etiam histriones, ut suaves et humanitatis plenos, admiretur, quoniam populi voluptatibus inserviunt, colaphosque sibi invicem in malam impingendo, strepitumque ciendo, risum ei movent. Quanquàm etiam, si hoc quæramus, quis in cœtibus adeò jucundus, quantùm quidem ipse cognosco, qui ipsius maximè periculum feci? quis in narrando festivior? quis in jocando argutior? quis in objurgando lenior? Sic ut neque increpatio in temeritatem, neque indulgentia in mollitiem recideret; sed utriusque excessum fugeret, utroque congruenter et tempestivè

utens, juxtà Salomonis leges[1], qui omnibus rebus tempus constituit [2]? »

6°. Reducit sermonem ad ejus animi dotes, utpotè quæ decursu ætatis novum acceperant incrementum; et quem in juventute mirabilem effinxerat, in maturâ ætate mirabiliorem ostendit.

« Sed quid ista sunt, præ illius dicendi facultate, palmâque doctrinæ, quâ extremas orbis partes inter se conciliavit? Adhùc in montis radicibus versamur, à vertice remoti : adhùc fretum trajicimus, relicto magno et profundo oceano; existimo enim, si quæ unquàm tuba fuit, vel futura est, in aërem quàm longissimè penetrans, aut vox Dei totum orbem comprehendens, aut universæ terræ motus novo quodam et mirando modo exortus, hæc omnia vocem illius ac mentem fuisse, tantùm omnes à tergo relinquentem atque infrà se collocantem, quantùm nos brutorum naturam superamus. Quis seipsum magis Spiritui purgavit, atque ità se comparavit, ut dignus esset, qui oracula divina explanaret? quis rursùm majori scientiæ luce collustratus est, atque in profunda Spiritûs prospexit, ac cum Deo, quæ Dei sunt, exquisivit? quis porrò sermonem habuit animi sensa meliùs exponentem, ità ut neutrâ parte, ut plerique, claudicaret, nempè, vel mente sermone destitutâ, vel sermone qui ad mentis intelligentiam non assurgat : verùm parem in utrâque re laudem obtineret, parque ipse sibi haud dubiè esset, ac verè integer et perfectus. Ac quædam Scriptura hoc Spiritui sancto tribuit, quòd *Omnia scrutetur, etiam profunda Dei* [3], non ut ignorans, sed ut ex eorum contemplatione summam voluptatem capiens. Basilius autem omnia, quæ Spiritûs sunt, perscrutatus est, ex eoque mores

[1] Eccli. III, 1 et seqq. — [2] S. Gregor. Theol. Orat. XLIII, n. 60-64. — [3] 1 Cor. II, 10.

omnes erudivit, ac sublimiter loqui docuit, hominumque animos à rebus præsentibus abstractos ad futura traduxit.

» Laudatur apud Davidem solis pulchritudo, et magnitudo, et cursûs celeritas, et vis ac facúltas; quippè qui sponsum splendore, gigantem magnitudine referat [1], ac longè latèque progrediendo, tantam vim habeat, ut ab extremis extrema æquè collustret, nec locórum intervallis ipsius calor ullo modo minuatur. Basilio autem pulchritudo, virtus fuit; magnitudo, theologia; cursus, perpetua mentis agitatio, per quotidianos ascensus ad Deum ferens; potentia, doctrinæ semen ac distributio. Itàque ne hoc quidem mihi dicere verendum est, *In omnem terram sonum illius exiisse, atque in fines orbis terræ* vim illius verborum [2]; quod de apostolis Paulus dixit, à Davide mutuatus. Quænam hodiè alia ullius conventûs lætitia? quæ conviviorum voluptas? quæ fori? quæ ecclesiarum? quæ principum et privatorum deliciæ? quæ monachorum, aut eorum, qui societate gaudent? quæ eorum qui se à negotiis removêrunt, vel eorum qui in rebus gerendis versantur? quæ eorum qui profanæ, vel eorum qui nostræ disciplinæ studium profitentur? Una, et per omnia, et maxima oblectatio, illius volumina et lucubrationes. Nec scriptoribus materia ulla alia et copia post eum, præter ipsius scripta, suppetit. Silentur vetera, quæcumque in divinorum Oraculorum explanatione à quibusdam elaborata sunt : nova prædicantur; atque is apud nos eruditissimus habetur, qui libros ipsius quàm maximè intelligit, ac linguâ versat, auribusque instillat. Unus enim, omnium loco, studiosis ad eruditionem comparandam sufficit [3]. ».

7°. Basilium, quem jàm de omnibus laudavit, com-

[1] Psal. XVIII, 6. — [2] Ibid. 5, et Rom. X, 18. — [3] S. Gregor. Theol. Orat. XLIII, n. 65, 66.

parare aggreditur cum maximis omnium temporum viris:

» Age igitur, cùm multi viri, tùm in Veteri, tùm in Novo Testamento pietate clari et illustres fuerint, legislatores, militares duces, prophetæ, doctores, fortes usquè ad sanguinis profusionem, cum illis Basilium nostrum conferamus, atque hinc, qualis fuerit, agnoscamus. Adam Dei manu, ac deliciarum Paradisi, et primâ lege dignus habitus est [1]: ille tamen, ne quid debitæ parenti nostro reverentiæ contumeliosum dicam, præceptum minimè servavit: hic autem, et illud accepit, et servavit, nec ex scientiæ ligno incommodi quidquam accepit; nec dubito, quin flammeum gladium prætergressus, ad paradisum pervenerit. Enos primus spe adductus est, ut Dominum invocaret [2]: hic autem, non solùm invocavit, sed, quod invocatione multò præstantius est, aliis quoque prædicavit. Henoch translatus est [3], exiguæ pietatis præmium (fides enim adhùc in umbris erat,) hâc translatione consecutus, vitæque sequentis periculum effugit: hujus autem vita omnis nihil aliud quàm translatio erat, quippè qui perfectè in vitâ perfectâ probatus et exploratus fuerit. Noë arcam fidei suæ commissam accepit[4], et secundi mundi semina parvo ligno credita, atque inter undas conservata: hic autem impietatis diluvium effugit, suamque civitatem arcam salutis effecit, in hæreticorum undis facilè et leviter supernatantem, atque ex eo universum orbem recuperavit.

» Magnus Abraham, et Patriarcha, et novæ victimæ mactator, eum, quem ex promissione acceperat, beneficii Auctori offerens, victimam promptam et alacrem, atque ad cædem properantem [5]. At nec parva Basilii laus est, qui se ipsum Deo obtulit, nec quidquam in ejus locum,

[1] Genes. I, 27 et seqq. — [2] Id. IV, 26. — [3] Id. V, 21 et seqq. — [4] Id. VI, 13 et seqq. — [5] Id. XXII, 1 et seqq.

tanquàm ipsi par, (quidnam enim illud esset?) substitutum est, sed plenè perfectèque litatum. Isaac etiam, antequàm in lucem ederetur, promissus est [1] : hic autem spontè se ipsum promisit, ac Rebeccam, hoc est, Ecclesiam, non procùl quæsitam, sed à propinquo assumptam, uxorem duxit, nec per servorum legationem, sed divino beneficio concessam atque commissam ; nec in filiorum prælatione circumventus est, sed unicuique, quod promerebatur, cum Spiritûs judicio et delectu, sinè ullâ fraude ac circumscriptione, tribuit. Jamverò Jacobi scalam et columnam eam laudo, quam Deo unxit, ejusque etiam cum eo colluctationem, quæcumque tandem illa erat [2] ; est quidem, ut ipse opinor, humani moduli cum divinâ sublimitate comparatio et contentio, undè etiam procreatæ naturæ devictæ notas gerit. Illius quoquè circà ovium greges artificium et felicitatem, et duodecim ex eo natos Patriarchas, et benedictionum partitionem cum egregiâ futurarum rerum prædictione conjunctam, laudibus eveho. At hujus etiam, non conspectam tantùm, sed et transitam, et per quotidianos virtutum gradus conscensam scalam laudo, et columnam, quam Deo, non quidem unxit, sed erexit, impiorum dogmata ad infamiæ sempiternæ notam inusta continentem, eamque dimicationem, quam, non adversùs Deum, sed pro Deo suscepit, hæreticorum dogmata dejicientem ac prosternentem ; ac prætereà pastoralem illius artem, ex quâ locupletatus est, plures oves insignitas, quàm signi expertes adeptus ; elegantem item et numerosam sobolem secundùm Deum progenitam, ac deniquè benedictionem, quâ multos suffulcivit.

» Joseph frumenti distributor fuit [3], sed Ægypti dun-

[1] Genes. XVIII, 10 ; XXIV, 3 et seqq. — [2] Id. XXVIII, 12 et seqq. — [3] Id. XLI, 40 et seqq.

taxàt, neque id sæpiùs, nec nisi corporeo modo. At hic, et omnium, et semper, et spirituali modo : quod quidem illâ frumenti distributione, meâ quidem sententiâ, longè præstantius augustiusque censendum est. Cum Job Ausitâ[1], et tentatus est, et superior discessit, confectisque certaminibus, illustri præconio victor pronuntiatus est : ut qui nullo incursantium acerbitatum, quæ multæ fuêrunt, impetu concussus et labefactatus fuisset, sed tentatorem abundè superâsset, atque amicorum calamitatis arcanum ignorantium stultitiam ac temeritatem repressisset. *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus* [2]. Et magnus quidem Moyses, qui Ægyptum vexavit, populum in signis multis prodigiisque servavit [3], intrà nubem processit, duplicem legem sanxit, litteralem nimirùm externè, spiritalem internè; Aaron autem, Moysis, et corpore, et spiritu frater [4], pro salute populi preces et sacrificia ad Deum adhibens, magni illius et sacrosancti tabernaculi mystes, *Quod fixit Dominus, ac non homo* [5]. Utriusque horum ille æmulus fuit, hæreticam et ægyptiam nationem, non corporeis, sed spiritualibus plagis excrucians; *Populum autem acquisitionis, bonorum operum sectatorem* [6], ad promissionis terram deducens, et tabulis, quæ non perfringuntur, sed conservantur, leges, non jàm obscuras et abumbratas, sed omni ex parte spirituales, inscribens; atque adeò in Sancta sanctorum, non semel quotannis, sed sæpiùs, et, ut ità dicam, quotidiè ingrediens, atque hinc nobis sanctam Trinitatem detegens, ac postremò, non per fluxas et caducas aspersiones, sed per æternas purificationes, populi labes eluens. Quid pulcherrimum habuit Josuë [7]? militare imperium, et portionum distributionem, terræque sanctæ possessionem.

[1] Job. I, 1 et seqq. — [2] Psal. XCVIII, 5. — [3] Exod. VII, 8 et seqq. — [4] Id. XXIX, 4, et seqq. — [5] Hebr. VIII, 2. — [6] Tit. II, 14. — [7] Josuë, I, 2, et seqq.

Iste verò, nonnè imperator? nonnè dux eorum, qui salutem per fidem assequuntur? nonnè diversarum hæreditatum ac mansionum, quæ apud Deum sunt, assignator, quas militibus suis distribuit? Adeò ut hâc quoque voce ipse uti possit : *Fines cecidérunt mihi in præclaris* [1]. Et rursùs : *In manibus tuis sortes meæ* [2]; sortes utiquè iis, quæ humi serpunt, ac diripi possunt, multò præstantiores.

» Atque, ut Judices, et Judicum clarissimos quosque prætereamus, *Samuël inter eos, qui invocant nomen ejus* [3], et antè nativitatem donatus, et post nativitatem confestim sacer, ac cornu suo reges et sacerdotes ungens [4]. Quid Basilius? nonnè ab infantiâ, et ab ipsâ matrice, Deo consecratus, ac cum diploïde altari oblatus est, et cœlestia perspiciebat, et unctus Domini erat, et unctor eorum, qui ex Spiritu perficiebantur? David inter reges clarus et celebris [5], cujus multæ quidem de hostibus victoriæ ac triumphi historiis proditi sunt, et præcipuum decus ac ornamentum est mansuetudo [6], et antè regiam dignitatem vis citharæ malum spiritum incantans. Salomon cordis latitudinem à Deo postulavit, et obtinuit, eòque sapientiæ et contemplationis progressus est, ut omnes ætatis suæ mortales nominis celebritate superaret [7]. Basilius autem, nisi me opinio fallit, nec illi lenitatis, nec huic sapientiæ laude quidquam, aut minimum certè concedit; adeò ut imperatorum quoquè, qui dæmonum intemperiis agitabantur, furorem emolliret; nec regina tantùm Austri, aut quidam duntaxàt homines, sapientiæ famâ commoti, è finibus terræ ad eum se conferrent, sed omnibus orbis finibus sapientia ipsius nota esset. Ac,

[1] Psal. xv, 6. — [2] Id. xxx, 16. — [3] Id. xcviii, 6. — [4] 1 Reg. i, 20, et xvi, 13. — [5] 2 Reg. v, 1 et seqq. — [6] Psal. cxxxi, 1. — [7] 3 Reg. iv, 29, et seqq.

quæ de Salomone sequuntur, silentio præteribo; sunt autem ea cunctis conspicua et explorata, etiamsi nos dicere supersedeamus.

» Eliæ loquendi libertatem, quam adversùs tyrannos adhibuit, ipsiusque per ignem raptum laudas [1]? laudas etiam pulchram Elisei hæreditatem, illam nimirùm melotem, quam Eliæ spiritus comitatus est [2]? Hujus quoquè vitam lauda, in igne traductam, id est, in tentationum agmine, ac salutem per ignem partam, urentem quidem illum, sed non perurentem, quod est rubi miraculum [3], sublimitùsque illi concessam pellem, nimirùm virginitatem. Mitto rore perfusos in flammis adolescentes [4], et fugitivum Prophetam, in ventre ceti precantem, atque ex bestiæ præcordiis quasi è thalamo, prodeuntem [5]; et Justum illum, leonum furorem in lacu vincientem [6]. Mitto septem Machabæorum dimicationem, qui cum sacerdote et matre in sanguine, atque omnis generis tormentis consummati sunt [7], quorum ille tolerantiam æmulatus, gloriam quoquè retulit.

» Transeo jàm ad Novum Testamentum, ac iis, qui hìc laude atque gloriâ floruêrunt [8], ipsius vitam conferens, ex magistris discipulum ornabo. Quis præcursor Jesu? Joannes, ut vox Verbi, et ut lucerna luminis, qui coràm ipso et in ventre exiliit, et ad inferos per Herodis furorem transmissus est, ut illìc quoquè mox venturum prædicaret. Quòd si cui audacior fortè videatur hic sermo, illud priùs cogitet, me in hâc comparatione non id agere, ut ei, qui inter natos mulierum omnes superavit, Basilium, vel anteponam, vel exæquem; sed ut, eum ipsius imitatorem fuisse, atque ex ejus formâ et charactere nonnihil in se

[1] 4 Reg. I, 1 et seqq. — [2] Id. II, 9 et seqq. — [3] Exod. III, 2. — [4] Dan. III, 5 et seqq. — [5] Joan. II, 1 et seqq. — [6] Dan. XIV, 28 et seqq. — [7] Mach. VII, 1, et seqq. — [8] Luc. III, 4.

ipso gessisse, ostendam. Non enim probis viris exiguam laudem affert summorum virorum vel parva incitatio. Annon enim philosophiæ illius simulacrum perspicuè in se ipso expressit? Ipse quoquè in deserto habitavit. Ipse quoquè noctù, ut lateret, hominumque fugeret notitiam, asperâ veste tectus est. Ipse quoquè idem cibi genus adamavit, Deo videlicèt per continentiam se purgans. Ipse quoquè dignus etiam habitus est, qui Christi præco fieret, etiamsi non præcursor; atque ad eum egrediebatur, non solùm omnis finitima regio, sed etiam externa et longè dissita. Ipse quoquè inter duo Testamenta medius, illius videlicèt litteram evertens, hujus autem spiritum in publicum efferens; ac per externæ et visibilis legis eversionem, occultam legem implens.

» Imitatus est Petri zelum, Pauli constantiam et firmitatem, ac utriusque, tùm nomine, tùm nominis mutatione clarissimi, fidem [1]; filiorum Zebedæi grandiloquentiam: Discipulorum omnium frugalitatem et superfluarum rerum contemptum. Propterea, *Claves etiam regni cœlorum ipsi committuntur* [2]; Nec *Ab Jerosolymâ tantùm usquè ad Illyricum* [3], sed majorem circulum Evangelio comprehendit; et filius tonitrui, non quidem nominatur, sed efficitur; atque ad Jesu pectus positus, illìnc vim dicendi et sententiarum profunditatem haurit. Nàm Stephanus fieri, quanquàm id parato esset animo, prohibitus est [4]; pudore nimirùm ac reverentiâ compresso lapidantium impetu. Atque etiam, ne singula persequar, de his rebus breviùs adhùc et compendiosiùs loqui possum. Ille enim bonorum, alia quidem invenit, alia æmulatus est, alia superavit. In quantum autem per omne virtutis genus

[1] Act. IV, 8 et seqq. — [2] Matth. XVI, 1. — [3] Rom. XV, 1. — [4] Act. VII, 58.

grassatus est, omnibus nostræ memoriæ hominibus palmam præripuit [1]. »

8°. Basilii mortem et funus vividis imaginibus sic repræsentat :

« Jacebat ille extremos spiritus ducens, atque à cœlesti choro, ad quem jampridem oculorum aciem intendebat, expetitus. Effusa autem circùm eum erat tota civitas, jacturam hanc ægerrimè ferens, ac discessum, perindè ut tyrannidem, accusans, ejusque animam, non secùs ac si retineri, atque vel manibus, vel precibus cogi posset, arripere studens. Dementes enim eos dolor reddebat; nec quisquam erat, qui non aliquam vitæ suæ partem, si fieri posset, illius vitæ addere paratus esset. Ut autem cessêre, (oportebat enim eum mortalem deprehendi,) ipse tandem hæc verba proferens : *In manus tuas commendo spiritum meum* [2], inter Angelos, à quibus abducendus erat, animam lætus exhalavit; non antè tamen quàm sacrosanctâ doctrinâ eos qui aderant, nonnihil instruxisset, extremisque alloquiis meliores effecisset. Tùm verò miraculum omnium, quæ unquàm fuêrunt, celeberrimum designatur.

» Efferebatur vir sanctus, sanctorum virorum manibus elatus : unusquisque autem operam dabat, alius ut fimbriam [3], alius ut umbram [4], alius ut sacriferum lectulum arriperet, ac vel solùm attingeret; (quid enim illo corpore sanctius et purius?) alius ut propiùs ad eos qui corpus ferebant, accederet; alius ut aspectu solo frueretur, tanquàm eo quoquè utilitatis aliquid afferente. Plena erant fora, porticus, duplicia et triplicia tabulata, hominum deducentium, præeuntium, prosequentium, assectantium, sese invicem prementium; multa millia

[1] S. Gregor. Theol. Orat. XLIII, n. 70–76. — [2] Psal. XXX, 6. — [3] Luc. VIII, 44. — [4] Act. V, 15.

omnis generis et ætatis antè eum diem incognita. Psalmodiæ gemitibus cedebant, et animi constantia doloris magnitudine frangebatur. Certabant nostri cum exteris, cum Ethnicis, Judæis, advenis; iique vicissim nobiscum, utris uberiores lacrymæ uberiorem utilitatem afferrent. Deniquè dolor ille in periculum desiit. Multæ enim animæ ex vi protrusionis et compressionis unà cum eo excessêrunt; quæ hujus finis nomine felices prædicatæ sunt, ut discessûs ipsius sociæ, atque ut ferventiorum quispiam dixerit, funebres victimæ. Cùm autem corpus vix rapientium manus effugisset, ac prosequentes superâsset, in parentum sepulcro conditur, ac sacerdotibus sacerdotum princeps, prædicatoribus magna vox, meisque auribus insonans, martyribus martyr adjungitur. At nunc ille quidem in cœlis est, illìc etiam, ni fallor, sacrificia pro nobis offerens, et pro populo preces fundens; neque enim ità nos reliquit, ut prorsùs reliquerit. At ego mediâ ex parte mortuus et dissectus Gregorius, (utpotè à magno illo socio abruptus, atque acerbam et miseram vitam trahens, ut consentaneum est eum qui ab eo disjunctus sit,) haud scio, quemnam post illius disciplinam finem nanciscar; à quo nnuc quoquè per nocturnas visiones admoneor et castigor, si quandò ab officio recessero. Nec verò ego quidem luctus laudibus adjungo, atque illius vitam oratione pingo, ac tempori communem virtutis tabulam, salutiferumque omnibus ecclesiis omnibusque animabus exemplum propono; in quod, velut in vivam quamdam legem, intuentes, vitam nostram dirigemus : vobis autem, qui ab ipso doctrinâ sacrâ imbuti estis, quidquam aliud suaserim, quàm ut eum semper spectetis, ac, tanquàm ipse, et vos videat, et à vobis videatur, spiritu instruamini [1]. »

[1] S. Gregor. Theol. Orat. XLIII, n. 79, 80.

9°. Perorat deniquè convocando omnes ad conficiendum ejus encomium, ipsumque deprecando Basilium:

« Adeste jàm, ac me circumsistite, omnis illius chorus; tàm qui sacrarii estis, quàm qui inferioris ordinis; tàm qui ex nostris, quàm qui ex exteris; encomium mecum conficite, alius aliam quampiam illius virtutem exponentes, et conquirentes : qui thronis insidetis, legislatorem; qui rempublicam geritis, civitatis principem, ac velut conditorem; plebeii, moderatorem; litterarum studiosi, præceptorem; virgines, pronubum; conjugatæ, pudicitiæ magistrum; solitarii, eum qui vobis pennas addebat; cœnobiaci, judicem; simplices, itineris ducem; speculationis amantes, theologum; hilares, frenum; calamitosi, solatium; senes, baculum; juvenes, pædagogum; pauperes, largitorem; locupletes, dispensatorem. Quin mihi quoquè videntur et viduæ patronum suum laudaturæ, et orphani patrem, et pauperes pauperum amatorem, et peregrini hospitalem, et fratres fratrum amatorem, et ægrotantes medicum cujuscumque volueris morbi et medicinæ, et sani sanitatis custodem; omnes deniquè eum, qui *omnibus omnia factus est, ut omnes*, aut certè quàm plúrimos, *lucrifaceret*[1].

» Habes hæc à nobis, Basili, hoc est, à linguâ quondàm tibi suavissimâ, atque honore et ætate æquali. Quæ si ad virtutis tuæ meritum propè accesserint, beneficium id tuum est; te enim fretus, hanc orationem institui. Sin autem longè infrà dignitatem et spem tuam substiterint, quid facerem, homo et senectute, et morbo, et tuî desiderio confectus? Quanquàm Deo quoquè gratum est, quod pro viribus efficitur. Tu verò, sacrum et divinum caput, à cœlo nos, quæso, inspice, carnisque stimulum à Deo nobis ad disciplinam datum, aut precibus tuis siste,

[1] I Cor IX, 22.

aut certè, ut cum forti animo perferamus, persuade : atquè omnem nostram vitam ad id, quod maximè conducibile est, dirige : nosque, posteaquàm ex hâc vitâ migraverimus, illìc quoquè tabernaculis tuis excipe; ut simul viventes, et sanctam ac beatam Trinitatem, cujus nunc exiguam speciem et imaginem accipimus, puriùs pleniùsque cernentes, desideriis nostris finem statuamus, ac bellorum eorum, quæ intulimus, vel pertulimus, hoc præmium referamus. Atque hanc quidem à nobis orationem habes : nos autem, vitam post te cum morte commutantes, quis laudaturus est? si quid tamen laude dignum habeamus, quod orationi suppeditare possimus, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula. Amen [1]. »

Hunc beati Gregorii Nazianzeni fœtum cum argumento simili, quod à recentiori diversique generis ingenio tractatum reperimus, comparare forsan non erit ingratum. Placebit certè novum intueri certamen, in quo ingenua simplicitas cum exquisitâ facundiâ congreditur, Bernardus scilicet cum Gregorio. Amisso fratre Girardo, Bernardus diù fletus compresserat; sacram nihilominùs ascenderat cathedram; allatum scripturæ textum tranquillo exteriùs animo explanabat, cùm subitò exclamat dolore victus : « Mœror finem imperat, et calamitas quam patior. » Quo dicto tacere impatiens, sic loqui pergit :

« Quousquè dissimulo, et ignis quem intrà me ipsum abscondo, triste pectus adurit, interiora depascitur? Clausus latiùs serpit, sævit acriùs. Quid mihi et cantico huic, qui in amaritudine sum? Vis doloris abducit intentionem, et indignatio Domini ebibit spiritum meum. Subtracto siquidem illo, per quem mea in Domino studia utcunquè libera esse solebant; simul et cor meum dereliquit me. Sed feci vim animo, ac dissimulavi usquè hùc;

[1] S. Gregor. Theol. Orat. XLIII, n. 81, 82.

ne affectus fidem vincere videretur. Deniquè plorantibus aliis, ego, (ut advertere potuistis,) siccis oculis steti ad tumulum, quousquè cuncta peracta sunt exequiarum solemnia. Indutus sacerdotalibus, solitas in eum orationes proprio ore complevi, terram meis manibus ex more jeci super dilecti corpus, terram mox futurum. Qui me intuebantur flebant et minabantur, quod non flerem ipse: cùm non illum quidem, sed me potiùs, qui illum amisissem, omnes miserarentur. Cujus enim vel ferreum pectus super me ibi non moveretur, quem videret Girardo superstitem? Commune damnum : sed præ meo non reputabatur infortunio. At ego quibus poteram viribus fidei, reluctabar affectui, nitens vel invitus non moveri frustrà addictione naturæ, universitatis debito, conditionis usu, potentis jussu, judicio justi, flagello terribilis, Domini voluntate. Pro hujusmodi semper extunc et deinceps exegi à memetipso non indulgere multo fletui, multùm tamen turbatus et mœstus. Nec potui imperare tristitiæ, qui potui lacrymæ; sed, ut scriptum est: *Turbatus sum, et non sum locutus*[1]. Et suppressus dolor altiùs introrsùm radicavit, eò (ut sentio,) acerbior factus, quò non est exire permissus. Fateor, victus sum. Exeat necesse est foràs, quod intùs patior. Exeat sanè ad oculos filiorum, qui scientes incommodum, planctum humaniùs æstiment, dulciùs consolentur.

« Scitis, ô filii, quàm justus sit dolor meus, quàm dolenda plaga meâ. Cernitis nempè, quàm fidus comes deseruit me in viâ hâc quam ambulabam, quàm vigil ad curam, quàm non segnis ad opus, quàm suavis ad mores. Quis ità mihi pernecessarius? cui æquè dilectus ego? Frater erat genere, sed religione germanior. Dolete, quæso, vicem meam vos, quibus hæc nota sunt. Infirmus corpore

[1] Psal. LXXVI, 5.

eram, et ille portabat me; pusillus corde eram, et confortabat me; piger et negligens, et excitabat me; improvidus et obliviosus, et commonebat me. Quò mihi avulsus es? quò mihi raptus è manibus, homo unanimis, homo secundum cor meum? Amavimus nos in vitâ: quomodò in morte sumus nos separati? Amarissima separatio! et quam non posset omninò efficere nisi mors. Quandò enim me vivus vivum desereres? Omninò opus mortis, horrendum divortium. Quis enim tàm suavi vinculo mutui nostri non pepercisset amoris, nisi totius suavitatis inimica mors? Benè mors, quæ unum rapiendo, duos furiosa peremit. Annon mors etiam mihi? Imò plùs mihi, cui utiquè omni morte infelicior vita servata est. Vivo ut vivens moriar; et hoc dixerim vitam? Quàm mitiùs me privares, ô austera mors, vitæ usu, quam fructu! nàm vita sine fructu gravior mors. Deniquè duplex malum ligno paratur infructuoso, securis et ignis[1]. Ergò meis laboribus invidens, elongasti à me amicum et proximum, per cujus maximè studium erant (si quandò erant) fructuosi. Satiùs proindè mihi fuisset periclitari vitâ, quàm tuâ, ô Girarde, præsentiâ, qui meorum in Domino studiorum eras sollicitus incitator, fidelis adjutor, cautus examinator. Cur, quæso, aut amavimus, aut amisimus nos? Dura conditio, sed mea miseranda fortuna, et non illius! Nàm tu, chare frater, si charos amisisti, chariores utiquè recepisti. Me verò quænam jàm miserum consolatio manet post te unicum solatium meum? Placita fuit pariter utrique societas corporum pro morum concordiâ; sed solum me divisio vulneravit. Commune, quod libuit; quod triste et lugubre, meum: in me transiêrunt iræ, in me confirmatus est furor. Erat ambobus alterutrûm grata præsentia, dulce consortium, suave colloquium: sed tan-

[1] Matth. III, 10.

tas utriusque delicias ego perdidi, tu mutasti. Et quidem immutatis illis retributio multa.

» Quanto fœnore gaudiorum ac benedictionum cumulo cares hodiè nobis, frater charissime! Habes certè pro me tantillo repositam tibi Christi præsentiam : nec dispendium sentis absentiæ à nobis tuæ, angelorum admixtus choris. Nàm est igitur quòd causeris tu de nostrâ quasi subtractâ tibi præsentiâ, cui affatim suî, suorumque copiam Dominus majestatis indulsit. At ego pro te quid? Quàm vellem scire quidnam sentias nunc de me illo unico tuo, mediis nutante curis et pœnis, destituto te baculo imbecillitatis meæ! si tamen licet adhùc cogitare de miseris, ingresso abyssum luminis, atque illo pelago æternæ felicitatis absorpto. Fortè enim, etsi nosti nos secundum carnem, sed nunc jàm non nosti : et quoniàm introisti in potentias Domini, memoraris justitiæ ejus solius, immemor nostrî. Cæterùm *qui adhæret Deo, unus spiritus est*[1], et in divinum quemdam totus immutatur affectum : nec potest jàm sentire aut sapere nisi Deum, et quod sentit et sapit Deus, plenus Deo. Deus autem charitas est, et quantò quis conjunctior Deo, tantò plenior charitate. Porrò impassibilis est Deus, sed non incompassibilis, cui proprium est misereri semper et parcere. Ergò et te necesse est misericordem esse, qui inhæres misericordi, quamvis jàm minimè miser sis : et qui non pateris, compateris tamen. Affectus proindè tuus non est imminutus, sed immutatus ; nec quoniam Deum induisti, nostrî curâ te exuisti : et *ipsi enim cura est de nobis*[2]. Quod infirmum est abjecisti, sed non quod pium. *Charitas denique nunquàm excidit*[3] : non oblivisceris me in finem.

» Videor mihi quasi audire fratrem meum dicentem : *Numquid mater oblivisci poterit filii uteri sui*[4]? *Etsi*

[1] Cor. VI, 17. — [2] 1 Petr. V, 7. — [3] 1 Cor. XIII, 8. — [4] Isaï. XLIX, 15.

illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Non expedit prorsùs. Scis ubì verser, ubì jaceam, ubì relinqueris me; non est qui porrigat manum. Ad omne quod emerserit, respicio ad Girardum ut consueveram, et non est. Heu! tunc ingemisco miser, sicut homo sine adjutorio. Quem consulam in ambiguis? cui in adversis fidam? quis portabit onera? quis pericula propulsabit? Nonnè ubiquè gressus meos Girardi oculi anteibant? Nonnè tuum, Girarde, pectus curæ meæ notiùs, quàm meum ipsius habebant, familiariùs incursabant, acriùs urgebant? Nonnè in linguâ tuâ illâ placabili et potenti, meam à sermonibus sæculi frequentissimè vindicabas, et amico reddebas silentio? Dominus dederat illi linguam eruditam, ut sciret quandò deberet proferre sermonem. Ità deniquè in prudentiâ responsorum, et in gratiâ datâ sibi desuper, et domesticis satisfaciebat et exteris, ut penè me nemo requireret, cui prior fortè Girardus occurrisset. Occurrebat autem adventantibus, opponens se, ne subitò meum otium incursarent. Si quibus sanè per se satisfacere non quibat, hos perducebat ad me, cæteros emittebat. O virum industrium! ô amicum fidelem! et amico gerebat morem, et officiis charitatis non deerat. Quis vacuâ ab eo recessit manu? Si dives, consilium; si pauper, subsidium reportabat. Nec quærebat quæ sua sunt, qui se mediis ingerebat curis, ut ego vacarem. Sperabat enim, sicut erat humillimus, majorem de nostrâ quiete fructum, quàm si vacaret ipse. Interdùm tamen postulabat absolvi, et alteri cedere, quasi qui meliùs provideret. Sed ubì ille inveniretur? Nec petulanti aliquo (ut assolet) in eo officii detinebatur affectu, sed solo intuitu charitatis. Siquidem plùs omnibus laborabat, et minùs omnibus accipiebat, ità ut sæpè, cùm aliis necessaria ministraret, egeret ipse in pluribus, verbi causâ, cibo aut veste. Deniquè cùm se

sentiret decessui propinquare : Deus, inquit, tu scis quòd quantùm in me fuit, semper optavi quietem ; mihi intendere, tibi vacare. Sed implicitum tenuit timor tuus, voluntas fratrum, et studium obediendi, super omnia Abbatis pariter et fratris germana dilectio. Ità est. Gratias tibi, Frater, de omni fructu meorum, si quis est, in Domino studiorum. Tibi debeo si profeci, si profui. Tu intricabaris, et ego tuo beneficio feriatus sedebam mihi, aut certè divinis obsequiis sanctiùs occupabar, aut doctrinæ filiorum utiliùs intendebam. Cur enim securus intùs non essem, cùm te scirem agentem foris, manum dexteram meam, lumen oculorum meorum, pectus meum et linguam meam? Et quidem indefessa manus, oculus simplex, pectus consilii, lingua loquens judicium, sicut scriptum est : *Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium*[1].

» Sed quid dixi foris agentem illum? quasi interna Girardus nesciret, ac spiritualium expers esset donorum. Nôrunt qui illum nôrunt spirituales, quàm verba ejus spiritum redolerent. Nôrunt contubernales, quàm mores ejus et studia non carnem saperent, sed ferverent spiritu. Quis illo rigidior in custodiâ disciplinæ? quis in castigando corpus suum districtior, suspensior vel sublimior in contemplando, subtilior in disserendo? Quoties cum eo disserens ea didici quæ nesciebam ; et qui docturus adveneram, doctus magis abscessi? Nec mirum de me, cùm magni ac sapientes viri idipsum nihilominùs ex illo sibi accidisse testentur. Non cognovit litteraturam ; sed habuit litterarum inventorem sensum, habuit et illuminantem Spiritum. Nec in maximis tantùm, sed in minimis maximus erat. Quid, verbi causâ, in ædificiis, in agris, hortis, aquis, cunctis deniquè artibus, seu operibus rustico-

[1] Psal. XXXVI, 30.

rum? quid, inquam, vel in hoc rerum genere Girardi subterfugit peritiam? Cæmentariis, fabris, agricolis, hortulanis, sutoribus, atquè textoribus facilè magister erat. Cùmque omnium judicio omnibus esset sapientior, solis in suis oculis non erat sapiens. Utinàm multos, etsi minùs sapientes, non plùs tangeret illa maledictio : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris*[1] ! Scientibus ista loquor, et adhùc plura his de illo, et majora compertis. Parco tamen, quià caro mea, et frater est. Hoc tamen securus addo, mihi utilis in omnibus, et præ omnibus : fuit utilis in parvis et magnis, in privatis et publicis, foris et intùs. Meritò ex eo pendebam totus, qui mihi totum erat. Solùm penè reliquerat mihi provisoriè honorem et nomen ; nàm opus ipse faciebat. Ego vocitabar Abbas, sed ille præerat in sollicitudine. Meritò requievit in illo spiritus meus, per quem licebat delectari in Domino, prædicare liberiùs, orare securiùs. Per te, inquam, mihi, frater mi, mens sobria, et grata quies, sermo efficacior, pinguior oratio, frequentior lectio, et ferventior affectus.

» Heu ! sublatus es, et hæc omnia simul. Tecum omnes pariter abiêre deliciæ et lætitiæ meæ. Jàm curæ irruunt, jàm molestiæ hìnc indè pulsant, et angustiæ undiquè solum me reperêrunt, solæ mihi te abeunte remansêrunt, solus sub sarcinâ gemo. Aut ponere, aut opprimi necesse est, quia tuos humeros subduxisti. Quis mihi tribuat citò mori post te ? Nàm pro te nolim, nec te tuâ fraudare gloriâ. Porrò supervivere tibi, labor et dolor. Vivam, quoad vivam, in amaritudine, vivam in mœrore : et hæc sit mihi consolatio, ut mœrendo affligar. Non parcam, et juvabo manum Domini : etenim manus Domini tetigit me. Me, inquam, tetigit et percussit ; non illum, quem vocavit ad requiem : me occidit, cùm succidit illum. Num-

[1] Isaï. v, 21.

quid enim occisum quis dixerit, quem plantavit in vitâ? At quod illi vitæ janua fuit, mihi planè est mors : meque illâ morte mortuum dixerim, non hunc qui obdormivit in Domino. Exite, exite lacrymæ jampridem cupientes : exite, quia is qui vobis meatum obstruxerat, commeavit. Aperiantur cataractæ miseri capitis, et erumpant fontes aquarum, si fortè sufficiant sordes diluere culparum, quibus iram merui. Cùm consolatus fuerit super me Dominus, tunc fortassis et ego merear consolari, si tamen non pepercero à mœrore : nàm *qui lugent, ipsi consolabuntur*[1]. Propterea condescendat mihi omnis sanctus, et in spiritu lenitatis qui spiritualis est, sustineat lamentantem. Luctus meus humano, quæso, pensetur affectu, non usu. Videmus nempè mortuos quotidiè plangere mortuos suos : fletum multum, et fructum nullum. Non culpamus affectum, nisi cùm excedit modum ; sed causam. Ille nimirùm naturæ est, et ejus turbatio pœna peccati : hæc vanitas et peccatum. Etenim ibi sola, nisi fallor, plorantur damna gloriæ carnis, vitæ præsentis incommoda. Et plorandi qui ità plorant. Numquid ego sic? Similis mihi affectus, sed altera causa, dissimilisque intentio. Nulla mihi sanè querela de omnibus quæ sunt mundi. In his profectò quæ sunt Dei, ademptum doleo fidele auxilium, salutare consilium. Girardum lugeo : Girardus est in causâ, frater carne, sed proximus spiritu, socius proposito.

» Adhæsit anima mea animæ illius : et unam fecit de duabus, non consanguinitas, sed unanimitas. Carnis quidem necessitudo non defuit : sed plùs junxit societas spiritûs, consensus animorum, morum conformitas. Cùm ergo essemus cor unum et anima una, hanc meam pariter atque ipsius animam pertransivit gladius, et scindens, mediam par-

[1] Matth. v, 5.

tem locavit in cœlo, partem in cœno deseruit. Ego, ego illa portio misera in luto jacens, truncatâ parte suî, et parte potiori; et dicitur mihi : Ne fleveris? Avulsa sunt viscera mea à me; et dicitur mihi : Ne senseris? Sentio, sentio vel invitus, quia nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est : sentio prorsùs et doleo, et dolor meus in conspectu meo semper. Non sanè nos poterit duritiæ et insensibilitatis arguere ille qui verberat, quomodò illos, de quibus ait : *Percussi eos, et non doluérunt*[1]. Affectum meum confessus sum, et non negavi. Carnalem quis dixerit : ego humanum non nego, sicut nec me hominem. Si nec hoc sufficit, nec carnalem negaverim. Nàm et *ego carnalis sum, venundatus sub peccato,* addictus morti, pœnis et ærumnis obnoxius. Non sum, fateor, insensibilis ad pœnas, mortem horreo meam et meorum. Meus Girardus erat, meus planè. At non meus, qui frater sanguine fuit, professione filius, sollicitudine pater, consors spiritu, intimus affectu? Is recessit à me : sentio, læsus sum, et graviter.

» Ignoscite, filii : imò si filii, vicem dolete paternam. Miseremini meî, saltem vos amici mei, qui certè consideratis, quàm gravia pro peccatis recepi de manu Domini. In virgâ indignationis suæ percussit me, dignè pro meritis, durè pro viribus. An leve quis dixerit vivere me absque Girardo, nisi qui ignorat quid mihi cum Girardo? Nec tamen contradico sermonibus Sancti : nec reprehendo judicium, quo recepit quisque quo dignus est, ille coronam quam meruit, ego quam debui pœnam. Numquid quia sentio pœnam, reprehendo sententiam? Humanum est illud, hoc impium. Humanum, inquam, et necesse affici ergà charos, sivè delectabiliter cum præstò sunt, sivè cùm absunt, molestè. Non erit otiosa socialis conversatio,

[1] Jer. v, 3.

præsertim inter amicos : et quid effecerit mutuus amor in sibi præsentibus, horror indicat separationis, et dolor de invicem separatis. Doleo super te, Girarde charissime, non quia dolendus, sed quia ablatus. Et ideò fortassis dolendum mihi potiùs super me, qui bibo calicem amaritudinis. Et solus dolendus, quia solus bibo : non enim et tu. Solus ego patior quod solent pariter pati qui se diligunt, cùm se amittunt.

» Utinàm non te amiserim, sed præmiserim ! utinàm vel tardè aliquandò sequar te quocumquè ieris ! Non enim dubium, quin ad illos ieris, quos circà medium extremæ noctis tuæ invitabas ad laudem, cùm in vultu et voce exultationis subitò erupisti in illud Davidicum, stupentibus qui assistebant : *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis* [1]. Jàm tibi, frater mi, nocte adhùc mediâ diescebat, et nox sicut dies illuminabatur. Prorsùs illa nox illuminatio tua in deliciis tuis. Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, et insultantem morti. Ubì est, mors, victoria tua ? Ubì est, mors, stimulus tuus? Jàm non stimulus, sed jubilus. Jàm cantando moritur homo, et moriendo cantat : usurparis ad lætitiam, mater mœroris ; usurparis ad gloriam, gloriæ inimica ; usurparis ad introitum regni, porta inferi, et fovea perditionis, ad inventionem salutis : idque ab homine peccatore. Justè nimirùm, quia tu iniquè in hominem innocentem et justum potestatem temeraria usurpasti. Mortua es, ô mors, et perforata hamo quem incauta glutiisti, cujus illa vox est in Prophetâ : *O mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inferne* [2]. Illo, inquam, hamo perforata, transeuntibus per medium tuî fidelibus latum lætumque exitum pandis ad vitam. Girardus te non formidat, larvalis effigies. Girardus per medias fauces tuas

[1] Psal. CXLVIII, 1. — [2] Osee XIII, 14.

transit ad patriam, non modò securus, sed et lætabundus et laudans. Cùm ergò supervenissem, et extrema jàm psalmi me audiente clarâ voce complêsset, suspiciens in cœlum, ait : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*[1]. Et repetens eumdem sermonem, ac frequenter ingeminans *Pater, Pater,* conversus ad me, exhilaratâ quidem facie : Quanta, inquit, dignatio Dei, patrem hominum esse ! quanta hominum gloria, Dei filios esse et hæredes ! Nàm si filii, et hæredes. Sic cantabat quem nos lugemus : in quo et meum, fateor, luctum penè in cantum convertit, dùm intentus gloriæ ejus, propriæ ferè miseriæ obliviscor.

» Sed revocat me ad me pungens dolor, facilèque à sereno illo intuitu, tanquàm à levi excitat somno perstringens anxietas. Plangam igitur, sed super me, quia super illum jàm vetat ratio. Puto enim si opportunitas daretur, modò diceret nobis : *Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete*[2]. Planxit meritò David super parricidâ filio[3], cui perpetuò sciret obstructum exitum de ventre mortis mole criminis. Meritò super Saül et super Jonatham ; quibus æquè absorptis semel, emersio jàm non speratur[4]. Et quidem resurgent, sed non ad vitam, ut vivi in morte infeliciùs moriantur ; quanquàm de Jonathâ possit non immeritò hærere sententia. At mihi etsi non ista suppetit plangendi ratio, non tamen nulla. Plango primùm super meâ ipsius plagâ, atque hujus jacturâ domûs : plango deindè super pauperum necessitatibus, quorum Girardus pater erat ; plango certè et super universo statu nostri ordinis nostræque professionis, qui de tuo, Girarde, zelo, consilio et exemplo robur non mediocrè capiebat : plango postremò, etsi non super te, proter te tamen. Hinc prorsùs, hinc afficior graviter, quia vehementer

[1] Luc. XXIII, 46. — [2] Luc. XXIII, 28. — [3] 2 Reg. XVIII, 33. — [4] Id. I, 17.

amo. Et nemo mihi molestus sit, dicens non debere sic affici; cùm benignus Samuël super reprobo rege[1], et pius David super parricidâ filio[2], satisfecerint affectioni et non ad injuriam fidei, non in superni suggillationem judicii. *Absalom, fili mi,* ait sanctus David, *fili mi, Absalom*[2] : et ecce plus quàm Absalom hìc. Salvator quoquè videns civitatem Jerusalem, et prævidens ruituram, *flevit super eam*[3]. Et ego propriam, et quæ in præsenti est desolationem non sentiam? Plagam meam recentem, et gravem non doleam? Ille flevit compatiendo, et ego patiendo non audeam? Et certè ad tumulum Lazari nec flentes arguit, nec à fletu prohibuit, insuper et flevit cum flentibus : *Et lacrymatus est,* inquit, *Jesus*[4]. Fuêrunt lacrymæ illæ testes profectò naturæ, non indices diffidentiæ. Deniquè et prodiit mox ad vocem ejus qui erat mortuus, ne continuò putes fidei præjudicium dolentis affectum.

» Sic nec fletus noster infidelitatis est signum, sed conditionis indicium : nec quia percussus ploro, arguo ferientem, sed provoco pietatem, sèveritatem flectere satago. Undè et verba mea dolore sunt plena, non tamen murmure. Numquid non plenum justitiæ protuli, quòd unius sententiæ complemento et punitus est qui debuit, et coronatus qui meruit? Et adhùc dico : Benè utrumque fecit dulcis et rectus Dominus. Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. Cantet tibi misericordia, quam fecisti cum servo tuo Girardo : cantet et judicium, quod nos portamus. In altero bonus, in altero justus laudaberis. An solius laus bonitatis? Est et justitiæ. *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum*[5]. Girardum tu dedisti, Girardum tu abstulisti : et si dolemus ablatum, non

[1] 1 Reg. XVI, 1. — [2] 2 Reg. XVIII, 41. — [3] Luc. XIX, 33. — [4] Joan. XI, 35. — [5] Psal. CXVIII, 137.

, obliviscimur quòd datus fuit, et gratias agimus habere illum meruimus, quo carere in tantum non ıus, in quantum non expedit.

Recordor, Domine, pacti mei et miserationis tuæ, ıgis justificeris in sermonibus tuis, et vincas cùm ıris. Cùm pro causâ Ecclesiæ anno præterito Vi- essemus, ægrotavit ille, et invalescente lan-, cum jàm proxima videretur vocatio, ego æger- ferens comitem peregrinationis, et illum comitem in relinquere alienâ, nec resignare his qui mihi eum niserant, quoniam amabatur ab omnibus, sicut erat ›ilis valdè, conversus ad orationem cum fletu et tu : Expecta, inquam, Domine usquè ad reditum. tutum amicis tolle jàm eum, si vis, et non causabor. disti me, Deus : convaluit, opus perfecimus quod xeras, redivimus cum exultatione reportantes ma- os pacis. Porrò ego oblitus penè sum meæ conven-, sed non tu. Pudet singultuum horum, qui prævа- onis me arguunt. Quid plura? Repetiisti commenda- recepisti tuum. Finem verborum indicunt lacrymæ; is, Domine, finem modumque indixeris[1]. »

Est et aliud sermonum genus, quod rariùs quidem, liquandò tamen apud sanctos Patres reperitur; illas orationes quæ Invectivæ nuncupantur. Celeberrimæ quidem inter omnes duæ illæ sancti Gregorii Na- ;eni conciones, quibus persecutorem Ecclesiæ Julia- insectatur. Ego quidem in isto impietatis sæculo, ıdò talis in mentes incidit cogitationum perturbatio, uliani non modò nescio quibus rationibus excusandi, ;t clamosis exaltandi laudibus aliqui curam vel im- ı vel ridiculam publicè susceperint, totum illius tanti oris sermonem referre libenter voluissem. Quàm mihi

. Bernard. Serm. XXVI, n. 3-13.

placuisset cum doctissimo Theologo evolvere Juliani adhùc juvenis hypocrisim, ingratos ejusdem contrà Constantium animos, insatiabilem et præmaturum imperii ambitum, impia diluendi baptismatis tentamenta, dæmonum absurdas interrogationes, sacrificiorum stolidam multiplicitatem; dehìnc persecutiones contrà Christianos, exilia bonorum aut mortes, virginum dehonestationem, militum deceptiones in idololatriam insciè deductorum; dehìnc stultas fabularum admirationes, astutam sub lenitatis velo crudelitatem, edicta contrà ædes sacras publicè et privatim data, mixtum in templis victimarum et hominum cruorem, palpitantia virginum membra ferocissimis porcis objecta; dehìnc interdictas Christianis litteras, adempta legum præsidia, ipsis indictum Scripturis bellum; dehìnc insanum templi judaïci instaurandi propositum, avaramque et semper ampliora possidendi cupidine præoccupatam mentem? Sed brevitati consulentes unum solummodò vel alterum proferemus fragmentum, quibus videri detur, quomodò ità insectetur vitium, ut christianæ charitatis sensus non amittat; sic ipsum audias Juliano verba facientem :

« Homo stultissime, et impiissime, et in magnis rebus imperitissime! Tu-ne adversùs tantam sortem, ac per totum orbem fusam Ecclesiam, quæ per sermonis vilitatem, *prædicationisque*, ut ipsi fortassè dixeritis, *stultitiam*[1], omnes terræ fines complexa est, quæ sapientes vicit, et dæmones oppressit, et tempus superavit; eadem vetus simul, et nova, ut vos deorum quemdam portentosè confingitis; illa paucis, hæc promiscuæ multitudini; illa adumbratione, hæc perfectione mysterii ad sua tempora reservati? Tu-ne (quis autem, et quantus et undè?) adversùs magnam Christi hæreditatem? magnam, inquam,

[1] 1 Cor. 1, 21.

illam, nec, etiamsi quidam majori quàm tu furore atque insaniâ præcipites ferantur, finem habituram, verùm magis semper ac magis progressuram, altiùsque assurrecturam; fidem enim habeo et iis quæ prædicta sunt, et iis quæ cernimus; quam ut Deus creavit, et ut homo hæreditate consecutus est; quam lex adumbravit, et gratia explevit, et Christus dedicavit; quam Prophetæ coagmentârunt, et Apostoli quasi vinculis constrinxêrunt, et Evangelistæ numeris omnibus absolvêrunt?

» Tu-ne adversùs Christi sacrificium cum tuis piaculis? tu-ne adversùs eum cruorem, quo mundus purgatus est, cum tuis cruoribus? tu-ne bellum adversùs pacem? tu-ne manum adversùs eam, quæ, et pro te, et propter te, clavis transfixa est? tu-ne adversùs fel, gustum tuum? adversùs crucem, trophæum? adversùs mortem, dissolutionem? adversùs resurrectionem, insurrectionem et rebellionem? adversùs martyrem, ne martyres quidem? post Herodem persecutor, et post Judam proditor, nisi quòd non laqueo ut ille pœnitentis animi significationem dedisti; post Pilatum Christicida, post Judæos Dei hostis.

» Non victimas pro Christo cæsas veritus es? nec magnos pugiles extimuisti, Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, eos, qui, post illos, et antè illos, pro veritate periculis se objecêrunt? qui cum igni et ferro, et belluis, et tyrannis, et præsentibus malis, et denuntiatis, alacri animo, velut in alienis corporibus, imò quasi corporum expertes, dimicârunt? cur ità? ne pietatem vel verbo tenùs proderent. Quibus præclari honores et festa constituta sunt: à quibus dæmones propelluntur, et morbi curantur; quorum apparitiones et prædictiones; quorum vel sola corpora idem possunt quod animæ sanctæ, sivè tangantur, sivè honorentur: quorum vel solæ sanguinis

guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt quod corpora.

» Hæc non colis, sed contemnis, qui Herculis rogum, ex calamitate injuriisque mulieribus illatis excitatum admiraris; et Pelopis laniationem, illam, inquam, vel hospitalem, vel à deorum amore profectam, ex quâ Pelopidæ ab humeris et ebore nobilitati sunt : qui etiam Phrygûm, qui tibiæ suavitate mulcentur, et post tibiæ cantum contumeliâ afficiuntur, exsectiones; et in Mithræ sacris adhibitos cruciatus, justasque aut etiam mysticas ustiones; et hospitum apud Tauros cædem, illudque apud Trojam puellæ regiæ sacrificium; et Menæcei pro Thebanis fusum sanguinem, posteàque filiarum Scedasi in Leuctris : qui Spartanos adolescentes virgis sese lacerantes laudas, et aram cruore respersam, deam castam et virginem oblectantem : qui Socratis cicutam extollis, et Epicteti crus, et Anaxarchi utrem; quorum patientia coacta potiùs ac necessaria, quàm libera et voluntaria erat : Cleombroti Ambraciotæ saltum, ad quem ex libelli *de Animâ* lectione impulsus est : qui Pythagoricam illam pro fabis contentionem, et Theanûs, aut nescio cujus alius ex iis qui Pythagoricis mysteriis initiati erant, ejusque dogmata sequebantur, mortis contemptionem.

» Quòd si tu superiora illa nostra non miraris, at certè præsentia mirare, ô omnium sapientissime et fortissime, qui Epaminondas illos et Scipiones tolerantiæ ratione intuearis; qui simul cum exercitu iter carpis, et victum tenuem ac obvium amplecteris, et eam gerendi belli rationem effers, in quâ dux omnia per se administrat. Est quippè generosi et sapientis animi, ne hostium quidem virtutem contemnere, verùm hostium fortitudini plùs tribuere, quàm suorum etiam familiarissimorum ignaviæ atque languori. Vides-ne hos vitæ facultatibus carentes,

et laris expertes, ac carne fermè et sanguine destitutos, eoque ipso ad Deum propiùs accedentes? hos, inquam, pedibus illotos, et humi cubantes, quod ait tuus Homerus, ut hoc figmento dæmonum quemdam ornet? hos in terrâ positos et terrenis celsiores? hos inter homines et suprà humana? astrictos simul ac liberos? qui teneantur, et retineri nescios? quorum nihil in mundo, et omnia sunt, quæ suprà mundum sunt? quorum duplex vita est, altera contempta, altera studiosè culta et expetita? hos, inquam, per mortificationem immortales, per dissolutionem Deo conjunctos? hos à cupiditate alienos, amore verò qui divinus est et animi perturbatione vacuus, accensos? quorum fons lucis, et quorum jàm illius radii? quorum angelici psalmi cantus, et pernox statio, et mentis jam raptæ in cœlum ad Deum excessio? quorum purgatio, et quorum studium ut purgentur, quippè qui nullum ascensûs et deificationis agnoscunt modum? quorum rupes, et quorum cœli? quorum abjici et consternari, et quorum throni? quorum nuditas, et quorum incorruptibilitatis indumentum? quorum solitudo, et quorum sæculi alterius celebritas? quorum compressæ atque constrictæ voluptates, et quorum perpetua omnemque sermonis facultatem excedens animorum oblectatio? quorum lacrymæ peccati diluvium, et mundi piamentum? quorum extentæ manus flammas extinguunt, feras consopiunt, gladiorum aciem retundunt, instructas acies in fugam vertunt[1], tuamque etiam impietatem, mihi crede, compressuræ sunt, etiamsi ad aliquod tempus extollaris, impietatisque fabulam cum tuis dæmonibus ludas[2]. »

In oratione autem sequenti ità rursùs prosequitur :

« Ac quidem Ezechias rex Juda, cùm adversùs eum barbarorum quidam Rex cum ingentibus copiis venisset,

[1] Heb. XI, 33 et seqq. — [2] S. Gregor. Theol. Orat. IV, n. 67-71.

atque exercitu Hierosolymam cinxisset [1], impiaque et contumeliosa verba, tùm adversùs regem, tùm adversùs Deum ipsum acerbè projecisset, perindè scilicèt atque ille, quidquid moliretur, urbem tamen ex ipsius manibus ac potentiâ extrahere atque conservare minimè posset, in templum se contulit, vestesque laceratâ, magnâque lacrymarum vi profusâ, manibusque in cœlum extensis, blasphemiæ Sennacherib Deum testem vocavit, atque ut superbarum illius minarum vindex esset, his verbis rogavit: *Vidisti, Domine, quot probra in te Israëlis Deum alienigena iste conjecerit: vidisti, Domine, ne sileas* [2]. Nec verò petitione suâ falsus ac delusus est. Nàm ipsius ille Dei hostis, suam ipse insaniam furoremque ipsâ re persensit, infectisque rebus cum suis minis discesssit, invisibilis cujusdam virtutis repentino impetu, maximâque exercitûs parte mulctatus, atque ob tristem et acerbum nuntium pedem referre coactus, obsidionem spesque suas inopinatò solventem. Hæc Ezechias ille, magnâ alioqui potentiâ cinctus, ille, inquam, rex magnæ Jerusalem, qui suismet quoquè fortassè viribus hostem propulsâsset ac propulisset. Nos autem, quibus arma, et murus, et præsidium atque defensio una est spes in Deum, utpotè omni humano subsidio prorsùs destitutis et accisis, quem tandem alium aut precum auditorem, aut minarum depulsorem habituri eramus, quàm *Deum, qui jurat contrà superbiam Jacob* [3]? O incredibiles narrationes! ô rerum spe conceptarum temeritatem! Dæmonibus, instar cujusdam alius victimæ, promissi fueramus: ac magna illa Dei hæreditas, *Gens illa sancta, regale sacerdotium* [4], unius spei præmium, atque unius belli palma facti eramus.

[1] 4 Reg. xviii, 1 et seqq. — [2] Isaï. xxxvii, 17. — [3] Amos. viii, 7. — [4] 1 Petr. ii, 9.

» Hæc tu scilicèt Christianis ob salutem per eos malè acceptam præmia retulisti? hæc tu Domino Deo tuo rependisti? ac priùs quidem, cùm Deus suam pro nobis iram adhùc sustineret atque differret, necdùm zelum omnem suum inflammâsset, verum sublimem adhùc adversùs impios manum haberet, atque arcum, tametsi jàm adductum et paratum, per vim retineret, tantisperque expectaret, dùm tota illius improbitas, quasi supputridus et malignus quidam morbus, erupisset; hic enim divini judicii mos est, ut vel per pœnitentiam salutem afferat, vel justiori titulo puniat; tùm nos ea, quæ fiebant, ægrè et acerbè ferentes, atque ad futurum animis fatiscentes; (nec enim ipsius benignitatem suis absconditam ferebamus;) has ad eum voces emittebamus, partim ut Dominum invocantes, partim ut apud benignum et facilem patrem conquerentes, partim velut exprobrantes, et cum eo expostulantes, ut solent qui in dolore versantur: *Ut quid, Deus, repulisti in finem? iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ? memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio* [1], quam unigeniti Verbi tui passionibus tibi comparâsti, quam magno tuo fœdere dignatus es, quam per novum mysterium et Spiritûs arrham in cœlum traxisti. Et: *Leva manus tuas in superbias eorum in finem*, in memoriam revocantes, *Quanta essent malignati adversùs sanctos tuos inimici, et adversùs solemnitates tuas gloriati* [2]; gladium etiam, et ægyptiacas plagas provocabamus, atque ut causam suam ipse judicaret, tandemque aliquandò adversùs impios exurgeret, rogabamus: *Usquequò, Domine*, dicentes, *usquequò peccatores gloriabuntur, populumque tuum humiliabunt, et hæreditatem tuam. vexabunt, iniquitatemque et loquentur et perpe-*

[1] Psal. LXXIII, 1, 2. — [2] Ibid. 3, 4.

trabunt [1]. Quin has quoquè luctuosas, et superioribus aptiores voces adjungebamus : *Posuisti nos in contradictionem et probrum vicinis nostris, in similitudinem gentibus, in risum omnibus hominibus* [2]. *Vineam* etiam quamdam commemorabamus, *ex Ægypto*, hoc est, ex tenebrosâ impietatate, *translatam*, atque in fidei pulchritudinem magnitudinemque auctam, ac deindè *maceriâ*, id est, Dei inspectione, quâ priùs muniebamur, privatam et nudatam, viatoribus omnibus, hoc est, sceleratis principibus in prædam objectam, atque, devastatam à *fero et agresti apro*, qui propriam sibi fecit malitiam, hujusque cœno *singulariter* est refertus.

» Hæc quidem ipse priùs et cogitabam, et ad Deum clamabam. Nunc autem quàm diversas voces assumo! Impiorum exitium deinceps lugeo, iisque, qui nos odio habent, benignum me præbeo, atque hujusmodi verbis utor : *Quomodò facti sunt in desolationem? subitò defecérunt, periérunt propter iniquitatem suam, tanquàm pulvis quem turbo abstraxit, tanquàm lanugo, quæ à vento disjicitur, tanquàm ros matutinus, tanquàm emissæ sagittæ stridor, tanquàm tonitrui impetus, tanquàm fulgur emicans* [3]. Quòd si nunc saltem sententiam mutent, et ad meliorem mentem traducantur, atque ingenti errori ac temulentiæ finem imponentes, veritatem consectentur, fortassè ex ipsâ quoquè calamitate non nihil fructûs, ad eos redierit, quandòquidem ipsa castigatio iis, qui malo aliquo afficiuntur, commodo sæpè atque utilitati est : sin autem in eâdem sententiâ manserint, atque idolorum cultum adhùc amplexentur, ne ipsâ quidem calamitate, quæ vel stolidos erudire solet, meliores fient. Jerosolymam quidem Je-

[1] Psal. xciii, 3-5. — [2] Id. lxxix, 7 et seq. — [3] Id. lxxii, 19. Job. xxi, 18. Sap. v, 15. Osee vi, 4.

remias usquè adeò luget [1], ut rebus quoquè inanimis luctum imperet, ac murōs ad lacrymas invitet. His verò quis satis dignus luctus invenietur? aut quis præsentes eorum pœnas defleat, ac non potiùs futurum cruciatum deploret, pro eo *quòd stultè egérunt, et procul recessérunt, ac creaturam præ creatore coluérunt* [2] : nec eo contenti, adversùs etiam Dei cultores impetum fecêrunt, manumque impiam atque hujusmodi malis dignam intentârunt?

» Verùm hoc, quemadmodùm Deo gratum erit, ità se habeat. Ecquis novit, nùm Deus, qui *solvit compeditos* [3], gravemque et humi vergentem *à portis mortis in altum subvehit* [4], qui *peccatoris mortem non vult* [5], sed reditum, qui nos etiam ipsos *in tenebris et umbrâ mortis sedentes illuminavit* [6], ac sapientiâ instruxit, hos quoquè tandem recipiet, depositâque gravi illâ et *ferreâ virgâ* [7], pastorali virgâ pascet? Mihi verò rursùs ad triumphale canticum sese referet oratio : *Cecidit Bel, contritur Dagon, palus factus est Saron, pudefactus est Libanus* [8]. Nec ultrà dicent stulto, ut princeps sit, hoc est, idolorum agmini motûs et sensûs experti : nec muscam quærent, *Deum Accaron* [9], aut si quid eâ magis est ridiculum. Non jàm lucos et excelsa loca mente concipient, montemque *omnem frondosum et umbrosum* [10]. *Non jàm filios suos et filias dæmoniis immolabunt* [11], quod olim Israëli à Prophetis objiciebatur. Sed quid hæc colligo? Ad præsentia et nostra me convertam. Non jàm in sacras nostras ædes pravos oculos injicient. Non jàm aras purissimo et incruento sacrificio nomen ha-

[1] Thren. II, 8. — [2] Jerem. X, 21, et Rom. I, 25. — [3] Psal. CXLV, 8. — [4] Sap. XVI, 13. — [5] Ezech. XXXIII, 11. — [6] Luc. I, 79. — [7] Psal. II, 9. — [8] Isaï. XLVI, 1, et XXXIII, 9. — [9] 4 Reg. I, 2. — [10] Jerem. II, 20. — [11] Psal. CV, 37.

ebriorum chorum secum trahens, et magnum tuum illud mysterium Phallus, deus in pulchri Proshymni amorem propensus. Rursùs Semele fulmine feritur. Rursùs utroque pede claudus Vulcanus, verùm in deprehendendis adulteris idem celer, et Deus fuligine obsitus, tametsi clarus artifex, ac Thersites Olympius. Rursùs Mars cum suo timore, et terrore ac tumultibus ob adulterium vinctus, et ob temeritatem saucius. Rursùs meretrix Venus, tùm turpiter progenita, tùm turpium nuptiarum administra. Rursùs Minerva virgo est, et draconem parit. Rursùs Hercules furit, imò furere desiit. Rursùs Jupiter ob libidinem et spurcitiem quidvis efficitur, ille, inquam, deorum consiliarius et princeps, eamque vim habens, ut solus deos omnes cum omnibus rebus sursùm attrahat, ipse autem ab omnibus detrahi nequeat. Rursùs Jovis sepulcrum in Cretâ ostenditur. Quoties Lucrium tuum, et Logium, et Enagonium intueor, oculos obtego, ac spectaculi pudore Deum tuum prætereo. Tibi verò per me sanè liceat sermonis contentionem et sacculum adorare. Unum solum in tuis rebus est, quod venerationem mereatur, nimirùm homines ii, qui apud Ægyptios Nilo per Androgynos habentur, et Isides, et Mendesii Dii, et Apides, cæteræque omnes bestiæ ex diversis generibus conflatæ et prodigiosæ, quas confingis et pingis. Pana tuum, et Priapum, et Hermaphroditum rideo, deosque illos, qui præ furore membris truncati aut discerpti sunt. Verùm hæc quidem scenæ, ac poëtis eos exornantibus relinquam : ego autem... orationem concludam [1]. »

[1] S. Gregor. Theol. Orat. v, n. 26-32.

ARTICULUS II.

De variis orationum partibus.

Perfecta oratio sex partibus coalescit, quas exordium, propositionem, narrationem, argumentum, confutationem, peroratione mque dixêrunt. Quid circà quamlibet egerint sancti Patres explicare nunc operæ pretium erit.

§. I. *De Exordio.*

Exordiorum non minimas esse utilitates declarat sanctus ille noster Chrysostomus, ità suam eâ de re proferens sententiam :

« Reprehendêrunt nos amicorum quidam, quòd prolixiora sermonum initia faceremus. An jure vel injuriâ reprehenderint tunc intelligetis, cùm auditâ defensione nostrâ, quasi in publico tribunali sententiam feretis..... Tantam multitudinem alloquimur, viros qui uxores habent, qui domibus præsunt, diurno opere vitam parant, in sæcularibus negotiis agunt. Neque illud tantùm molestum est, quod perpetuò occupentur, sed quòd semel in hebdomadâ ipsos hìc excipiamus. Ut igitur intellectu facilia reddamus ea quæ dicimus, procemiis clariorem exhibere doctrinam studemus. Ille enim cui nihil aliud est negotii, quàm ut semper Scripturis vacet, non eget procemiis, non apparatu : statim enim audito doctore, dictorum sensum percipit : is verò qui maximâ temporis parte sæcularibus negotiis addictus est, et rariùs brevique tem-

pore hìc comparet, nisi procemia majoremque apparatum audiat, quæ sermonem semper præcedant et ipsi viam parent, absquè lucro discedit. Neque hæc una nobis causa est prolixitatis procemiorum, sed et alia non minor. Ex tantâ quippè multitudine, alii accedunt, alii sæpè non accedunt. Necesse itaquè eos qui accedunt laudibus ornare; eos verò qui absunt reprehendere; ut illi laudibus studiosiores evadant, hi increpationibus segnitiem ponant. Alia quoquè adest procemiorum necessitas. Argumentum sæpè prolixiùs tractamus, quod non uno die possumus ad finem deducere, sed et secundâ et tertiâ et quartâ sæpè opus est nobis expositione, ad unam eamdemque rem tractandam. Necessariò igitur secundâ die prioris doctrinæ finis est repetendus, ut ità finis cum principio cohærens clariorem auditori narrationem reddat, ne sinè ullâ serie posita oratio obscurior evadat. Ut verò discas orationem procemio carentem à nemine intellectum iri, ecce jàm sinè procemiis experimenti causâ orationem ordior. *Respiciens autem Jesus dixit: Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod est interpretatum Petrus* [1]. Videte nùm dictum illud intelligatis: an sciatis consequentiam, et quâ de causâ hæc dicta sunt? quia nempè sinè procemio hæc protuli, perindè ac si quis hominem undiquè obtectum, in theatrum adducat. Age ergò ipsum detegamus, jàm dato procemio. De Paulo autem sermo nobis nuper erat, quandò de nominibus disserebamus; quærebamusque cur aliquandò Saulus, posteà verò Paulus vocatus fuerit. Indè verò digressi sumus ad veterem historiam, omnesque qui cognomina habuerant examinavimus. Deindè Simonem commemoravimus, necnon Christum ipsi dicentem: *Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod est interpretatum Petrus.*

[1] Joan. I, 42.

Vides-ne quo pacto id quod difficultate plenum videbatur, nunc notius evaserit? Quemadmodùm enim corpus capite, arbor radice, et flumen fonte indiget, sic et oratio procemio [1]. »

Ad exordium spectat ità præparare animos, ut majori attentione, docilitate et affectu, ea, quæ dicenda sunt, auscultentur. Sumitur autem sivè ex visceribus rei, sivè ex variis temporum, locorum, rerum, aut personarum circumstantiis, sivè ex creaturarum aut increati Dei interpellatione.

I. Ex visceribus rei exordium sumebat Chrysostomus, cùm Pauli laudes decantaturus, excellentes ejus virtutes paucis ità complexas proferebat.

« Nihil prorsùs erraverit, qui pratum insigne quoddam virtutum, et paradisum spiritalem Pauli animum nuncupaverit: tàm multâ enim gratiâ floruit, tàmque huic gratiæ congruente vitæ perfectione resplenduit: quoniam enim vas electionis effectus est, et benè se ipsum emendare curavit, largissimè in eum sancti Spiritûs munus effusum est. Undè et mirabiles nobis fluvios genuit, non secundùm paradisi fontes quatuor tantùm, sed multò etiam plures et quotidiè fluentes: nec terram rigantes, sed animas hominum ad producenda virtutum germina suscitantes. Qui ergò ad explicanda virtutum germina sensus? quis ad explicanda istius merita sermo sufficiet? quæ autem lingua laudibus ejus invenietur æqualis, cùm omnia quæ sunt in hominibus bona, una anima possideat, et ea cuncta plenè atque cumulatè, quæ non solùm hominum sunt, sed, quod amplius est, angelorum? Nequaquàm ergò possumus ejus explicare præconia; nec tamen idcircò reticebimus; quin potiùs propterea dicemus. Est enim hoc maximum laudis genus, cùm orationis copiam

[1] S. Chrys. de Ferend. Reprehens. et de Mutat. nom. n. 1-3.

virtus exuperat, et magnitudo laudati : sicque vinci nobis est multò gloriosius, quàm sæpè vicisse [1]. »

Vide-ne quomodò, commendatis Pauli virtutibus, suam orationem commendet, animosque præ dicendorum studio erectos suspendere videatur?

II. Non minùs autem ex temporum circumstantiis quàm ex rei visceribus dicendi quærebat principium, cùm Christi suprema certamina biduò antè Pascha celebraturus, aiebat :

« Festum hodiè agimus et conventum, charissimi, quoniam Dominus noster clavis est cruci affixus. Neque peregrinum tibi videatur, si cùm res odiosa et aversanda fuerit, nos festum diem celebremus. Ejusmodi enim sunt omnia spiritualia, contraria humanæ naturæ : et ut hoc probè cognoscas, crux priùs condemnationis et supplicii nomen erat, at nunc res est venerabilis et desiderabilis. Crux anteà dedecoris et pœnæ argumentum erat; nunc gloriæ et honoris est occasio... Crux caput nostræ salutis; crux infinitorum bonorum argumentum. Propter hanc nos, qui priùs inglorii et rejecti eramus, nunc in filiorum ordinem recepti sumus. Propter hanc non oberramus ampliùs, sed veritatem cognovimus. Propter hanc qui servi peccati eramus, ad libertatem justitiæ erecti sumus. Propter hanc terra cœlum de cætero facta est. Hæc ab errore nos liberavit : hæc ad virtutem adduxit : hæc reconciliationem Dei cum hominibus instituit : hæc nos ex profundo malitiæ ereptos in ipsum virtutis fastigium eduxit : hæc errorem dæmonum extinxit : hæc deceptionem è medio tulit... Propter hanc dæmones fugiunt, diabolusque profligatur. Propter hanc humana natura cum angelicâ vivendi ratione contendit. Propter hanc virginitas in terris versatur... Propter hanc non formidamus ampliùs

[1] S. Chrys. de Laud. S. Paul. Homil. 1, n. 1.

ignita diaboli jacula; nàm vitæ fontem invenimus. Propter hanc non sumus in viduitate : sponsum enim recepimus. Propter hanc non timemus ampliùs lupum; nàm bonum pastorem agnovimus. Propter hanc non horremus ampliùs tyrannum; ad regem enim accurrimus. Vides quantorum bonorum Crux sit nobis causa? jure igitur diem festum agimus [1]. »

III. Vis autem cognoscere quomodò ex locorum circumstantiis sermonem aggrediatur, habes apud eumdem, cùm etiam de Cruce loquens, exordium deducit ex eo quòd extrà urbem concio haberetur :

« Sæpè, inquit, apud animum meum disquisivi, cujus gratiâ majores nostri, relictis ædibus, quas in urbibus habent, lege latâ statuerint, ut extrà civitatem hodiè, et quidem in hoc loco in concionem conveniremus. Neque enim sine causâ, neque temerè id fecisse videntur. Quocircà et causam indagavi, et cum Dei gratiâ inveni justam esse et rationi consentaneam, præsentique festo competentem. Quæ igitur causa est? crucis memoriam agimus. At cruxifixus extrà civitatem cruci affixus est; propterea extrà civitatem nos eduxit [2]. »

Et de Ascensione Domini agens :

« Etiam, inquit, cùm crucis memoriam recoluimus, extrà urbem ejus solemnitatem celebravimus : et nunc quandò crucifixi Ascensionem agimus, illustrem hunc atque refulgentem diem extrà civitatem rursùs festum peragimus [3]. »

IV. Quod verò ad rerum circumstantias attinet, aliquandò ex magno quodam recentique eventu, sæpiùs ex iis quæ præcedenti oratione fuerant pertractata, sæpis-

[1] S. Chrys. Homil. II de Cruce et Latron. n. 1.— [2] Id. Homil. de Cæmet. et Cruce. n. 1.— [3] Id. Homil. in Asc. Dom. n. 1.

simè etiam ex ipsâmet modò recitatâ evangelicâ aut apostolicâ lectione, incæpta decurrebat oratio.

1°. Quidem ex magno quodam recentique eventu ; qualis, post dierum septem silentium, populum Antiochenum arguebat Chrysostomus, cùm, subversis Theodosii Magni imperatoris imaginibus, urbis calamitatem sic deflebat :

« Quid dicam, aut quid loquar? Lacrymarum præsens tempus, non verborum : luctuum, non sermonum : precationis, non concionis. Tanta patratorum est magnitudo, tàm immedicabile vulnus, tàm vasta plaga, et omni medicamine major, et superno indigens auxilio. Sic enim et Job, omnibus amissis, in fimo sedebat, et audientes amici accessêrunt, ipsumque procul conspicati discidêrunt vestimenta, et sibi cinerem inspersêrunt, et vehementer ingemuêre. Idem nunc facere vicinas omnes civitates oportebat, ad urbem nostram venire, et quæ acciderant cum omni commiseratione deflere. Ille in stercore tunc sedebat, hæc in magno laqueo nunc considet. Sicut enim tunc diabolus in greges, et armenta et omnem justi substantiam insiliit; sic nunc in omnem civitatem debacchatus est. Sed Deus et tunc et nunc permisit : tunc quidem ut justum clariorem redderet tentationum magnitudine : nunc verò ut vos modestiores ærumnæ hujus magnitudine reddat. Date mihi ut præsentia lugeam ; tacuimus dies septem, sicut et amici Job : concedite hodiè ut os aperiam, et hanc communem lugeam calamitatem. Quis nobis invidit, charissimi ? quis in nos livore commotus est ? undè tanta facta est mutatio? Nihil fuerat nostrâ civitate venerabilius : nihil nunc est miserabilius. Populus tàm compositus et mansuetus, velut equus tractabilis et mansuetus semper accersentium manibus cedens, repentè tantùm nunc nobis resiliit, ut tot mala fecerit, quot neque dicere fas[1].»

[1] S. Chrys. Homil. II, ad Antioch. n. 1.

2°. Sæpiùs autem ex iis quæ præcedenti oratione explanata fuerant, inchoata defluebat oratio; quorum procemiorum exemplum præbens Chrysostomus :

« Multa quidem, inquit, et de multis apud vestram disserui charitatem: de multis verò, si omnia vobis retinere haud est facile, illud omnium màximè vos meminisse rogo, quòd tristitiam nobis Deus non ob aliud indiderit nisi propter solum peccatum, et hoc per ipsam rerum experientiam manifestaverit. In pecuniarum enim mulctâ et morte, et ægritudine, et aliis nobis ingruentibus molestiis dolentes et mœrentes, non tantùm nullam consolationem capimus, verùm et molestias augemus : in peccatis verò si doleamus et contristemur, peccati magnitudinem minuimus, et quod erat magnum, reddimus parvum; sæpè verò et funditùs totum delemus [1]. »

Et alibì :

« Vidistis, superiori dominicâ, pugnam et victoriam? pugnam quidem diaboli, victoriam autem Christi? Vidistis ut pœnitentia laudaretur, et diabolus plagam non ferret, sed trepidaret et horreret? Quid times, ô diabole, dùm pœnitentia laudatur? quid gemis? quid horres? Meritò sanè, inquit, gemo et affligor : magna mihi vasa rapuit pœnitentia ista. Quænam illa tandem? Meretricem, Publicanum, Latronem, Blasphemum. Enim verò multa vasa ejus sine dubio rapuit pœnitentia, et ipsam ejus arcem evertit, ac lethali vulnere est à pœnitentiâ confossus [2]. »

3°. Sæpissimè ex ipsâmet modò recitatâ evangelicâ aut apostolicâ lectione prima sermonis repetebatur origo; quæ quidem procemii species ità apud sanctum Augustinum frequentatur, ut nulla ferè oratio deprehendi possit,

[1] S. Chrys. Homil. VII, ad Antioch. n. 1. — [2] Id. Homil. de Pœnit. reg. Achab. n. 1.

cujus non talia sint initia. Pauca ex pluribus exempla recensere sufficiat :

« Dominus Jesus, inquit, sicut audivimus cùm sanctum Evangelium legeretur, aperuit oculos hominis qui cæcus erat natus. Fratres, si attendamus hæreditariam pœnam nostram, totus mundus cæcus est. Ideò venit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator [1]. »

Et iterùm :

« Apostolum audivimus, cùm legeretur, corripientem et coërcentem humanas libidines, et dicentem : *Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt? tollens ergò membra Christi, faciam membra meretricis. Absit* [2]. Corpora ergò nostra membra Christi esse dixit ; etc... [3] »

Quod etiam usurpans Chrysostomus :

« Audîstis, inquit, apostolicam vocem, tubam cœlestem, lyram spiritualem? Etenim tanquàm tuba terribile canens et bellicum, hostes quidem consternat, lapsos autem suorum erigit animos, et multâ implens fiduciâ eos, qui mentem adhibent, diabolo inexpugnabiles reddit ; et tanquàm lyra rursùm multâ cum jucunditate delectans, absurdarum morbos cogitationum sopit, ac multam cum voluptate nobis affert utilitatem [4]. »

V. Pauca etiam de personarum circumstantiis delibemus. Cùm autem triplex numerari possit personarum genus, nempè vel dicentis, vel audientium, vel adversariorum, hìnc rursùm exurgit triplex exordii species, quas apud sanctos Doctores reperire non arduum.

1°. Personam Dicentis aliquandò fuisse procœmii argumentum demonstrat illa Gregorii Nazianzeni oratio, quam, cùm è fugâ ad declinandum episcopatum susceptâ rediis-

[1] S. August. Serm. CXXXV, n. 1. — [2] 1 Cor. VI, 15. — [3] S. August. Serm. CLXI, n. 1. — [4] S. Chrys. Homil. I, ad Antioch. n. 1.

set, intrà ipsam ordinationem ad patrem, et Basilium magnum habuit :

« Nihil, inquit, senectute fortius, nihil amicitiâ venerabilius. Ab his ego ad vos ductus sum, *Vinctus in Christo*[1], non catenis ferreis, sed tenacissimis Spiritûs vinculis constrictus. Equidem ipse mihi anteà invicto quodam animi robore pollere videbar, atque, ô stolidita-tem! ne his quidem meis amantissimis ac fratribus sermones impertire sustinebam, utpotè qui volentibus omnia reliquissem, ut ab omni negotio feriatus tranquillè philosopharer, mecumque ipse et cum Spiritu colloquium haberem. Heliæ Carmelum animo agitabam, et Joannis desertum, et cœlestem eorum, qui hoc philosophiæ genus profitentur, vivendi rationem : atque res præsentes, tempestatis instar, existimabam, ac rupem aliquam aut præruptum quemdam locum, aut exiguum murum conquirebam, quibus obtegi possem. Aliorum, inquiebam, sint labores et honores ; aliorum bella et palmæ : mihi autem hoc sufficiat, ut bella fugiens, atque oculos in meipsum conjiciens, sic vitam, ut potero, instituam, velut tenui rate parvum quoddam pelagus trajiciens, ac per inopem et exiguam vitæ functionem, parvam in altero ævo mansionem mihi comparans... Hæc ipse mecum, quandiù umbras adhùc et insomnia pingere, atque inanibus figmentis animum pascere licebat. Quid autem nunc? Amicitia me subegit, patris canities me subdidit[2]. »

Ità pariter sanctus Chrysostomus de seipso locutus exorditur, cùm à morbo liberatus, pulpitum rursùs sermonem habiturus ascendebat.

« Nùm, quæso, memores nostrî fuistis, quanto tempore à vobis abfuimus? Nàm ipse quidem vestrî nusquàm oblivisci potui, sed urbem dimittens, memoriam vestrî non

[1] Ephes iv, 5. — [2] S. Greg. Thecl. Orat. x, n. 1.

dimisi : quemadmodùm enim qui corporum præstanti formâ capiuntur, quocumquè recesserint, secum desideratam faciem circumferunt, haud secùs ipsi venustate animarum vestrarum tacti, eam mentis vestræ speciem semper nobiscum circumferimus. Et quemadmodùm pictores coloribus variis mixtis corporis imagines effingere consuevêrunt : ità et ipsi studium vestrum in collectis, in audiendo alacritatem, benevolentiam ergà concionatorem, cæteraque omnia officia, veluti colores virtutum varios immiscentes, atque ipsum animarum vestrarum characterem imprimentes, mentisque apponentes oculis, eâ speculatione satis nostræ peregrinationis accepimus solatii. Hæc et sedentes, et surgentes, et ambulantes, et quiescentes, et introeuntes, et exeuntes, continuò versabamus, charitatem vestram vel in somniis intuentes, neque interdiù solùm, sed etiam noctù iisdem cogitationibus, quasi deliciis, enutriebamur, illud cùm Salomone scientes : *Ego dormio, et cor meum vigilat* [1]. Idipsum et nobis contingebat : nàm somni quidem necessitas palpebras ipsas contrahebat, tyrannis verò amoris vestri oculos nostræ mentis excitabat : atque sæpenumerò per somnum vobiscum loqui mihi videbar. Etenim consuevit anima, quæ interdiù cogitat, eadem in somnis per phantasiam cernere, quod et nobis tunc accidit ; et vos carneis oculis minimè videns, oculis charitatis cernebam, corporeque absens, affectu præsens eram ; meæ aures semper clamore vestro personabant. Quarè et corporis ægritudine ibi diutiùs cogente immorari, et aëris salubritate ad carnis sanitatem proficiente, id vis amoris vestri non tolerabat, sed exclamabat, neque priùs molestando cessavit, quàm nobis suaserit antè præfixum tempus exurgere, et sanitatem, et voluptatem, et omne quodcumque est bonum, conven-

[1] Cant. v, 2.

tum hunc vestrum existimare. Hunc igitur morem gerentes, maluimus redire, tametsi morbi reliquiæ restarent, quàm corporis infirmitatem prorsùs deponere satagentes, de cætero charitati vestræ molestias inferre. Nàm et illìc manens criminationes vestras audiebam : continuæ enim litteræ has nobis afferebant, animumque adhibui criminantibus non minùs, quàm laudantibus. Nàm animæ scientis amare illæ criminationes fuerant, absentiam nostram accusantes. Propterea surgens cucurri ; propterea nunquàm meâ vos mente quivi excludere. Sed quid mirùm ruri si commoratus, licentiâ quâdam et libertate fruens, vestræ charitatis non sum oblitus : quandòquidem Paulus vinculis alligatus, carcerem inhabitans, atque infinita penè pericula imminentia videns, in carcere non secùs quàm in prato versatus, sic fratrum memoriam habebat, et scribebat dicens : *Sicut est justum mihi hoc sentire pro omnibus vobis, et quòd habeam vos in corde et in vinculis meis, in defensione et confirmatione Evangelii*[1] ? Extrà inimicorum catena, intrà amoris discipulorum catena : sed exterior quidem ex ferro constructa, interior ex charitate facta ; et illam quidem sæpenumerò deposuit, hanc verò nunquàm dissolvit [2]. »

Alterum alibì ejusdem generis exordium apud eumdem reperimus, utpotè qui bis morbo correptus, bisque sanatus fuerit, dùm prædicandi munus obiret. Sic autem sermonem aggreditur :

« Quasi ex longinquâ peregrinatione ad vos reversus essem, ità me hodiè affectum sentio : cùm enim nullum amicorum consortium esse potest, nihil commodi affert eorum præsentia. Quamobrem nos, qui domi versabamur, peregrè versantibus nihilo hâc in parte feliciores fuimus : nimirùm qui superiore tempore nulla vobiscum colloquia

[1] Philip. I, 7. — [2] S. Chrys. Homil. I, de Pœnit. n. I.

habere potuimus : sed danda est venia, cùm illud non inertiæ, sed infirmitatis silentium fuerit. Gratulamini igitur me ab eâ infirmitate convaluisse, ego verò gaudeo, quòd vos charissimos mihi recuperavi. Erat mihi inter ægrotandum ipso morbo gravius, quòd hujus dilecti cœtûs particeps esse non poteram : nunc verò restitutâ valetudine, ipsâ sanitate mihi optabilius est, quòd vestræ charitatis deliciis perfrui securè liceat. Non enim febris tantum ardorem invehit febricitantium corporibus, quantum animis nostris amicorum absentium desiderium, et ut illi phialas et pocula, et frigidos fontes, ità isti amicorum vultus exoptant. Nôrunt illi qui amare consuevêrunt. Age igitur, quandò morbum deposuimus, invicem expleamur, si modò fieri liceat, ut hìc nullam satietatem inveniamus. Dilectionis enim natura satietatem non novit, et ex usu amicitiæ majores flammas accipit : quod ipse alumnus dilectionis Paulus testatum reliquit, qui ità dixit : *Nulli quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*[1]. Illud enim debitum semper quidem fundatur, nunquàm autem solvitur. Hìc perpetuò debere pulchrum est, et in laude positum. In re pecuniariâ eos, qui non debent, laudandos putamus : in dilectione verò perpetuos debitores probamus et admiramur : et quod ibì malignitatis, hìc benignitatis signum est, ut scilicèt nunquàm solvatur charitatis debitum. Ne ægrè feratis prolixitatem orationis futuræ; citharædicam enim melodiam eamque admirabilem vos docebo, non mortuam lyram attrectando, sed Scripturarum historias et Dei præcepta pro nervis intendendo. Et quemadmodùm citharædi, arreptis discipulorum digitis, paulatim eos chordis admoventes assuefaciunt peritè contrectare, et ex mutis tonis ac nervis omni sono suaviorem et dulciorem vocem emittere do-

[1] Rom. XIII, 8.

cent : ità nos quoquè faciemus, et loco digitorum mentem vestram attr ectantes præceptis Dei admovebimus, jubebimusque ea scitè et eleganter attingere, non ut hominum theatrum, sed ut angelorum populum per hanc voluptatem excitetis. Non enim satis est, si eloquia divina percenseas, nisi ea quoquè rebus præstes : et quemadmodùm in citharâ nervos attingit artifex, attingit quoquè et imperitus, verum ità, ut iste auditorem vexet, ille voluptatibus et oblectatione repleat, etsi utrobiquè ejusdem generis digiti et iidem nervi sint, sed non eadem peritia : ità quoquè in sacris Scripturis, multi adeunt eloquia divina, sed non omnes lucrum indè faciunt, aut fructum referunt; in causâ est quòd neque dicta satis scrutentur, neque cum artificio citharam pulsent : quod enim in re citharædicâ ars, hoc ipsum in Dei legibus operum exhibitio. Nos autem unam chordam pulsavimus per totam quadragesimam, dùm legem vobis de juramentis recitavimus, et Dei gratiâ effectum est, ut pleraque auditorum à nobis ora in hâc legis melodiâ ità instituta sint, ut depulsa à pravâ consuetudine, pro eo quòd anteà Deum jurabant, jàm nihil nisi : Est, Non est, Crede mihi, in linguâ suâ circumferant, idque in omni colloquio, adeò ut inter mille negotiorum necessitates, ulteriùs progredi non sustineant [1].»

2°. Personam Præsidentis attendebat sanctus Gregorius Nazianzenus, cùm funebrem patris orationem pronuntians coràm magno Basilio, sic illum compellans ordiebatur :

« Homo Dei [2], et fidelis serve [3], et mysteriorum Dei dispensator [4], et vir desideriorum [5] Spiritûs; hoc enim nomine virtute provectos et excelsos viros, et suprà ea, quæ oculis cernuntur, positos Scriptura vocat. Quin te quoquè Pharaonis, hoc est, omnis ægyptiacæ atque ad-

[1] S. Chrys. Homil. in dec. mill. talentor. Debitor. n. 1. — [2] Josue XIV, 6. — [3] Num. XII, 7. — [4] 1 Cor. IV, 1. — [5] Dan IX, 23.

versariæ potestatis Deum [1] appello, et, *Ecclesiæ columnam ac firmamentum* [2], et Domini voluntatem [3], et luminare in mundo verbum vitæ sustinens [4], et fidei adminiculum, ac Spiritûs domicilium. Et quid nomina ea omnia, quæ tibi tua virtus peperit, alia aliud tibi concilians atque offerens, enumerem.

» Cæterùm dic, quæso, undè ades, et quænam tua opera, quidque largiturus ad nos venis? Quandòquidem omnibus in rebus, te cum Deo, et à Deo, ad eorum, qui te excipiunt, commodum et utilitatem moveri compertum habeo. Venis-ne ut nos invisas? an ut pastorem quæras? an ut gregem inspicias? Nos quidem non jàm superstites, verùm maximâ ex parte unà cum eo vitâ functos, atque afflictionis locum molestè ferentes, ac nunc præsertim, cùm scitum gubernatorem, aut vitæ nostræ facem, in quam salutis lumen nobis è sublimi ostentantem intuentes, dirigebamur, amisimus; illum autem cum omni virtute, ac pastorali disciplinâ, quam diuturno tempore collegerat, peregrè profectum, dierum simul ac prudentiæ plenum, et, si Salomonis verbis utendum est, *Gloriæ senectute coronatum* [5]; gregem deniquè consilii inopiâ laborantem, et consternatum, summoque, ut vides, dolore ac mæstitiâ confectum, non jàm *In loco pascuæ requiescentem, nec refectionis aquâ* [6] educatum, sed præcipitia, et solitudines, et voragines, in quas dispergatur et intereat, quærentem : nùm alium quoquè solertem ac prudentem pastorem aliquandò consecuturus sit, diffidentem, illud quidem certè et quidem valdè sibi persuadentem, quòd minimè talem, benèque secum agi existimantem, si non multò inferiorem.

» Porrò cùm tria hæc, ut dixi, atque omnia ex æquo, tibi

[1] Exod. VII, 1. — [2] 1 Tim. III, 15. — [3] Isaï. LXXII, 4. — [4] Philip. II, 16. — [5] Prov. XVI, 31. — [6] Psal. XXII, 2.

hùc veniendi necessitatem attulerint, nos scilicet, et grex, et pastor, age, pro eo curationis spiritu, quo præditus es, eam, quæ cuique aptâ sit, medicinam adhibe, ac sermonem cum judicio dispone, quo te sapientiæ nomine magis admiremur. Quonam autem modo dispones? Ad pastorem quod attinet, si illum ob virtutem, ut par est, laudaveris, non solùm ut puro puram orationem, instar funebris cujusdam muneris, inferas; sed ut etiam aliis illius vitæ rationem, tanquàm pietatis formam et admonitionem, proponas. Nos verò quod spectat, si de vitâ et morte, de animæ atque corporis conjunctione ac disjunctione, de duobus mundis, hoc est, de præsenti ac fluxo et fragili, et de eo, qui animo et mente intelligitur ac manet, pauca disserueris; nobisque persuaseris, ut alterius quidem imposturam, et perturbationem atque inconstantiam, ac velut in undis, sursùm deorsùmque jactationem contemnamus; ad alterum autem, qui firmus, et stabilis, ac divinus semperque suî similis est, atque omni perturbatione et confusione vacat, totos nos adjungamus. Sic enim ii, qui hìnc priùs excesserint, minùs nobis mœroris attulerint; imò etiam lætitiâ nos affecerint, si nos oratio hìnc abductos sursùm collocet, atque id, quod in præsenti molestum est, in futuri expectatione occultet, nobisque illud persuadeat, quòd ipsi quoquè ad bonum Dominum properemus, atque habitatio peregrinatione melior et præstantior sit; quodque navigantibus tranquillus portus est, hoc iis qui hujus vitæ procellis agitantur, migratio ad alteram vitam existat : aut etiam quemadmodùm qui longum iter priores confecêrunt, minùs difficultatis ac molestiæ habent, quàm qui adhùc iter faciunt, atque in labore versantur; ità tolerabilior et melior eorum conditio sit, qui ad illud hospitium jàm pervenêrunt, quàm qui sinuosum adhùc et præceps hujus vitæ iter emetiuntur.

» Ac nos quidem ad hunc modum consolaberis. Quonam autem pacto gregem? Primùm si curam tuam et ductum tuum, hoc est, ejus viri, sub cujus pennis requiescere omnibus pulchrum ac præclarum est, et cujus vocem magis sitimus, quàm purissimos fontes ii qui siti laborant, non defuturum pollicearis. Deindè si nos eò adduxeris, ut ab illo bono pastore, qui *Pro ovibus animam suam posuit* [1], nos ne nunc quidem relictos esse confidamus; quin potiùs eum, et adesse, et pascere, et deducere, et oves suas cognoscere, et à suis cognosci, non illum quidem corporeo modo sese spectandum præbentem, sed spiritualem in modum nobiscum versantem, ac pro grege adversùs lupos pugnantem, nec quemquam, prædonum more, ac per insidias, caulam transilire, atque animas veritate rectè institutas peregrinâ voce distrahere ac subripere sinentem. Nec dubito quin hoc nunc quoquè tantò magis deprecatione suâ, quàm priùs doctrinâ, præstet, quantò nunc magis Deo appropinquat, ut qui corporeas compedes excusserit, ac limo illo mentis puritatem inficiente liberatus sit, nudusque cum nudâ principe et purissimâ mente versetur, angelici ordinis dignitatem et fiduciam (nisi hoc dictu audax est,) consecutus. Ac tu quidem pro eâ sermonis et spiritûs facultate, quâ polles, rectiùs ipse per te, quàm tibi ego indicare possim, constitues ac philosophaberis. Ne autem ob virtutum illius ignorationem oratio infrà dignitatem longè subsistat, breves quasdam encomii partes, ex iis, quæ in defuncto agnovi, delineabo atque adumbrabo, ac tib perito hujusmodi rerum pictori, virtutis illius pulchritudinem accuratiùs expoliendam, atque omnium mortalium auribus et animis tradendam, dabo [2]. »

3°. Ad Audientium autem personam attendebat beatus

[1] Joan. x, 11. — [2] S. Gregor. Theol. Orat. XVIII, n. 1-4.

Chrysostomus, cùm mox illuminandos allocutus Catechumenos aiebat :

« Quàm desiderabilis amabilisque nobis est juvenum fratrum chorus! Vos enim fratres vel antè partum voco, eorumque qui nondùm nati sunt cognationem amplector. Novi quippè, clarèque novi, in quantum honorem, in quantum principatum evehendi sitis. Eos autem qui principatum accepturi sunt, vel antequàm accipiant, solent omnes honorare, ut hujusmodi obsequio, eorum sibi benevolentiam ad futurum commodum captent. Hoc et ego facio ; non solùm enim ad principatum, sed ad ipsum regnum promovendi estis ; imò non ad regnum simpliciter, sed ad regnum cœlorum. Quamobrem oro atque supplico, ut cùm ad regnum illud perveneritis, meî reminiscamini, quodque Joseph pincernarum principi dicebat : *Memento meî, cùm benè tibi fuerit* [1], id et nunc dico vobis : Mementote meî cùm benè vobis fuerit... Joseph quidem pincernæ dicebat : *Adhùc triduum et restituet te Pharao in principatum pincernarum* [2]. Ego verò non dico, adhùc triduum et pincernæ tyranni constituemini ; sed adhùc triginta dies, et restituet vos, non Pharao, sed cœlorum rex in supernam patriam. Ille dicebat : *Dabis calicem in manus Pharaonis* [3] ; ego verò non dico : Dabitis calicem in manus regis, sed ipse rex in manum vobis tradet calicem illum horrendum, multâ plenum virtute, atque utrâque creaturâ pretiosiorem [4]. »

4°. Deniquè aliquandò, licet rarò, Adversariorum personam objurgantes vel deprimentes dicere incipiunt, quod idem agebat Chrysostomus, cùm de laudibus sancti Pauli sermonem habens ità loqueretur :

« Ubì nunc illi sunt, qui querulo semper animo mortem

[1] Genes. XL, 14. — [2] Ibid. 13. — [3] Ibid. — [4] S. Chrys. Cateches. I, ad Illumin. n. 1.

causari solent, et corruptibile hoc corpus atque passibile impedimento sibi esse ad virtutem putant? Audiant Pauli facta præclara, et ab hâc obtrectatione malignissimâ conquiescant. Quid enim humano generi mors nocuit? quid verò virtutem corruptio corporis impedivit? Considera itaquè Paulum, et videbis quia nobis etiam ad maximam utilitatem proficiet ista mortalitas. Hic enim nisi mortalis fuisset, nequaquàm dicere potuisset, magis autem nequisset ostendere quod ipsius temporibus est locutus, quoniam *quotidiè morior pro vestrâ gloriâ, quam habeo in Christo Jesu* [1]. »

VI. Restat deniquè ut pauca dicamus de illis exordiis, quæ per interpellationem Dei aut creaturarum incipiunt, illudque genus tùm alibì, tùm maximè in priori sancti Gregorii Nazianzeni invectivâ contrà Julianum usurpatur, ubì sic concionem inchoat :

« *Audite hæc, omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem* [2]. Omnes enim, quasi ex editâ quâdam et mediterraneâ speculâ, magno ac sublimi præconio appello. Audite, populi, tribus, linguæ, homines omnes [3], cujusvis generis et ætatis, tàm qui nuuc estis, quàm qui posteà eritis; atque quò latiùs præconium pateat, omnis cœlorum virtus, omnes Angeli, quorum operâ tyrannus extinctus ac deletus est, non Seon ille rex Amorrhæorum, neque Og, rex Basan, exigui principes [4], atque Israëlem, hoc est, parvam orbis partem vexantes; verùm draco ille [5], apostata ille, magna illa mens, Assyrius ille [6], ille communis omnium inimicus atque hostis, qui et multum furorem, multasque minas in terram profudit, et multam iniquitatem *in excelsum locutus* [7] ac molitus est.

[1] 1 Cor. xv, 31. S. Chrys. de Laud. S. Paul. Homil. v, n. 1. — [2] Psal. xlviii, 1. — [3] Dan. v, 19. — [4] Num. xxi, 26-33. — [5] Ezech. xxiii, 3. — [6] Isaï. xxxvii, 36 et seq. — [7] Psal. xxxii, 8.

» *Audi, cœlum, et auribus percipe, terra.* Jàm enim mihi tempus est, ut iisdem verbis utar, quibus Esaias, vocis sublimitate prophetas omnes antecellens. Hoc unum interest, quòd ille ob Israëlem, qui Dei legem rejecerat, ea vocat atque contestatur : ego autem ob tyrannum, qui et eam rejecit, et miserè, ut ipsius impietas merebatur, occidit.

» Audi hæc etiam, Constantii Magni anima, si quis mortuis sensus est, omnesque eorum, qui imperium antè ipsum tenuêrunt, piæ Christique amantes animæ : verùm ille præ cæteris, qui cùm simul cum Christi hæreditate crevisset, eamque pro viribus auxisset, temporisque diuturnitate confirmâsset, adeò ut eo nomine omnes, qui unquàm imperio potiti fuerant, splendore gloriâque superâsset, (ô injuriam ac nefas?) ignoratione lapsus est ipsius pietate admodùm indignâ : Christianis Christi hostem insciens aluit, in eoque uno haud rectè humanitate ac benignitate usus est, quòd eum et servavit, et ad imperium evexit, qui malè ac funestè et servatus est, et imperium administravit. Atque hâc potissimùm de causâ eum crediderim, ut ex impietatis oppressione, rerumque christianarum ad pristinum splendorem reditu, sic etiam ex hâc oratione maximam voluptatem capturum [1]. »

Habet igitur apud sanctos Patres christianos concionator omnimoda procœmiorum exempla, quæ, si diligenter inspecta imitari curaverit, non, sicut sæpiùs solet, vagas quasdam sententias, aut inania verba, vano exordii titulo pravè decorata, orationibus præferet, sed per ipsius rei vel circumstantiarum expositionem, suaviter præparatos statim in argumentum inducet auditores.

[1] S. Gregor. Theol. Orat. IV, n 1-3.

§ II. *De Propositione et Divisione.*

Propositio paucis verbis tractanda complectitur, ideòque tantæ necessitatis est, ut, illâ præmissâ, omne decurrat elucidatum argumentum, omissâ verò, caliginosum fiat penitùs et impervium. Quòd si non simplex occurrat propositio, ad divisionem confugiendum est, quâ variæ hujus partes mox explicandæ recensentur. Divisionis autem commodum duplex, prius quidem, quod circà totius sermonis connexionem præmonitus auditor, veritatem faciliùs possit apprehendere; posterius verò, quòd dicentis memoria minori defatigatione explicanda retineat.

Apud antiquos Patres raræ sese offerunt divisiones, utpotè qui homiliis dediti, nullum alium ordinem secuti fuerint, quàm versuum Scripturæ distinctionem. Non desunt tamen, maximè apud sanctum Bernardum, exquisita divisionum exempla.

Sic de adventu Domini loquens, modò ab auditoribus pensari desiderat, « Quis sit qui veniat, undè, quò, ad quid, quandò et quà [1]; » modò triplicem illius asserit adventum, « Ad homines, in homines, contrà homines [2]; » modò duplicem iterùm eumdem explicare aggreditur, « Unum quo venit quærere et salvare quod perierat, alterum, quo veniet et assumet nos ad seipsum [3]; » modò triplicem ostendit hujus adventûs necessitatem propter triplicem humani generis miseriam; nimirùm generalis est humano generi miseria triplex: « Nàm et faciles sumus ad seducendum, et debiles ad operandum, et fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum et malum, decipimur; si tentamus facere bonum, deficimus; si conamur resistere malo, dejicimur et superamur. Necessarius proindè Salvatoris ad-

[1] S. Bernard. Serm. I, de Adv. — [2] Id. Serm. III. — [3] Id. Serm. IV.

ventus : necessaria sic præoccupatis hominibus præsentia Christi. Atque utinàm sic veniat, ut copiosissimâ dignatione suâ, et in nobis per fidem habitans illuminet cæcitatem nostram, et nobiscum manens adjuvet infirmitatem nostram, et pro nobis stans fragilitatem nostram protegat et propugnet. Si enim ille in nobis, quis jàm decipiat nos? si ille nobiscum, quid de cætero non possumus in eo qui confortat nos? si ille pro nobis, quis contrà nos [1]? »

Sic beati Joannis præconia celebrans, hanc Evangelii vocem explicare satagit : *Ille erat lucerna ardens et lucens* [2]. « Est enim, inquit, tantùm lucere vanum, tantùm ardere parùm; ardere et lucere perfectum [3]. »

Sic in Natali Domini hæc psalmistæ verba : *Magna opera Domini* [4], exponenda suscipiens : « Quàm magnificè, ait, nobiscum agat, specialiter tria quædam ejus opera clamant, primæ nostræ creationis, præsentis redemptionis, futuræ glorificationis [5]. »

Sic, ut et de aliis loquamur, sanctus Augustinus de Utilitate agendæ pœnitentiæ tractans, triplicem distinguit pœnitentiam : « Primam quidem baptizandorum, quæ antè susceptum sacramentum à catechumenis fieri debet; secundam quæ omnium est, et ab omnibus quotidiè pro quotidianis delictis suscipitur; tertiam deniquè, quæ gravior ac luctuosior, pro expiandâ mortiferorum peccatorum labe perficiatur necesse est [6]. ».

Sic de Resurrectione mortuorum disserens, duas statuit quæstiones : « Unam videlicèt, utrùm futura sit resurrectio mortuorum, alteram verò qualis futura sit in resurrectione vita sanctorum [7]; » quâ quidem distinctione in memoriam revocatur altera illa ejusdem de Resurrectione Christi divisio, quam sibi noster vindicavit *Burdalius*, et cum eo

[1] S. Bernard. Serm. de Advent. VII. — [2] Joan. V, 35. — [3] S. Bern. Serm. in Nat. B. Joan. Bapt. n. 3. — [4] Psal. CIX, 2. — [5] S. Bernard. Serm. II, de Nat. Dom. n. I. — [6] S. August. Serm. CCCLII. — [7] Id. Serm. CCCLXI, n. 2.

plerique concionatores, scilicet: « In Resurrectione Christi esse miraculum simul et exemplum : miraculum ut credas, exemplum, ut speres[1]. »

Sic deniquè in oratione panegyricâ de sancto Vincentio illum inducit de omnibus inimici machinis triumphantem : « Illecebras dùm ministrat, vincitur per continentiam; pœnas et tormenta infligit, vincitur per patientiam; errores suggerit, vincitur per sapientiam [2]. »

Multa alia aliorum exempla hìc referre non operosum foret; relata verò ad hoc sufficiant, ut christianus intelligat concionator, paucas numero, dictis breves, sensuque perspicuas adhibendas esse divisiones, ne audientium animi, vel multitudine gravati, vel prolixitate distracti; vel obscuritate obcæcati deficiant.

§ III. *De Narratione.*

« Narratio, Quinctiliano auctore, est rei factæ vel non factæ utilis ad persuadendum expositio; » cujus dotes cùm apud eumdem scriptorem optimè reperiantur explicata, hujus verba referre non alienum prorsùs videbitur.

Vult igitur illam esse « Lucidam, brevem, verisimilem... lucidam, ut *auditor* intelligat, brevem ut meminerit, verisimilem ut credat. Erit autem aperta Narratio atque dilucida, si fuerit primùm exposita verbis propriis et significantibus, tùm distincta rebus, personis, temporibus, locis, causis, ipsâ etiam pronuntiatione... Brevis erit antè omnia, si indè cœperimus rem exponere, undè ad auditorem pertinet; deindè si nihil extrà causam dixerimus; tùm etiam si reciderimus omnia, quibus sublatis, nec cognitioni quicquam nec utilitati detrahatur... Credibilis autem erit antè omnia, si priùs consuluerimus nostrum animum, ne quid naturæ dicamus adversum; deindè si

[1] Apud Burdal. Serm. de Pasch. — [2] S. Aug. Serm. CCLXXIV, de S. Vincent. I.

causas et rationes factis præposuerimus;..deniquè si personas convenientes iis quæ credi volumus, constituerimus[1].»

Hic erat apud profanos oratores præcipuus Narrationis usus, ut dilucidè exponeretur factum, de quo proferenda erat sententia. Apud nostros autem oratores ad confirmationem potiùs adhibetur, quàm ad expositionem. Narrationes autem apud sanctos Patres ità frequenter occurrunt, ut nullus ferè perlegatur tàm brevis sermo, in quo non aliquid hujus generis invenire delectet.

Porrò Narrationis apud illos species triplex, quarum prima factum aliquod verum, sensu obvio et naturali intelligendum exponit, et dicitur *simplex;* secunda versatur circà quosdam eventus subtiliori interpretatione præcipuis fidei mysteriis accommodandos, et *allegorica* vocatur; tertia deniquè jucunda simul et utilia, licet falsa, effingit, quibus in cognitionem veritatis inducamur, et nuncupatur *parabolica.*

I. Simplex autem narratio rursùs in *demonstrativam,* et *tropologicam* dividitur; nàm si ad probandam aliquam veritatem spectat, *demonstrativa*, si ad corrigendos adhibitis exemplis mores, *tropologica* nominatur. Sic cùm ad confirmandum sanctissimæ Trinitatis dogma, illud Evangelii factum refero, quo, Baptizato Christo, videtur Spiritus sanctus è cœlo, veluti columba, delapsus, et vox simul Patris auditur dicentis: *Hic est Filius meus dilectus*[2], habès Narrationem in genere *demonstrativo.* Habes ejusdem generis Narrationem, cùm ad probandam Religionis christianæ veritatem, præcipua Christi miracula, ejusque stupenda è mortuis resurrectio antè oculos descripta recensentur. Narrando pariter demonstrat, qui expositis historiæ ecclesiasticæ factis, subitam mirandamque fidei propagationem, martyrum pro veritate certantium

[1] Quinctil. lib. IV, c. 2. — [2] Matth. XVII, 6.

robur, inconcussam Ecclesiæ tot inter procellas perseverantiam ostendit. Sin autem, ut mundi contemptus insinuetur, Christi pauperis incunabula; ut peccati ingeratur odium, crux Dei morientis; ut amor pudicitiæ major accrescat, immaculata virginûm integritas; ut pœnitentiæ studium accendatur, aspera veterum anachoretarum vita; ut exacuetur deniquè christianorum acies animorum, inexpugnabilis martyrum patientia commemoretur, *tropologica*, id est, ad mores pertinens, dicitur Narratio. Ad eamdem Narrationis speciem spectant illa historiæ exempla, quibus vitiorum deformitas, et peccatorum pœnæ in mentem revocantur, qualis est diluvii sontem dissolventis orbem descriptio, vel Sodomitici ignis memoria.

Facta autem, alia ex sacris Scripturis, alia ex monumentis Ecclesiæ, alia verò ex ipsismet ethnicis auctoribus decerpta, narrare in sermonibus et in scriptis solebant primi Doctores; quas autem in narrando tenuerint regulas sedulò attendendum.

1°. Sacræ præsertim Scripturæ facta sæpè sæpiùs revolvebant; nec immeritò, cùm factis totum religionis fundamentum incumbat, totaque moralis perfectio suadeatur. Undè in primis damnantur exquisiti illi oratores, qui veteris novique Testamenti facta, velut communiora, communibus ablegantes prædicatoribus, obscuras ambitiosis verborum ambagibus involvunt sententias, quas audiant quidem indocti, nec intelligant, intelligant verò forsitan docti, nec in meliùs convertantur. Neque est quod credas in evangelicis illis Narrationibus nullum præberi ingenio locum, siquidem divinis oraculis ne unus apex vel addi vel detrahi licitè potest. Quamvis enim cœlestia mutare opera nefas, licet tamen, præclaras, quas referunt, sanctorum virtutes uberiori laudum copiâ exornare, et consideratis omnibus rerum circumstantiis, luce vividiori per-

fundere. Sic beatus Chrysostomus Juvenum in fornacem projectorum ità fortitudinem exaggerat, ut nemo sit, qui non admiratione percellatur :

« Tres, inquit, in fornacem pueri conjecti sunt : et nec ità religionis obliti sunt, nec ipsos terruit flamma ; sed iis, qui in cubiculo sederent, et nihil grave paterentur, studiosiùs, igne licèt circumdati, sacras illas preces emittebant. Ideò murus ipsis factus est ignis, et vestis flamma, et fons fornax : et ligatos acceptos, solutos reddidit : mortalia suscepit corpora, et tanquàm immortalibus abstinuit : agnovit naturam, sed pietati reverentiam exhibuit. Vinxit pedes tyrannus, et ignis vim pedes vinxêrunt. O rem admirabilem. ! Vinctos solvit flamma, et ipsa de reliquo à vinctis vincta est : mutavit enim rerum naturam adolescentulorum pietas : imò verò non naturam mutavit, sed quod erat mirabilius, permanentis naturæ vim repressit : non enim ignem extinxit, sed ardentem inefficacem reddidit : et quod est mirabile ac stupendum, non in sanctis tantùm corporibus hoc factum est, sed et in vestimentis ipsorum et calceamentis : et sicut in Apostolis, vestimenta Pauli ægritudines et dæmones pellebant, et Petri umbra mortem fugabat : sic etiam hìc puerorum calceamenta ignis virtutem extinxêrunt. Nescio quomodò dicam : miraculum omnem verborum narrationem transcendit. Nàm vis erat extincta, et non extincta : cùm enim circà sanctorum illorum corpora versabatur, erat extincta : cùm verò vincula dirumpere oportuit, non erat extincta : compedes igitur dirupit, et talos non tetigit. Vidisti quanta propinquitas? Neque vi suâ privatus est ignis, neque ultrà vincula procedere ausus fuit. Vinxit tyrannus, et flamma resolvit, ut et barbari crudelitatem discas, et elementi obedientiam. Quâ verò causâ in ignem missurus eos ligavit? Ut miraculum fieret majus, et mirabilius

signum, ne putares esse oculorum errorem ea quæ videbantur : nisi enim ignis ille ignis fuisset, vincula non absumpsisset, non exteriùs sedentes milites, quod multò magis fuit, rapuisset : nunc autem exterioribus quidem vim, interioribus verò obedientiam exhibuit [1]. ».

2°: Sanctarum exemplis Scripturarum, exempla ex Ecclesiæ annalibus deprompta non rarò adjungere curabant, in quibus referendis duos æquè fugiendos declinantes scopulos, nec creduli nimis, nec etiam nimis timidi extitêre. Absit enim, ut christianus orator falsa veris, certisque dubia immiscere præsumat ; nihil omninò proferat, quod non probatorum Scriptorum auctoritate firmetur, juxtà illud concilii Coloniensis primi decretum : « Si fabulosa videbitur historia, ne attingant quidem (concionatores ;) si verisimilis, leviter, eaque decerpant, quæ imitanda videantur. Miracula quoquè ne impudentiùs jactantur, nisi quæ Scripturis prodita, aut è non levibus scriptoribus, summâ cum historiæ fide, traditi fuerint [1]. » Sed non minùs absit à prædicatore christiano indigna illa timiditas, quâ Christi sacerdotes, sæculi hujus spiritum nequam sectati, incomprehensas invisasque mundo virtutes vel nominare erubescunt, certissimaque electorum Dei miracula recensere non audent. Non confundebatur Athanasius horrendam Antonii vitæ rationem omnium antè oculos ponere ; martyrum miracula *super tecta prædicare* non timebat Augustinus ; nunc verò sanctum Franciscum Xaverium patrias ædes parentesque insalutatos prætereuntem, nunc sanctam *Chantal* vel ulceri labia admoventem, vel proculcato abeuntem filio ; nunc ipsum Vincentium à Paulo miracula in sepulcro patrantem, publicis in orationibus celebrare qui sustineat, vix invenitur.

Quibus autem verbis virtutes vel miracula Sanctorum

[1] S. Chrys. Homil. IV, ad Antioch. n. 3.— [2] Concil. Colon. I, part. VI, c. 25.

extulerint beati Doctores innumeris ostendi posset exemplis; pauca tantùm seligemus, vel potiùs quæ obviàm primùm occurrunt, hìc ascribere sufficiet.

Hìc retractet, qui voluerit, admirabilem sancti Gregorii Nazianzeni Narrationem, quâ sancti Basilii coràm Modesto præfecto constantiam vivis exhibet coloribus, et quam superiùs de eodem Basilio loquentes ad verbum retulimus[1]. Ad hoc autem adjiciamus hæc sancti Joannis Chrysostomi perorantis verba, quibus conversæ ad meliora meretricis exemplo desperantes ad fiduciam revocare satagit :

« Etiamsi in extremum nequitiæ (aliquis) lapsus sit, ne desperet de resipiscentiâ; facile quippè est ex profundo improbitatis emergere. Annon auditis quomodò meretrix illa, quæ lasciviâ omnes superabat, omnes posteà pietate vicit? Non de illâ loquor quæ in Evangeliis fertur; sed de illâ quæ nostro ævo ex Phœniciæ civitate omnium nequissima fuit. Hæc quippè meretrix apud nos erat, primasque in scenâ tenebat, cujus nomen ubiquè celebrabatur; nec in nostrâ urbe tantùm, sed usquè ad Cilicas et Cappadocas; multorumque opes exhausit, pupillos multos cepit. Plurimi verò eam maleficis uti artibus dicebant, nec corporis formâ tantùm, sed et veneficiis retia expandisse. Hæc imperatricis quoquè fratrem irretivit; nàm multâ vi tyrannidis pollebat. Sed repentè, nescio quomodò : imò probè scio quomodò; spontè mutata, gratiam Dei sibi concilians, omnia illa sprevit, ac projectis diabolicis illecebris, ad cœlum accurrit. Quanquàm nihil illâ turpius erat, cùm in scenâ compareret : attamen multas posteà castitate superavit, cilicioque induta omne transigebat tempus. Hujus revocandæ causâ præfectus à quibusdam concitatus est, milites armati ad scenam illam transferre non potuêrunt, neque ex cœtu virginum, quæ illam

[1] Tom. I, Vit. S. Basil.

receperant, educere. Hæc sacris dignata mysteriis, cùm acceptâ gratiâ dignum virtutis studium adhibuisset, vitam clausit, cùm peccata omnia per gratiam eluisset, et post baptismum magnam exhibuisset philosophiam. Nec unquàm amatores olim suos accedentes aspicere voluit, seque ipsam inclusit, multosque annos quasi in carcere transegit. *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi* [1]. Sic nobis ubiquè ferventi animo opus est. Nihil impedit quominùs magni et mirabiles evadamus.

» Nemo igitur in nequitiâ degens desperet : nemo virtutem exercens dormitet, neque ità confidat. Sæpè namque eveniet ut meretrix illum antevertat. Ille verò ne desperet, poterit enim etiam præcedere. Audi quid dicat Deus Jerosolymæ : *Dixi, postquam fornicata est in his omnibus : Convertere, et conversa non est* [2]. Cùm igitur ferventem Dei amorem adimus, non recordatur ille priorum. Non est sicut homo Deus; neque enim præterita probro dat, neque dicit : Quarè tanto tempore abfuisti? Si tamen pœnitentiam egerimus, diligit nos, cùm ipsum adimus, dùm ut oportet accedamus. Ipsi ergò admodùm hæreamus, et *configamus timore ejus corda nostra* [3]. Res hujusmodi non in novâ solùm Lege, sed et in veteri observantur. Quid enim Manasse deterius [4]? sed potuit Deum placare. Quid Salomone beatius? sed dormitans cecidit [5]. Imò hæc ambo possum in uno ostendere, in ejus scilicèt patre : nàm ille et probus et improbus fuit. Quid Judâ beatius? sed fuit proditor. Quid Paulo miserius? sed fuit apostolus. Quid Matthæo pejus? sed fuit evangelista. Quid Simone laudabilius? sed fuit omnium miserrimus. Quot similes mutationes, et olim et nunc quotidiè factas, videre potes? Quamobrem dico, nec histrio despe-

[1] Matth. xx, 16.— [2] Jerem. III, 1, 7. — [3] Psal. CXVIII, 120. — [4] 4 Reg. XXI. — [5] 3 Reg. XI, 4.

ret, nec is, qui in Ecclesiâ est, confidat. Huic namque dicit : *Qui videtur stare, videat ne cadat* [1] ; illi autem : *Numquid qui cadit non resurget* [2] ? et, *Manus remissas, et genua debilia roborate* [3]. Ac rursùs his : *Vigilate ;* illis verò : *Surge qui dormis, et resurge à mortuis* [4]. Nàm hi id quod habent servare debent, illi verò id fieri quod non sunt ; hi sanitatem custodire, illi ab infirmitate liberari. Multùm laborant ægritudine, sed multi ægri valetudinem recuperant, et benevalentes, si negligant, in morbum incidunt. Illis itaque dicit : *Ecce sanus factus es ; noli amplius peccare, ne tibi quid deterius contingat* [5] ; his verò : *Vis sanus fieri? tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam* [6]. Gravis enim, gravis certè paralysis est peccatum ; imò non paralysis tantùm, sed aliquid gravius. Neque enim hic bonis tantùm privatur, sed in malorum exercitio est. Attamen licèt ità affectus sis, si volueris paululùm exurgere, omnia mala solvuntur : etiamsi triginta octo annos habeas, si sanitatem recuperare studeas, nihil obest ; adest etiam nunc Christus et dicit : *Tolle lectum tuum* [7] ; modò velis, surge, ne desperes : hominem non habes, sed habes Deum. Non habes virum qui te in piscinam injiciat ; sed habes eum qui non sinat te opus habere piscinâ. Non habes qui te illò conjiciat, sed habes qui jubeat tollere lectum tuum. Non licet dicere : *Dùm ego venio, alius antè me descendit* [8] : si enim velis in fontem descendere, nemo impediet. Gratia non consumitur, non impenditur. Fons quidam est semper scaturiens, ex plenitudine ejus omnes sanamur, et secundùm animam et secundùm corpus. Accedamus igitur etiam nunc. Nàm Rahab meretrix erat, sed servata est : Latro homicida erat, sed paradisi civis

[1] 1 Cor. x, 12. — [2] Jer. viii, 4. — [3] Isaï. xxxv, 3. — [4] Ephes. v, 14. — [5] Joan. v, 14. — [6] Ibid. 6 et 8. — [7] Matth. ix, 6. — [8] Joan. v, 7.

effectus est. Et Judas, qui cum magistro erat, periit; Latro autem in cruce cùm esset, discipulus factus est. Hæc Dei mirabilia sunt, sic Magi acceptabiles fuêrunt; sic Publicanus evangelista factus est; sic Blasphemus fuit apostolus.

» Hæc conspice, et nunquàm desperes; sed semper confide et excita teipsum. Viam solùm inito, quæ illò ducit, et celeriter incede, ne claudas januas, ne ingressum obsepias. Breve est præsens tempus, parvus labor. Etiamsi magnus esset, ne sic quidem desperare oporteret : etiamsi enim nunc pulcherrimum laborem, quem pœnitentia et virtus afferunt, non suscipias, in mundo certè laborabis et alio modo sudabis. Quòd si et hìc et illìc labor est, cur non hunc laborem suscipimus, qui multum affert fructum et magnam mercedem? quanquàm non idem hìc labor qui illìc. In sæcularibus enim frequentia pericula, damna sibi mutuò succedentia, spes incerta, servitus multa, pecuniarum, corporum, et animæ dispendia, fructuum proventus spe longè minores, si tamen veniant : neque enim sæcularium rerum sudores fructum semper afferunt. Verumtamen etsi non excidant, etiamsi multum proventum afferant, modico tempore manent. Cùm enim senueris, nec possis iis pro voto frui, tunc mercedem laborum recipies. Sic labor vigente corpore suscipitur : fructus autem et voluptas corpore jàm sene et soluto, cùm sensum tempus extinxit, et, si non prorsùs extinxerit, mortis spes non sinit deliciis frui. Illìc verò res non ità se habet, sed labor est in corruptione et in mortali corpore; corona verò in non senescente, immortali, finem non habente. Labor præcedit et brevis est; merces autem sequitur et est immensa, ut cum libertate demùm quiescas, nihil expectans injucundum. Nulla enim ibi mutatio timenda, nullus casus, ut in hoc mundo. Qualia autem

sunt hæc bona, non tuta, sed brevia, lutea, quæ vix apparent et evanescunt, ac cum multis laboribus possidentur? Quæ bona sunt illis æqualia, quæ sunt immobilia; quæ nunquàm senescunt; quæ nullius sunt laboris; quæ certaminum tempore coronas tibi afferunt? Nàm qui pecùnias despicit, jàm hinc mercedem recipit, sollicitudine vacuus, livore, sycophantiâ, insidiis, invidiâ. Qui castus est et ornatè vivit, etiam antequàm decedat, coronatur et in deliciis degit, decore, irrisionibus, periculis, accusationibus aliisque omnibus malis liberatus. Aliæ quoquè virtutis partes similiter jàm hìc nobis mercedem afferunt. Ut igitur et præsentia et futura consequamur bona, fugiamus nequitiam et virtutem amplectamur. Sic enim et hìc in deliciis erimus, et futura consequemur bona, quæ utinàm omnes adipiscamur gratiâ et benignitate Domini Nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen [1]. »

Idem agens contrà Judæos, sic historiam narrat Christiani Christianam ad synagogam Judæorum malè trahentis :

« Judæi se quoquè Deum adorare dicunt; sed absit ut hoc dicamus : nemo Judæus Deum adorat. Quis ait hoc? Dei Filius. *Si enim Patrem meum nossetis, et me nossetis : neque verò me nostis, nec Patrem* [2]. Quod testimonium hoc fide dignius adducam? Si Patrem non nôrunt, Filium crucifixêrunt, Spiritûs auxilium repulêrunt. Quis locum istum esse dæmonum diversorium, affirmare non ausit? Non adoratur ibi Deus, absit : sed idololatriæ deinceps locus est : et tamen aliqui illis tanquàm sacrariis adhærent. Atque hæc non conjecturis adductus dico, sed ipsâ edoctus experientiâ. Nàm antè hoc triduum, mihi credite, non mentior, matronam quamdam hones-

[1] S. Chrys. Homil. LXVII, in Matth. n. 3-5. — [2] Joan. VIII, 19.

tam, ingenuam, modestam et fidelem vidi, quam homo quidam impurus, stolidus, opinione christianus, (talia enim audentem, sincerum christianum non dixerim,) Hebræorum ædem intrare, ibique jusjurandum de negotiis sibi controversis dare cogebat. Ut verò illa opem implorabat, et vim sceleratam amoliri cupiebat, sibi enim, quæ divinorum mysteriorum particeps facta esset, illum locum adire, nefas esse : incensus ego zelo, atque ardens, surrexi, nec illam porrò ad prævaricationem trahi sum passus, eripuique ab iniquâ istâ abductione. Posteà eum, qui traxerat illam, christianus-ne esset, rogavi. Cui confitenti, graviter institi, fatuitatem exprobrans, extremamque dementiam, et asinis illum quidquam præstare negavi, si Christum se adorare profitens, ad Judæorum, qui ipsum crucifixissent, speluncas quemquam traheret. Productoque longiùs sermone, primùm prorsùs non licere jurare, neque ad jusjurandum quemquam incitare, ex sacro Evangelio docui [2]; deindè, non fidelem et initiatam, quin neque eum, qui nondùm sit initiatus, in istam necessitatem trahendum fuisse. Postquàm diù multùmque locutus animum ejus ab errore opinionis liberavi, causam sciscitatus sum, cur ecclesiâ relictâ ad Judæorum collegia illam traxerit. At ille, multos sibi dixisse inquiebat, jusjurandum, quod ibi daretur, magis formidandum esse. Ob quæ ingemiscebam, irâque incendebar, deinceps rursùs ridebam. Cernens enim diaboli astutiam, ingemui quòd hominibus id persuadere posset : consideratâ verò eorum qui deciperentur socordiâ, excandui : et eorumdem quanta esset amentia mecum reputans, risi [1]. »

Sanctus Gregorius Nazianzenus, licet dicendi formâ sublimior evaserit, ad simplicem Narrationis figuram descendere non dedignatus est, ut videri præsertim datur

[1] Matth. v, 34. — [2] S. Chrys. adversus Judæos, Orat. I, n. 3.

in celeberrimâ illâ contrà Julianum oratione, ubi sic deceptos ab eo milites refert :

« Hìc Narrationem quamdam admiscebo, superioribus tristiorem et miserabiliorem. Ferunt quosdam eorum, qui per ignorationem capti ac circumventi fuerant, posquàm contractâ hâc calamitate domum se recepissent, unà cum contubernalibus suis ad mensam accubuisse : deindè, cùm convivium ad consuetam frigidi vini potationem processisset, non secùs ac si nihil gravius ipsis accidisset, ac meraci vini poculum, sublatis in altum oculis, Christum cum crucis signo appellâsse. Cùmque conturbernalium quidam id miratus fuisset, dixissetque : Quidnam hoc est ? Christum post abjurationem invocatis ? Illos statim, his verbis exanimatos, dixisse : Quo tandem modo abjuravimus ? et quinam hic novus sermo est ? Hunc verò respondisse : Quoniam ad ignem thus adolevistis : quod idem est, docebat ille, ac Christum abnegâsse. Tùm verò illos, nullâ interpositâ morâ, è convivio exilientes, velut furiosos et mente captos, ac zelo et iracundiâ æstuantes, per forum currere, clamare et dicère : Christiani, christiani animo sumus : audiant omnes mortales, et antè omnes Deus, cui et vivimus, et moriemur. Fidem tibi datam, Christe salvator, non fregimus : beatam confessionem non abjuravimus. Si quid manus peccavit, mens certè minimè secuta est. Imperatoris fraude circumventi, non auro sauciati sumus. Impietatem exuimus. Jàm jàm cruore purgamur. Posteàque ad imperatorem celeriter profectos atque aurum forti et strenuo animo projicientes, ad hunc modum vociferari : Non dona accipimus, imperator : sed morte damnati sumus. Non honoris causâ vocati, sed ignominiâ notati sumus. Da hoc beneficium militibus tuis ; Christo nos immola, cujus unius imperio subjicimur. Ignem igni repende ; pro cinere

illo in cinerem nos redige. Manus amputa, quas sceleratè porreximus : pedes, quibus malè cucurrimus. Alios auro dona, quos accepisse posteà non pœniteat. Nobis satis superque est Christus, quem instar omnium habemus. Quam cùm orationem habuissent, simulque alios hortarentur, ut fraudem intelligerent, atque ab hâc temulentiâ se colligerent et evigilarent, Christoque sanguine suo satisfacerent; tùm verò imperatorem irâ incensum, apertè quidem illos interficere noluisse, ne martyres efficerentur, qui, quantùm in ipsis erat, martyres erant, exilio tamen mulctâsse, ac pœnâ eâ vindictam sumpsisse, maximoque eos beneficio affecisse, quos à piaculis suis versutisque consiliis procul removisset [1]. »

3°. Nec facta solùm naturæ legibus consentanea in suis narrare operibus vel sermonibus contenti beati Doctores, potentiam Dei in miraculis agnoscere non erubuêrunt. A nostri hujus sæculi incredulitate alieni, in maximi momenti scriptis, quæcumque Deo prodigiosè operari placuerat, referre minimè dubitabant. Quanta enimverò sanctus ille Augustinus in ipso *de Civitate Dei* mirando opere collegit miraculosa facta, quæ suis ipse conspexerat oculis ! Quantâ autem arte simul et delectu verborum, etiam in rebus ad exprimendum difficillimis ! Ipsum jàm loquentem audiamus :

« Apud Carthaginem autem quis novit, præter admodùm paucissimos, salutem, quæ facta est Innocentio exadvocato vicariæ præfecturæ, ubi nos interfuimus, et oculis aspeximus nostris? Venientes enim de transmarinis, me et fratrem meum Alypium, nondùm quidem clericos, sed jàm Deo servientes, ut erat cum totâ domo suâ religiosissimus, ipse susceperat, et apud eum tunc habitabamus. Curabatur à medicis : fistulas, quas numerosas atque

[1] S. Greg. Theol. Orat. IV, n. 84.

perplexas habuit in posteriore atque imâ corporis parte, jàm secuerant ei, et artis suæ cætera medicamentis agebant. Passus autem fuerat in sectione illâ et diuturnos et acerbos dolores. Sed unus inter multos sinus fefellerat medicos, atque ità latuerat, ut eum non tangerent, quem ferro aperire debuêrunt. Deniquè sanatis omnibus quæ apertè curabant, iste remanserat solus, cui fustrà impendebatur labor. Quas moras ille suspectas habens, multùmque formidans ne iterùm secaretur, quod ei prædixerat alius medicus domesticus ejus, quem non admiserant illi, ut saltem videret, cùm primùm sectus est, quomodò id facerent, iratusque illum domo abjecerat, vixque receperat, erupit, atque ait : Iterùm me secturi estis? Ad illius, quem noluistis esse præsentem, verba venturus sum? Irridere illi medicum imperitum, metumque hominis bonis verbis promissionibusque lenire. Præteriêrunt et alii dies plurimi, nihilque proficiebat omne quod fiebat. Medici tamen in suâ pollicitatione persistebant, non se illum sinum ferro, sed medicamentis esse clausuros. Adhibuêrunt et alium grandævum jàm medicum, satisque in illâ arte laudatum (adhùc enim vivebat) Ammonium, qui, loco inspecto, idem quod illi ex eorum diligentiâ peritiâque promisit. Cujus ille factus auctoritate securus, domestico suo medico, qui futuram prædixerat aliam sectionem, facetâ hilaritate, velut jàm salvus, illusit. Quid plura? posteà tot dies inaniter consumpti transiêrunt, ut fessi atquè confusi faterentur eum, nisi ferro, nullo modo posse sanari. Expavit, expalluit nimio timore turbatus : atque ubi se collegit, farique potuit, abire illos jussit, et ad se ampliùs non accedere, nec aliud occurrit fatigato lacrymis et illâ jàm necessitate constricto, nisi ut adhiberet Alexandrinum quemdam, qui tunc chirurgus mirabilis habebatur, ut ipse faceret quod ab illis fieri nolebat

iratus. Sed posteaquàm venit ille, laboremque illorum in cicatricibus sicut artifex vidit, boni viri functus officio, persuasit homini ut illi potiùs qui in eo tantùm laboraverant, quantùm ipse inspiciens mirabatur, curationis suæ fine fruerentur, adjiciens quod reverà nisi sectus esset, salvus esse non posset; sed valdè abhorrere à suis moribus, ut hominibus quorum artificiosissimam operam, industriam, diligentiam admirans in cicatricibus ejus videret, propter exiguum quod remansit, palmam tanti laboris auferret. Redditi sunt animo ejus, et placuit ut, eodem Alexandrino assistente, ipsi sinum illum ferro, qui jàm consensu omnium aliter insanabilis putabatur, aperirent. Quæ res dilata est in consequèntem diem. Sed cùm abiissent illi, ex mœrore nimio domini tantus est in domo illâ exortus dolor, ut tanquàm funeris planctus vix comprimeretur à nobis. Visitabant eum quotidiè sancti viri, episcopus tunc Uzalensis, beatæ memoriæ Saturninus, et presbyter Gelosus, ac diaconi Carthaginensis ecclesiæ : in quibus erat, et ex quibus solus est nunc in rebus humanis, jàm episcopus cum honore à nobis debito nominandus Aurelius, cum quo recordantes mirabilia opera Dei, de hâc re sæpè collocuti sumus, eumque valdè meminisse, quod commemoramus, invenimus. Qui cùm eum, sicut solebant, vesperè visitarent, rogavit eos miserabilibus lacrymis, ut manè dignarentur esse præsentes suo funeri potiùs quàm dolori. Tantus enim eum metus ex prioribus invaserat pœnis, ut se inter medicorum manus non dubitaret esse moriturum. Consolati sunt eum illi, et hortati ut in Deo fideret, ejusque voluntatem viriliter ferret. Indè ad orationem ingressi sumus : ubi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terræ, ille se ità projecit, tanquàm fuisset aliquo impellente graviter prostratus, et cœpit orare : quibus modis, quo

affectu, quo motu animi, quo fluvio lacrymarum, quibus gemitibus atque singultibus succutientibus omnia membra ejus et penè intercludentibus spiritum, quis ullis explicet verbis? Utrùm orarent alii, nec in hæc eorum averteretur intentio, nesciebam. Ego tamen prorsùs orare non poteram; hoc tantummodò breviter in corde meo dixi: Domine, quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis? Nihil enim mihi videbatur addi jàm posse, nisi ut expïraret orando. Surreximus, et acceptâ ab episcopo benedictione discessimus, rogante illo ut manè adessent, illis ut æquo animo esset hortantibus. Illuxit dies qui metuebatur, aderant servi Dei, sicut se affuturos esse promiserant: ingressi sunt medici, parantur omnia quæ hora illa poscebat, tremenda ferramenta proferuntur, attonitis suspensisque omnibus. Eis autem, quorum erat major auctoritas, defectum animi ejus consolando erigentibus, ad manus secturi membra in lectulo componuntur, solvuntur nodi ligamentorum, nudatur locus, inspicit medicus, et secandum illum sinum armatus atque intentus inquirit. Scrutatur oculis, digitisque contrectat; tentat deniquè modis omnibus: invenit firmissimam cicatricem. Jàm illa lætitia et laus atque gratiarum actio misericordi et omnipotenti Deo, quæ fusa est ore omnium lacrymantibus gaudiis, non est committenda meis verbis: cogitetur potiùs quàm dicatur.

» In eâdem Carthagine Innocentia religiosissima fœmina, de primariis ipsius civitatis, in mamillâ cancrum habebat: rem, sicut medici dicunt, nullis medicamentis sanabilem. Aut ergò præcidi solet, et à corpore separari membrum ubi nascitur: aut ut aliquantò homo diutiùs vivat, tamen indè morte quamlibèt tardiùs affuturâ, secundùm Hippocratis, ut ferunt, sententiam, omnis est omittenda curatio. Hoc illa à perito medico et suæ domui familiaris-

simo acceperat, et ad solum Deum se orando converterat. Admonetur in somnis, appropinquante Paschâ, ut in parte fœminarum observanti ad baptisterium quæcumque illi baptizata primitùs occurrisset, signaret ei locum signo Christi : fecit, et confestim sanitas consecuta est. Medicus sanè qui ei dixerat ut nihil curationis adhiberet, si paulò diutiùs vellet vivere, cùm inspexisset eam posteà, et sanissimam comperisset, quam priùs habere illud malum tali inspectione cognoverat, quæsivit ab eâ vehementer quid adhibuisset ; cupiens, quantùm intelligi datur, nosse medicamentum, quo Hippocratis definitio vinceretur. Cùmque ab eâ quid factum esset audisset, voce velut contemnentis et vultu, ità ut illa metueret ne aliquod contumeliosum verbum proferret in Christum, religiosâ urbanitate respondisse fertur : Putabam, inquit, magnum aliquid te mihi fuisse dicturam. Atque illâ jàm exhorrescente, mox addidit : Quid grande fecit Christus sanare cancrum, qui quatriduanum mortuum suscitavit[1]? Hoc cùm audissem, et vehementer stomacharer, in illâ civitate atque in illâ personâ, non utiquè obscurâ, factum tàm ingens miraculum sic latere, hìnc eam et admonendam et penè objurgandam putavi. Quæ cùm mihi respondisset non se indè tacuisse, quæsivi ab eis, quas fortè tunc matronas amicissimas secum habebat, utrùm hoc anteà scissent. Respondêrunt se omninò nescisse. Ecce, inquam, quomodò non taces, ut nec istæ audiant, quæ tibi tantâ familiaritate junguntur. Et quia breviter ab eâ quæsiveram, feci ut, illis audientibus multùmque mirantibus et glorificantibus Deum, totum ex ordine, quemadmodùm gestum fuerit, indicaret[2]. »

De miraculis autem inter concionandum relatis ; no-

[1] Joan. XI. — [2] S. August. de Civitat. Dei, lib. XXII, cap. 8, n 3-4.

tandum est illa vel à concionatore memoriter, vel de scripto à lectore fuisse ad auditores recitata.

Sic memoriter ad populum referebat Augustinus profluentem à beato Stephano sanitatum gratiam, cùm diceret:

« Apud Uzalim, ubi est episcopus frater meus Evodius, quanta miracula ibi fiant quærite et invenietis... Mulier quædam subitò ægrotum filium, cui succurrere festinando non potuit, in gremio suo catechumenum amisit [1];.. quæ cùm vidisset amissum et irreparabiliter perditum, cœpit eum magis flere fideliter, quàm maternè. Non enim filii sui desiderabat vitam nisi in futuro sæculo, et hanc sibi ablatam et periisse plangebat. Impleta affectu fiduciæ tulit illum mortuum, et cucurrit ad Memoriam beati martyris Stephani, et cœpit ab illo exigere filium, et dicere: Sancte martyr, vides nullum mihi remansisse solatium. Non enim possum dicere filium præcessisse, quem nosti periisse; tu enim vides, quare plangam. Redde filium meum, ut habeam eum antè conspectum coronatoris tui. Hæc et talia cùm precaretur, lacrymis quodam modo non petentibus, sed exigentibus, revixit filius ejus... Continuò tulit illum ad presbyteros; baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus; completis omnibus sacramentis assumptus est. Illa autem tali eum cum vultu deduxit, tanquàm non deduceret ad requiem sepulcri, sed ad sinum martyris Stephani [2]. »

Nec minùs certum est miracula, non solùm ea quæ primis temporibus patrata fuerant, sed nova etiam, si quæ recenter evenissent, à lectore fuisse sivè proximè antè concionem, sivè ad ejus finem de scripto publicè recitata. Qui enim sancti alicujus ope ac deprecationibus, vel ex morbo convaluerant, vel impendens aliquod grave periculum præsentemque calamitatem declinârant, ii libellos epis-

[1] S. August. Serm. CCCXXIII, n. 3. — [2] Id. CCCXXIV.

copo dabant in ecclesiâ publicè legendos, qui et morbi seriem, et restitutionem salutis, et imminentis urgentisque mali declinationem continebant; necnon etiam ipsius sancti nomen qui se pro eis deprecatorem præbuerat. Hujusmodi porrò libellos episcopo datos, ipso permittente vel jubente, publicè de scripto lector ad populum recitabat. Cujus sanè consuetudinis testes habemus inprimis Evodium Uzalensem episcopum, Augustino coævum, et ipsum cum eo Augustinum. Beatus enim Evodius in libro de miraculis sancti Stephani hanc, de quâ agimus, consuetudinem, verissimè exprimit; cùm plerosque testes appellat auditores, « In hâc ipsâ Uzalensi ecclesiâ, Stephani, primi martyris Christi, miracula fideliter descripta, et publicâ attestatione comprobata iis, qui aderant, fuisse de publico recitata [1]. » Quem morem confirmans Augustinus : « Si miracula, inquit, sanitatum, ut alia taceam, ea tantummodò velim scribere, quæ per hunc Martyrem facta sunt in coloniâ Calamensi, et in nostrâ, plurimi conficiendi sunt libri; nec tamen omnia colligi poterunt, sed tantùm de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis... Nondùm est biennium ex quo apud Hipponem-Regium cœpit esse ista Memoria, et multis, quod nobis certissimum est, non datis libellis, de iis quæ mirabiliter facta sunt, illi ipsi qui dati sunt ad septuaginta fermè numerum pervenerant, quandò ista conscripsi. Calamæ verò, ubi et ipsa Memoria priùs esse cœpit et crebriùs dantur, incomparabili multitudine superant [2]. » Nec multò post : « Petroniam, clarissimam fœminam, quæ ibi mirabiliter ex magno atque diuturno, in quo medicorum adjutoria omnia defecerant, languore sanata est, hortati sumus, volente supradicti loci episcopo, ut libellum daret,

[1] Evod. Uzal. de Mirac. Steph. lib. II. — [2] S. August. de Civit. Dei, lib. XXII, cap. 8, n. 21.

qui recitaretur in populo [1]. » Illud autem non insolitum, sed de more factum fuisse constat ex eodem Augustino in eodem libro : « Libelli dati sunt qui recitarentur in populis ; id namque fieri voluimus, cùm videremus antiquis similia divinarum signa virtutum etiam nostris temporibus frequentari, et ea non debere multorum notitiæ deperire [2]. »

Sed quid plura ad asserendam illam consuetudinem congeramus, cùm exemplar istius modi libellorum apud ipsum Augustinum inveniamus ; libelli porrò inscriptio ea est :

« Exemplar libelli à Paulo dati Augustino episcopo. » Paulus ille à beato Stephano sanitati fuerat restitutus, ut ex ipsâ patebit libelli lectione. Inscriptioni mox subjiciuntur verba quæ dicere solebat sanitati redditus, dùm libellum episcopo publicè recitandum exhibebàt.

« Rogo, domine, beatissime papa Augustine, ut hunc libellum meum, quem ex præcepto tuo obtuli, sanctæ plebi jubeas recitari. »

Libellum verò ipsum, licèt longiorem, quia rem omnem ordine explicat et penè oculis subjicit, propter legentium utilitatem ascribere totum minimè gravabimur. His porrò verbis concipiebatur :

« Cùm adhùc in patriâ nostrâ Cæsareâ Cappadociæ moraremur, frater noster natu major gravibus atque intolerandis communem matrem affecit injuriis, in tantum ut ei etiam manus non dubitaret inferre. Quod nos omnes filii pariter congregati patienter tulimus, ut ne verbum quidem fratri nostro pro matre nostrâ dixerimus. Illa autem fœminei doloris stimulis incitata, injuriosum filium maledicendo punire constituit. Cùmque ad sacri baptismatis fontem post gallorum cantus memorato filio suo iram Dei imprecatura properaret, tunc ei nescio quis in

[1] S. August. de Civit. Dei, lib. XXII, cap. 8, n. 22. — [2] Id, ibid. n. 20.

patrui nostri similitudine, ut intelligitur, dæmon occurrit et ab eâ prior, quò pergeret, requisivit. Cui illa ad maledicendum filio suo ob intolerabilem contumeliam se ire respondit. Tunc autem ille inimicus, quoniam in mulieris corde insaniente locum facilè invenire potuit, ut omnibus malediceret persuasit. Illa autem vipereis inflammata consiliis, sacrum fontem provoluta corripuit, et sparsis crinibus nudatisque uberibus, hoc à Deo potissimùm postulavit, ut extorres patriâ et circumeuntes alienas terras omne hominum genus nostro terreremus exemplo. Mox maternas preces efficax vindicta prosequitur, eumdemque continuò fratrem nostrum ætate culpâque majorem tremor membrorum tantus invasit, quantum in me antè hoc triduum vestra sanctitas vidit. Servato autem ordine, quo nati eramus intrà unum annum eadem nos pœna omnes corripuit. Videns autem mater maledictiones suas ad tantam efficaciam pervenisse, impietatis suæ conscientiam et opprobrium hominum diutiùs ferre non potuit, sed laqueo guttur astringens luctuosam vitam termino funestiore conclusit. Egressi ergò nos omnes, opprobrium nostrum non ferentes, et communem patriam relinquentes passim sumus per diversa dispersi. Ex nobis autem decem fratribus, qui nascendi quoquè ordine primum sequitur, ad gloriosi Martyris Memoriam, quæ apud Ravennam nuper collocata est, sicut audivimus, meruit sanitatem. Ego autem qui nascendi ordine sum sextus illorum, cum hâc sorore meâ, quæ me ætate subsequitur, ubicumquè gentium, ubicumquè terrarum loca esse sacra, in quibus operaretur Deus miracula, comperissem, magno desideratæ sanitatis amore carpebam iter... Admoniti autem evidenti auctoritate divinâ, ad hanc venimus civitatem antè dies fermè quindecim. Passionis meæ vel oculi vestri testes sunt, vel miserabilis soror mea, quæ ad eru-

ditionem omnium, communis mali præbet exemplum; ut qui in illâ qualis ego fuerim vident, in me quantùm per Spiritum sanctum suum Dominus sit operatus agnoscant. Orabam ego quotidiè cum magnis lacrymis in loco ubi est Memoria gloriosissimi martyris Stephani. Die autem Dominico Paschæ, sicut alii qui præsentes erant vidêrunt, dùm orans cum magno fletu cancellos teneo, subitò cecidi. Alienatus autem à sensu, ubi fuerim nescio. Post paululum assurrexi, et illum tremorem in corpore meo non inveni. Huic itaquè tanto Dei beneficio non ingratus hunc libellum obtuli : in quo etiam quæ de nostris calamitatibus ignorabatis, et quod de meâ incolumitate et salute cognovistis, exhibui, ut et pro meâ sorore orare dignemini, et pro me agere Deo gratias [1]. »

Nemo est sanè qui, perlecto tali miraculo, non ardenter desideret audire ipsum post recitata libelli verba perorantem Augustinum :

« Misericordia quidem Dei, fratres, ait, sicut credendum est, omnes isti fratres, quos una Dei ira maternâ plagâ percussit, ad ejus, de quo gaudemus, quandoquè perventuri sunt sanitatem. Verumtamen discant filii obsequi, timeant parentes irasci. Scriptum est : *Benedictio patris firmat domum filiorum; maledictio matris eradicat fundamenta* [2]. Modò isti per terras in fundamentis patriæ suæ non sunt : præbent utiquè spectaculum, proponunt suum supplicium : præbent oculis miseriam suam, terrent superbiam alienam. Discite, filii, quod dicit Scriptura, reddere honorem parentibus debitum. Sed et vos parentes, quandò offendimini, parentes vos esse recordamini. Oravit mater contrà filios, exaudita est; quia Deus verè justus est, quia verè injuriam passa fuerat. Unus ipsorum et verba contumeliosa et manus injecerat; et cæ-

[1] S. August. Serm. CCCXXII. — [2] Eccli. III, 11.

teri matris injuriam patienter tulêrunt, nec unum pro eâ verbum contrà fratrem respondêrunt. Justus Deus, qui audivit precantem, audivit dolentem. Sed quid illa misera? Nonnè undè citiùs exaudita, indè plùs punita? Discite hoc petere à Deo, ubi non timeatis exaudiri [1]. »

Quos timoris sensus illa tanti episcopi verba post tantum ob oculos patratum miraculum omnibus animis inferebant? Sed qui lætitiæ sensus, cùm dicente adhùc Augustino, populus de Memoriâ sancti Stephani clamare cœpit : « Deo gratias, Christo laudes. » In quo continuo clamore puella, quæ curata est, ad absidam perducta est. Quâ visâ, populus cum gaudio et fletu, nullis interpositis sermonibus, sed solo strepitu interposito, aliquandiù clamorem protraxit; et silentio facto, Augustinus episcopus dixit : « Scriptum est in Psalmo : *Dixi, proloquar adversùm me delictum meum Domino Deo meo, et tu dimisisti impietatem cordis mei* [2]. Dixi, *Proloquar;* nondùm prolocutus sum : dixi, *Proloquar, et tu dimisisti.* Commendavi istam miseram, imò ex miserâ, commendavi eam vestris orationibus. Disposuimus orare, et exauditi sumus. Sit gaudium nostrum actio gratiarum. Citiùs exaudita est mater Ecclesia, quàm in perniciem maledicta mater illa [3]. »

Undè simul deducendum est, non solùm eorum qui sanati fuerant, libellos recitari solitos, sed et ipsos in conspectum produci, palàmque in oculis omnium collocari, ut miraculorum memoria in omnium animis fixa perpetuò maneret. Hinc idem Augustinus eumdem Paulum per orationes sancti Stephani sanatum manu designans : « De miraculis Dei, inquit, per orationes beatissimi martyris Stephani libellos solemus audire. Libellus hujus aspectus

[1] S. August. Serm. CCCXXIII, n. 1. — [2] Psal. XXXI, 5. — [3] S. August. Serm. CCCXXIII, n. 4.

est; pro scripturâ notitia, pro chartâ facies demonstratur. Qui nostis quid in illo dolentes videre solebatis, in præsenti gaudentes legite quod videtis, ut Dominus Deus noster abundantiùs honoretur, et quod in libello conscriptum est, in vestram memoriam conscribatur [1]. »

Idem etiam ab Evodio, Uzalensi episcopo, factitatum videmus, cùm testentur libri de miraculis sancti Stephani, « Post recitationem divinorum operum atque gestorum, ipsarum etiam personarum, in quibus illa mirabilia facta, quæcumque in præsenti reperiri potuêrunt, demonstrationem perspicuam, et professionem propriam, non solùm scriptis testimonium perhibere, verùm etiam oculis aspectibusque fidem veritatis ingerere, ut, dùm ipsæ virtutes Dei auribus primitùs per lectionem intimarentur, etiam visibus oculatâ fide præsentarentur [2]. »

4°. Quòd autem beati Doctores non solùm Veteris vel Novi Testamenti factis, non solùm præclarè gestis sanctorum, vel patratis per eorum orationes miraculis sua scripta exornare, sed etiam accommodatis paganorum exemplis, detractisque ut ità dicam inimicorum spoliis, ditare conati fuerint, maximè patet ex illâ quam Paulino scripsit Hieronymus epistolâ. Volens enim illum ad Scripturarum studium impellere, quid pagani comparandæ philosophiæ causâ agere non dubitaverint, ità oratorio modo recenset :

« Legimus in veteribus historiis quosdam lustrâsse provincias, novos adiisse populos, maria transisse, ut eos quos ex libris noverant, coràm quoquè viderint. Sic Pythagoras memphiticos vates, sic Plato Ægyptum et Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondàm magna Græcia dicebatur, laboriosissimè peragravit : ut qui Athenis magister erat et potens, cujusque doctrinam acade-

[1] S. August. Serm. CCXX. — [2] Auct. Miracul. S. Steph. apud August. lib. II.

miæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena verecundè discere, quàm sua impudenter ingerere. Deniquè dùm litteras quasi toto fugientes orbe persequitur, captus à piratis et venumdatus, etiam tyranno crudelissimo paruit, captivus, vinctus et servus; tamen, quia philosophus, major emente se fecit. Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem de ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus; et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit... Appollonius intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit, et ad extremum, latissimo Phison amne transmisso, pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno sedentem aureo, et de Tantali fonte potantem inter paucos discipulos, de naturâ, de motibus siderum, ac dierum cursu audiret docentem [1]. » Undè concludit turpe futurum christiano, si ad exhaurienda sacrarum Scripturarum fluenta illos non expediat conatus, quos ad ebibendas profanæ philosophiæ aquas tot tantique viri exeruêrunt.

Sic et sanctus Gregorius Nazianzenus contrà Julianum Apostatam agens, antiquitatis ingerit exempla :

« Quonam modo ne hæc quidem christianorum exempla pertimescis, homo audacissime, atque, ut si quis alius, ad mortem præceps? Quonam modo non veneraris? Hæc jam et sapientis sanè illius ac legislatoris Solonis inexplebili cupiditate, quam Crœsus auro lydio coarguit, multò præstantiora sunt, et Socratico pulchri amore; vereor enim puerorum amorem dicere, etiamsi honestiore vocabulo callidè obtegatur; et siculâ Platonis liguritione, ob quam etiam ipse venditur, ac ne ab ullo quidem discipulorum, imò nec ab aliquo Græcorum redimitur; et Xenocratis voracitate; et Dio-

[1] S. Hieron. Epist. ad Paulin.

genis illius, dolium incolentis, dicacitate, per quam tragicis tyrannis hospites, hoc est, placentis viles panes, loco cedere jubet; et Epicuri philosophiâ, quæ nullum voluptate superius bonum constituit. Magnus apud vos est Crates : verè enim philosophicum est, pecudibus depascenda prædia sua reliquisse, nostrisque philosophis consimile. At publico præconio libertatem ostentat, perindè ac quispiam, non sapientiæ magis quàm gloriæ studiosus. Magnus ille (Zeno), qui, cùm navis tempestate jactaretur, atque omnia in mare projicerentur, gratias Fortunæ agebat, tanquàm ad philosophici pallii angustias eum redigenti. Magnus Antisthenes, quòd à petulanti quodam atque audaci homine toto ore contusus, in fronte duntaxat, quasi in statuâ artifex, percussoris nomen inscripsit; fortassè ut acerbiùs accusaret. Laudas etiam quemdam eorum qui non longè antè nos fuêrunt, quòd toto die stans soli preces adhibuerit : fortassè id tempus captârat, quo propinquior terris esse solet, ut orationem contraheret, eamque simul cum ipsius occasu finiret. Quin illum etiam laudibus afficis, qui Potidææ hyberno tempore, addito ad studium labore, pernox in speculatione quâdam stetit, ità ut ne vim quidem frigoris propter mentis abstractionem sentiret. Laudas insuper in Homero discendi amorem circà arcadicam quæstionem, et in Aristotele philosophiam et diutinam moram ad reciprocos Euripi æstus, quibus uterque occubuit. Effers etiam Cleanthis puteum, et Anaxagoræ cingulum, et Heracliti mœstitiam [1]. »

II. Narratio allegorica juxtà sanctum Augustinum ea est quæ « aliud videtur sonare in verbis, et aliud in intellectu significare. Quomodò enim pergit sanctus, Doctor, dicitur agnus Christus : numquid pecus? leo Christus;

[1] S. Gregor. Theol. Orat. IV, n. 72.

numquid bestia? petra Christus : numquid duritia? mons Christus; numquid tumor terræ? et sic multa aliud videntur sonare, aliud significare, et vocatur allegoria [1]. » Harum autem allegoriarum utilitatem sic prædicat idem Sanctus : « Ad ipsum ignem amoris nutriendum et flandum quodammodò, quo tanquàm pondere sursùm vel introrsùm referamur ad requiem, ista omnia pertinent quæ nobis figuratè insinuantur : plùs enim movent et accendunt amorem quàm si nuda sinè ullis sacramentorum similitudinibus ponerentur. Cujus rei causam difficile est dicere. Sed tamen ità se habet, ut aliquid per allegoricam significationem intimatum plùs moveat, plùs delectet, plùs honoretur, quàm si verbis propriis diceretur apertissimè. Credo quòd ipse animæ motus, quandiù rebus adhùc terrenis implicatur, pigriùs inflammatur : si verò feratur ad similitudines corporales, et indè referatur ad spiritalia, quæ illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, et tanquàm in faculâ ignis agitatus accenditur, et ardentiore dilectione rapitur ad quietem [2]. » Quas ut magis etiam exemplo Christi Domini ejusque Apostolorum commendet, ità alibi prosequitur : « Ipse Liberator noster in Evangelio allegoriâ utitur ex Vetere Testamento : *Generatio,* inquit, *hæc signum quærit, et non dabitur ei signum nisi signum Jonæ prophetæ; sicut enim Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus fuit, sic et Filius hominis tribus diebus et tribus noctibus erit in corde terræ* [3]. Nàm quid ego de apostolo Paulo dicam? qui etiam ipsam Exodi historiam futuræ christianæ plebis allegoriam fuisse significat ad Corinthios Epistolâ primâ : *Nolo autem vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuérunt, et omnes*

[1] S. August in Psal. CIII, Serm. I, n. 13. — [2] Id. ad Inquisit. Januar. lib. II, sivè Epist. LV, n. 21. — [3] Matth. XII, 39, 40.

per mare transiérunt, et omnes in Moysen baptizati sunt, in nube et in mari : et omnes eumdem cibum spiritalem manducavérunt, et omnes eumdem potum spiritalem bibérunt. Bibebant enim de spiritali consequente eos petrâ ; petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum complacuit Deo : prostrati enim sunt in deserto. Hæc autem figuræ nostræ fuérunt, ut non simus cupidi malorum, sicut et illi concupiérunt... Omnia autem ista in figurâ contingebant illis: Scripta autem sunt ad correptionem nostram, in quas fines sæculorum devenérunt [1]. Est item apud Apostolum allegoria quædam, sanè ad causam maximè pertinens... Idem enim Paulus dicit ad Galatas : *Scriptum est enim quòd Abraham duos filios habuit, unum de ancillâ, et unum de liberâ : sed is quidem qui de ancillâ, secundùm carnem natus est ; qui autem de liberâ, secundum promissionem : quæ sunt per allegoriam dicta. Nam hæc sunt duo Testamenta ; unum quidem, de monte Sinâ, in servitutem generans, quod est Agar. Sina enim mons est in Arabiâ, qui confinis ei, quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. Quæ autem sursùm est Jerusalem, libera est ; quæ est mater omnium nostrûm* [2]. »

Quibus Christi sanctorumque Apostolorum exemplis inhærentes, obvio genuinoque sensu non abdicato, allegoriis sermones exornàre studuêrunt beati Doctores. Quædam exempla referre operæ pretium est.

Primum ex sancto Athanasio desumetur, qui, cùm ab arianis furoribus legentium animos abalienare vellet, sic contrà impios illos Ecclesiæ hostes, tàm crudeliter occisæ Levitæ uxoris horrendum facinus adhibet :

[1] 1 Cor. x, 1, et seqq. — [2] Galat. iv, 22, et seqq. S. August. lib. de Utilit. credendi, n. 8.

« Usquè adeò atrocia et intoleranda sunt quæ sustinuimus mala, ut pro rei gravitate enarrari nequeant. Ut autem rerum in nos gestarum indignitas citiùs dignoscatur, operæ pretiumduxi historiam ex Scripturis positam recitare. Vir olim levita, commissi in uxorem sceleris injuriam passus, execrandi facinoris atrocitatem secum perpendens, (Hebræa quippè et ex tribu Juda mulier erat,) tantique flagitii gravitate perculsus, divinâ Judicum Scripturâ narrante [1], uxorem in frusta concisam misit ad omnes tribus Israël, ut non sibi peculiarem, sed omnibus communem injuriam reputarent; et ut si vicem suam dolerent, se ulciscerentur; sin negligerent, quasi ipsi tanti criminis auctores essent, pudore suffunderentur. Nuntii igitur rem gestam enarrârunt. Illi verò iis auditis atque perspectis, dicebant nunquàm talia facta esse, ex quâ die filii Israël ex Ægypto ascenderant. Universæ igitur tribus Israël concitatæ sunt : omnesque quasi singulis illata fuisset injuria, adversùs tanti flagitii auctores in unum coïêrunt. Ac demùm scelesti illi bello devicti, et ab omnibus execrationi sunt habiti : etenim qui convenerant non cognationem, sed facinoris indignitatem præ oculis habuêre. Scitis historiam, fratres, et quæ eâ de re in Scripturis accuratè recensentur : pluribus enim eam prosequi non juvat, apud eos maximè quibus res probè nota est : cùm necessitate compellar ea quæ nunc gesta sunt, illis multò graviora, vestræ pietati significare. Ideò enim hujus historiæ memini, ut ea quæ tunc gesta sunt præsentibus comparantes, et scientes hæc illis crudeliora esse, magis indignemini, quàm illi tunc adversùs scelestos illos indignati sunt. Etenim adversùm nos perpetrata facinora, ipsam persecutionum acerbitatem longè excedunt; ità ut exigua videatur Levitæ calamitas iis collata quæ nunc ad-

[1] Judic. XIX.

versùs Ecclesiam commissa sunt : vel potiùs ejusmodi illa sunt, ut nunquàm aliquid simile auditum, nec quisquam istiusmodi mala expertus sit. Tunc enim mulier una contumeliis affecta, unicus item Levita læsus; nunc autem universæ Ecclesiæ injuria illata est, et sacerdotalis ordo contumeliis est affectus : quodque gravius videatur, pietas ab impietate persecutionem patitur. Et tunc quidem singulæ tribus singula unius mulieris frusta cernentes exhorruêre : nunc autem universæ Ecclesiæ membra discerpta conspiciuntur. Legati certè tùm ad vos, tùm ad alios missi, quibus contumeliis injuriisque sint affecti, renuntiant. Concitemini igitur et vos, obsecro, quasi non nos tantùm, sed et vos injuriâ affecti essetis : et quisque, quasi ipse læsus, opem ferat, ne brevi ecclesiastici canones et Ecclesiæ fides pessum eant. Utrumquè enim periclitatur, nisi vestrâ operâ Deus facinora illa citò corrigat, et Ecclesia vindicetur. Non enim nunc primùm canones et statuta Ecclesiæ data sunt, sed à Patribus nobis rectè firmiterque sunt tradita : neque nunc fides incœpit, sed à Domino per discipulos ad nos usquè pervenit. Ne igitur ea quæ ab antiquis hactenùs servata sunt in ecclesiis, istis jàm diebus pessum abeant, neve de iis quæ nobis concredita sunt rationes repetantur : incitemini, fratres, utpotè dispensatores mysteriorum Dei, dùm illa ab iis diripi cernitis. Plura à tabellariis ediscetis, festinavi tamen paucis ea significare, quò planè vobis constaret nunquàm talia adversùs Ecclesiam perpetrata esse, ex quâ die Salvator in cœlum assumptus discipulis præcepit, dicens : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti* [1]. »

Ità pariter celeberrimum Salomonis judicii factum, à pluribus sanctis Patribus allegoricè interpretatum legimus.

[1] Matth. xxviii, 19. S. Athanas. Epist. ad Orthodox. n. 1.

Sanctus antè omnes Hieronymus Synagogæ et Ecclesiæ, quod de duabus illis mulieribus refertur, non infeliciter his verbis accommodat :

« Interpretatio judicii Salomonis super jurgio duárum mulierum meretricum [1], quàntùm ad simplicem historiam pertinet, perspicua est : quòd puer annorum duodecim contrà ætatis suæ mensuram de intimo humanæ naturæ judicârit affectu. Undè et admiratus est et pertimuit illum omnis Israël, quòd scilicèt eum manifesta non fugerent, qui tàm prudenter abscondita deprehendisset. Quantùm autem ad typicos pertinet intellectus, dicente Apostolo : *Hæc omnia in figurâ contingebant illis, scripta sunt autem de nobis, in quos fines sæculorum decurrérunt* [2], quidam Græcorum autumant super Synagogâ et Ecclesiâ sentiendum, et ad illud tempus cuncta referenda, quandò post crucem et resurrectionem, tàm in Israël, quàm in gentium populo verus Salomon, id est Pacificus, regnare cœperit. Quòd autem adulteræ et meretrices, Synagoga et Ecclesia dicantur in Scripturis, nulla dubitatio est; et hoc primâ fronte videtur esse blasphemum.

» Cæterùm si recurramus ad Prophetas, Osee, videlicèt, qui accepit uxorem fornicariam, et generat filios fornicationis, et deindè adulteram [3]; et ad Ezechiel qui Jerusalem quasi meretricem arguit [4], quòd secuta sit amatores suos, et divaricaverit omni transeunti pedes, lupanarque in loco celebri extruxerit; animadvertemus Christum idcircò venisse ut meretrices donaret matrimonio, et de duobus gregibus unum ovile faceret, medioque pariete destructo, in easdem caulas oves priùs morbidas congregaret. Hæ sunt duæ virgæ, quæ junguntur in Ezechiel, et de quibus per Zachariam Dominus refert : *Et*

[1] 3. Reg. III. — [2] 1 Cor. X, 11. — [3] Osee. I. — [4] Ezechiel. XVI.

assumpsi mihi duas virgas; unam vocavi decorem, et alteram vocavi funiculum: et pavi gregem [1]. Mulier quoquè illa meretrix in Evangelio [2], quæ pedes Jesu lacrymis lavat, crine detergit, et cui peccata omnia dimittuntur, manifestè pingit Ecclesiam de Gentibus congregatam. Hæc idcircò in primâ fronte replicavi, ne cui videatur incongruum, si meretrices dicantur Synagoga et Ecclesia, quarum una Salomonis judicio, filii possessione donata est. Prudens quærat auditor, quomodò meretrix sit Ecclesia, quæ non habet maculam, neque rugam? Non dicimus Ecclesiam permansisse meretricem, sed fuisse. Nàm et in Simonis Leprosi domo Salvator scribitur inisse convivium [3], utiquè non quia leprosus erat eo tempore quo habebat hospitem Salvatorem, sed quia leprosus antè fuerat. Matthæus quoquè in catalogo Apostolorum, publicanus dicitur [4], non quòd permanserit publicanus post apostolicam dignitatem, sed quia priùs fuerat publicanus: *Ut ubi superabundavit peccatum, superabundaret gratia* [5].

» Simulque considera quid dicat Ecclesia contrà Synagogam calumniatricem: *Ego et mulier hæc habitabamus in domo unâ* [6]. Post resurrectionem enim Domini Salvatoris, una de utroque populo Ecclesia congregata est; et quàm eleganter: *Peperi,* inquit, *apud eam in cubiculo.* Ecclesia enim de Gentibus, quæ non habebat priùs Legem et Prophetas, peperit in domo Synagogæ: nec egressa est de cubiculo, sed ingressa. Undè dicit in Cantico Canticorum: *Introduxit me Rex in cubiculum suum* [7]. Et iterùm: *Et quidem non spernam te. Assumens introducam te in domum matris meæ, et in cubiculum ejus quæ concepit me* [8]. *Tertiâ autem die: Postquàm ego peperi, peperit et hæc.* Si consideres Pilatum la-

[1] Zach. xi, 7. — [2] Luc. vii. — [3] Matth. xxvi. — [4] Luc. xv. — [5] 1 Tim. i, 14. — [6] 3 Reg. iii, 17. — [7] Cant. i, 3. — [8] Ibid. 4.

vantem manus atque dicentem : *Mundus ego sum à sanguine justi hujus* [1] : si Centurionem antè patibulum confitentem : *Verè hic erat Filius Dei* [2] : si eos qui antè passionem, per Philippum, Dominum videre desiderant [3] : haud ambiges primam peperisse Ecclesiam, et posteà natum populum Judæorum, pro quo Dominus precabatur : *Pater, ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt* [4]; unâque die credidêrunt tria millia, et aliâ die quinque millia [5]. *Et eramus simul; (multitudinis enim credentium erat cor unum, et anima una* [6],) *nullusque alius in domo nobiscum exceptis nobis duabus* [7], non blasphemantium Judæorum, non Gentilium idolis servientium. *Mortuus est autem filius mulieris hujus nocte* [8]. Dùm enim Legis sequitur observantiam, et gratiæ Evangelii jugum Mosaicæ doctrinæ copulat, tenebrarum errore cooperta est, oppressitque eum mater sua dormiens, quæ non poterat dicere : *Ego dormio, et cor meum vigilat* [9]. Mediâ nocte consurgens, tulit filium de latere Ecclesiæ dormientis, et in suo collocavit sinu; relege totam ad Galatas Apostoli Epistolam, et animadvertes quomodò filios Ecclesiæ, suos facere Synagoga festinet, et dicat Apostolus : *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec Christus formetur in vobis* [10]. Vivum tulit, non ut possideret, sed ut occideret. Non enim amore fecit hoc filii, sed æmulæ odio, et suum mortuum per Legis cæremonias, in sinu Ecclesiæ supposuit [11]. »

Hoc idem factum Arianæ hæresi coaptatum in Sermone quodam, sancto Augustino non legitimè ascripto, sed tamen lectu non indigno reperies :

« De duabus meretricibus, inquit, quæ ad judicium Sa-

[1] Matth. XXVII, 24. — [2] Marc. XV, 39. — [3] Joan. XVI. — [4] Luc. XXIII, 34. — [5] Act. II, et IV. — [6] Id. IV, 32. — [7] 3 Reg. III, 18. — [8] Ibid. 19. — [9] Cant. V, 2. — [10] Galat. IV, 19. — [11] S. Hieron. Epist. ad Rufin.

lomonis venêrunt, quid sancti Patres nostri exposuêrunt, charitatis vestræ auribus cupimus intimare. Illa enim quæ clamabat, ut puer integer servaretur, Ecclesiæ catholicæ typum gerebat : illa alia crudelis et impia, quæ clamabat ut puer divideretur, Arianam hæresim designabat. Catholica enim, quasi mater piissima, omnibus hæreticis clamabat : Nolite Christum minorem facere Patre, nolite unitatem dividere, nolite unum Deum diversis gradibus dividendo, veluti idola Gentium in vestris cordibus fabricare ; totum nobiscum possidete : si vultis habere pacem, nolite unitatem scindere... Sed impia et crudelis hæresis clamat : *Non, sed dividatur*... O Ariana hæresis, crudelis et impia, erubesce. Judicante Salomone, meretrix ne unum vivum, ne undecumquè conceptum etiam natum proderet, non dimisit dividi filium suum ; et tu, dividis Deum tuum ! Illa etsi meretrix, tamen pia, quia mater ; tu hæresis, impia, quia non mater... Viscera tua duruêrunt ; illius tremuêrunt [1]. »

Inter autem genuinos beati Doctoris sermones unus de Judicio Salomonis deprehenditur, ubi post expositum duplicem illum, quem jàm exhibuimus sensum, ità rursùs prosequitur :

« Item video significare istas duas mulieres in unâ domo, duo genera hominum in unâ Ecclesiâ : unum eorum in quibus vera charitas regnat, alterum eorum in quibus simulatio dominatur : ut ista duo omninò tanquàm duas mulieres intueamur, dilectionem et simulationem. Dilectionem quippè simulatio fallaciter imitatur... Quamvis enim habitent in unâ domo, quandiù reticulum illud evangelicum in mari est, simulque bonos et malos pisces, donec ad littus perducatur, includit, tamen sua opera singulæ faciunt. Meretrices autem fuêrunt ambæ, quia omnes ex cupiditate sæculi convertuntur ad gra-

[1] Apud August. Serm. XXXIX, n. 1 et 3.

tiam Dei, nec de prioribus justitiæ meritis verè potest quisquam gloriari... A quibus cœpit Ecclesia, boni erant, et sinè simulatione diligebant; posteà simulatio cœpit operari in Ecclesiâ : et ideò dilectio prior peperit. Triduo autem major est fructus dilectionis, ut jàm possit agnosci continentia, et justitia, et expectatio futurorum. Simulatio verò etsi pepererit, id est, etiamsi ad exiguum tempus peccatorum remissione lætata fuerit, tanquàm somno sæcularis cupiditatis oppressa, cùm de spe cœlestium dejecta præmiorum in terrenam requiem gravato corde reliditur, quasi dormiens effocat indulgentiam, quam credendo meruerat. Tales autem homines malunt justitiæ nomine, quàm veritate gaudere; bonumque opus alienum per obscuras fallacias, quasi per noctem, vivum filium mentiendo ad se transferre conantur. Nec solùm aliorum bona opera sibi usurpant, sed aliis etiam objiciunt scelera sua, quasi mortuum filium supponentes... Quandò autem simulatio ità regnabit, nisi cùm refrigescet charitas multorum, id est, operis spiritalis, tanquàm vivi pueri, mater obdormiet?... Sic dormivit hæc mater, ut non occideret filium, sed tamen fraudibus simulationis dederit locum. Sed expergefacta,.. pacifici Judicis implorat auxilium. Nàm Salomon pacificus interpretatur; quem videmus duas protulisse sententias, primam tanquàm ignorantis, ultimam verò cum manifestâ cognitione judicantis. Certamen pietatis prima proponit; dat præmium secunda victori : in primâ probatur mater; in ultimâ lætatur : in primâ *flens mittit semen suum;* in secundâ *cum exultatione reportat manipulos suos* [1]. Quod pertinet ad duo tempora Ecclesiæ, quæ Dominus Christus judex pacificus moderatur; unum quod nunc est, alterum, quod futurum est : in isto probamur, in illo coronamur [2]. »

[1] Psal. CXXV, 6. — [2] S. August. Serm. X, n. 5 et 7.

Apud recentiorem verò Scriptorem gratissima legitur Allegoria, cùm de Purificatione beatæ Mariæ disserens, sic columbæ evolvit proprietates :

« Columba, Fratres, simplex est animal, felle caret, rostro non lædit, in cavernis petrarum nidificat, alienos pullos nutrit, juxtà fluenta manet, ut visâ umbrâ accipitris fugiat, meliora grana eligit, gemitum pro cantu reddit, gregatim volat, alis se defendit, visum recuperat. Et nos, fratres, cùm antè altare steterimus, ut Dei Filium Deo offeramus, cum eo et pro eo *par turturum*, castitatem corporis et animæ offeramus ; et *duos pullos columbarum* [1], pro cantu gementes, compunctionem geminam, pro desiderio patriæ cœlestis, et de consideratione nostræ miseriæ habentes. Columba felle caret : et nos irâ careamus, quæ peccare nos facit. Rostro non lædamus, sed percussi in unam maxillam, aliam præbeamus. In cavernis petrarum nidificemus : in fide plagarum Christi refugium habeamus. Alienos pullos nutriamus ; de filiis diaboli facientes verbo prædicationis filios Dei. Juxtà flumina maneamus : id est, juxtà hunc mortalitatis fluxum sedentes, umbram accipitris, hoc est, peccata quæ sunt umbra diaboli, malorum ruinas considerantes, ab ejus ungulis fugiamus. Meliora grana eligamus : id est, meliores sententias in Scripturis sanctis. Gregatim volemus : unum consensum in bono in congregatione sub pastore habentes. Alis Novi et Veteris Testamenti contrà inimicos Dei nos defendamus : vel duobus præceptis charitatis, Dei videlicèt amore et proximi. Visum recuperemus, de bono actionis ad bonum semper intendentes contemplationis [2]. »

Ex dictis sufficienter patet, quanta christianis oratio-

[1] Luc. II, 24. — [2] Guerric. abb. in Purif. Serm. V, n. 15.

nibus ex Allegoriis gratia possit emergere; hæ tantùm serventur regulæ à Veteribus sapienter traditæ: 1°. ut faciles, non coactæ, verisimiles, non alienæ videantur; in hoc enim peccavit Origenes, « qui, ut ait S. Hieronymus, liberis campis Allegoriæ vagatur, et interpretatis nominibus singulorum, ingenium suum facit Ecclesiæ sacramenta; » quo pariter vitio, ut suo loco notatum est, laboravêrunt plurimi ex sanctis Patribus, quorum mendas non minùs fugere debemus, quàm dotes imitari; 2°. ut ad explicanda tantùm mysteria, elucidandasque morum regulas, non autem ad probandas catholicas veritates adhibeantur, nisi vel ipsâ Scripturâ sacrâ, vel constanti traditione inconcussa stabiliatur interpretatio. Infirma enim per se ad demonstrandam veritatem Allegoria, argumenti vim desumere non potest, nisi ab extraneâ auctoritate.

III. Sequitur Narratio, quæ dicitur parabolica. « Parabola autem dicitur, quandò datur similitudo de aliquo cujus supposititia texitur historia[1]. » Quarum quidem Parabolarum usum à christiano Oratore legitimè et utiliter adhiberi posse constat, tùm Veteris Testamenti exemplis, tùm præsertim Christi ipsius consuetudine, qui populo plerumquè in Parabolis loquebatur. Nec immeritò, cùm ratiocinandi parùm capax multitudo, Parabolâ vehementiùs quàm argumento moveatur. Hìnc et ipsi Pagani illas quandoquè adhibuêrunt ad excitandos plebis animos, ut patet ex notissimâ illâ membrorum et stomachi Similitudine. Hoc unum mihi mirandum videtur, quòd via illa à Prophetis Christoque ipso aperta, à sequentium ætatum scriptoribus non magis trita fuerit. Pauca enim inter Doctores earum exempla reperiuntur, ideò fortè, quia et cùm adversùs hæreticos disputarent, non Parabolis, sed argumentis res

[1] S. August. Enarrat in Psal. LXVIII, Serm. I, n. 15.

agenda erat, et cùm ad fideles loquerentur, Scripturam sacram simpliciter explanantibus, relatæ apud Evangelistas Parabolæ sufficere videbantur.

Non desunt tamen sivè apud vetustissimos, sivè apud recentiores Doctores, quædam hujus scribendi generis exempla. Quis est enim qui nesciat quot quantasque apud Hermam in Pastore legantur Similitudines ?

« Vitis, inquit, fructifera est, ulmus autem lignum sinè fructu est. Sed vitis hæc, nisi applicita fuerit ulmo, et super illam requieverit, non potest multum fructum facere : jacens enim in terrâ malos fructus dat... Sic dives habet opes, à Domino verò pauper est. Cùm igitur dives præstat pauperi, quæ illi opus sunt, pauper orat Dominum pro divite, et Deus præstat diviti omnia bona : quia pauper dives est in oratione, et virtutem magnam habet apud Dominum oratio ejus... Sunt ergò ambo consortes bonorum operum suorum [1]. »

« Sicut in hieme omnes arbores abjectis foliis aridis similes sunt, nec potest cognosci quæ sunt aridæ, aut quæ virides : sic et in hoc sæculo nec justi nec injusti cognoscuntur, sed similes sunt omnes. Sicut in æstate fructus arboris cujuscumque declaratur, et patet : sic et justorum factum declarabitur, et patebit, et omnes hilares et gaudentes in illo sæculo restituentur [2]. »

Rursùs Pastor in Similitudine nonâ mysteria Ecclesiæ astruit. Apparent illi mediâ in planitie duodecim montes varii coloris, et in medio eorum petra illis altior exurgens, quæ portam habebat splendidam ; et statim Angelum interrogat : « Primum omnium, Domine, hoc mihi demonstra : Petra hæc et porta quid sunt ? — Audi, inquit : petra hæc et porta Filius Dei est. — Quonam pacto, inquam, Domine, petra vetus est, porta au-

[1] Herm. Past. lib. III, Simil. 2. — [2] Id. ibid. Simil. 3.

tem nova? — Audi, inquit, insipiens, et intellige. Filius quidem Dei omni creaturâ antiquior est, ità ut in consilio Patri suo affuerit ad condendam creaturam; porta autem propterea nova est, quia in consummatione, in novissimis diebus apparebit, ut qui assecuturi sunt salutem, per eam intrent in regnum Dei [1]. »

Et paulò antè sic legem Dei figurat : « Ostendit mihi (Angelus) salicem tegentem campos ac montes, sub cujus umbram venêrunt omnes qui vocati erant in nomine Domini. Et juxtà salicem illam stabat nuntius Domini valdè præclarus et sublimis; et secabat cum falce magnâ, ab illâ salice ramos; et populo illi qui erat sub umbrâ salicis illius, exiguas et quasi cubitales virgas porrigebat. Postquàm autem accepissent universi, deposuit falcem; et arbor illa integra permansit [2]. »

Hanc iterùm circà jejunium Parabolam proponit :

« Quidam cùm haberet fundum, servosque multos, in quâdem parte fundi sui posuit vineam successoribus. Deindè peregrè profectus, elegit servum quem habebat fidelissimum, ac sibi probatum, eique assignavit vineam, præcipiens ut vitibus jungeret palos. Quod si fecisset, et mandatum suum consummâsset, libertatem eidem se daturam promisit... Postquàm autem servus fecit quæcumquè præceperat Dominus,.. cœpit secum ità cogitare : Fodiam nunc vineam hanc, et erit formosior cùm fuerit fossa; et extractis herbis majorem dabit fructum... Post aliquantùm verò temporis venit Dominus, et cùm vidisset... lætas esse vites, ex facto hoc servi sui gaudium cepit. Adhibito atque filio, quem charum et hæredem habebat, et amicis in consilio... ait illis : Ego quidem huic servo libertatem promisi, si custodisset mandatum meum; et custodivit illud, et prætereà opus bonum adjecit in vi-

[1] Herm. Past. lib. III, Simil. 9. — [2] Id. Ibid.

neam. Pro hoc igitur opere, volo eum filio meo facere cohæredem... Igitur si custodieris mandata Domini, et adjeceris etiam stationes has (jejunii), majorem dignitatem conquires, et honoratior apud Dominum eris... Primum omnium, cave ab omni probro, et turpi verbo, et ab omni noxiâ cupiditate, et purifica sensum tuum ab omni vanitate sæculi hujus... Peractis quæ suprà scripta sunt, illo die quo jejunabis, nihil omninò gustabis, nisi panem et aquam; et computatâ quantitate cibi, quam cæteris diebus comesturus eras, sumptum diei illius repones, et dabis viduæ, pupillo aut inopi : et sic consummabis humilitatem animæ tuæ... Et erit hostia tua accepta Domino, et scribetur hoc jejunium tuum [1]. »

Quod primis temporibus agebat Hermas, hoc postremis quodam modo imitatus est sanctus Bernardus. Ità enim de passione Christi disserens, non injucundâ utitur Similitudine : « Ludebam ego foris in plateâ, et in secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc unigenitus (regis); exiit posito diademate, sacco vestitus; aspersum cinere caput, nudi pedes, flens et ejulans quod morte damnatus esset servulus ejus. Intueor illum subitò procedentem; stupeo novitatem; causam percontor et audio. Quid facturus sum? Adhùc-ne ludam et deludam lacrymas ejus? Planè si insanus sum et mentis inops, non sequar eum, nec simul cùm lugenti lugebo. Ecce undè pudor [2]. »

Notandum est autem in *his tribus* præcipuum jacere Parabolæ pretium, ut sit, 1° *jucunda*, quâ simul auditâ omnium evigilent animi; 2° *obvia*, quæ vel ex ipso auditorum statu, vel ex rebus vulgò occurrentibus accipiatur; sic maritimo populo ex æquoreis, agrorum incolis ex cam-

[1] Herm. Past. lib. III, Simil. 9. — [2] S. Bernard. Serm. III, in Nat. Dom. n. 4.

pestribus, urbanæ plebi è civilibus desumptæ proponentur Similitudines; 3° deniquè *intelligibilis*, ac quodam modo *demonstrativa*, quæ omnium etiam rusticorum mentes in veritatis cognitionem facilè inducat.

Hæc igitur curet christianus Orator, ut sivè sacris, sivè profanis, sivè allegoricis, sivè parabolicis narrationibus audientium aures demulceat, mentes relaxet, illuminetque animos, non placendi, quod vanum, sed proficiendi, quod sanctum est, stùdio.

§ IV. *De Argumentatione.*

Duo ad Argumentationem spectare videntur, nempè *convictio* et *persuasio;* convictione impellitur ingenium; persuasione verò trahitur animus. De duobus nunc separatim disserendum, adjectâ dehìnc illarum figurarum enumeratione, quæ ad utrumque possunt efficaciùs conducere.

I. *Convictio* dicitur ratiociniorum series, quâ veritas sic animo ostenditur, ut jàm ultrà reluctare non possit. Ratiocinia autem deduxêre sancti Patres vel ex Scripturâ sacrâ, vel ex præcedentibus Doctoribus, vel ex auctoritate Conciliorum, vel ex ipso Rationis testimonio.

1° Quidem ex sanctâ Scripturâ, quam ità pervolventes memoriâ tenebant, ut illam in omni prorsùs quæstione adhiberent. Modò Scripturæ sacræ testimonia ex ordine referebant, modò unum particularem textum ità usurpabant, ut illum eviscerare quodam modo curarent. Prioris habetur exemplum in illo Cypriani loco, quo fideles ad martyrium exhortans idolorumque vanitatem explicare intendens, varios percurrit Veteris Novique Testamenti libros :

« Ostenditur in Psalmo : *Idola gentium argentum*

et aurum, opera manuum hominum [1]... Item in Sapientiâ Salomonis : *Omnia idola nationum æstimavérunt deos, quibus neque oculorum usus est, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti in manibus ad tractandum, sed et pedes eorum pigri ad ambulandum* [2]... Item in Exodo : *Non facies tibi idolum, nec cujusquam similitudinem* [3]... Scriptum est in Deuteronomio : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* [4]... Item in Apocalypsi : *Et vidi alium Angelum volantem in medio cœlo, habentem Evangelium æternum, ut annuntiâret super terram, et super omnes nationes, et tribus, et linguas et populos, dicentem: Metuite potiùs Dominum, et date illi claritatem, quoniam venit hora judicii ejus, et adorate eum, qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt* [5]. Sic et Dominus in Evangelio commemorationem facit primi et secundi Præcepti, dicens : *Audi, Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est ; et diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et de totâ animâ tuâ, et de totâ virtute tuâ ; hoc primum, et secundum simile est huic : Diliges proximum tuum tanquàm te. In his duobus Præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* [6]. Et iterùm : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* [7]. »

Ejusdem generis mirandam testimoniorum congeriem apud Augustinum reperies, cùm incredulos, qui illa tantùm quæ viderent, credere volebant allocutus, Ecclesiam profert dicentem :

« Me attendite, quam videtis, etiamsi videre nolitis.

[1] Psal. CXIII, 4. — [2] Sap. XV, 15. — [3] Exod. XX, 4. — [4] Deut. VI, 13. — [5] Apoc. XIV, 6. — [6] Matth. XXII, 39, et Marc. XII, 29-31. — [7] Joan. XVII, 3. S. Cypr. de Exhort. Martyr. cap. 1 et 2.

Qui enim temporibus illis in judæâ terrâ fideles fuêrunt, ex Virgine nativitatem mirabilem, ac passionem, resurrectionem, ascensionem Christi, omnia divina dicta ejus et facta præsentes præsentia didicêrunt. Hæc vos non vidistis, propterea credere recusatis. Ergò hæc aspicite, in hæc intendite, hæc quæ cernitis cogitate, quæ vobis nec præterita narrantur, nec futura prænuntiantur, sed præsentia demonstrantur. An vobis inane vel leve videtur, et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius Crucifixi universum genus currit humanum? Non vidistis quod prædictum et impletum est de humanâ Christi nativitate : *Ecce Virgo in utero accipiet et pariet filium* [1]; sed videtis quod prædictum et impletum est ad Abraham Dei verbum : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* [2]. Non vidistis quod de mirabilibus Christi prædictum est : *Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram* [3]; sed videtis quod prædictum est : *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodiè genui te; postula à me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* [4]. Non vidistis quod prædictum est et impletum de passione Christi : *Fodérunt manus meas et pedes meos, dinumeravérunt omnia ossa mea; ipsi verò consideravérunt et conspexérunt me; divisérunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam misérunt sortem* [5]; sed videtis quod in eodem Psalmo prædictum est, et nunc apparet impletum : *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium, quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium* [6]. Non vidistis quod de resur-

[1] Isaï. VII, 14. — [2] Genes. XXII, 18. — [3] Psal. XLV, 9. — [4] Id. II, 7 et 8. — [5] Id. XXI, 17 et seq. — [6] Ibid. 28, 29.

rectione Christi prædictum atque completum est, loquente Psalmo ex Personâ ejus; priùs de traditore et persecutoribus ejus : *Egrediebantur foràs et loquebantur simul in unum; adversùm me susurrabant omnes inimici mei, adversùm me cogitabant mala mihi, verbum iniquum disposuérunt adversùm me*[1]. Ubi, ut ostenderet nihil eos valuisse occidendo resurrecturum, subjecit atque ait : *Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?* Et paulò post, cùm de ipso suo traditore per eamdem Prophetiam prædixisset, quod in Evangelio quoquè scriptum est : *Qui edebat panes meos, ampliavit super me calcaneum*[2], hoc est, conculcavit me; continuò subdidit : *Tu autem, Domine, miserere meî, et resuscita me, et reddam illis*[3]. Impletum est hoc; dormivit Christus et evigilavit, hoc est, surrexit, qui per eamdem Prophetiam in alio Psalmo ait : *Ego dormivi et somnum cepi, et exurrexi, quoniam Dominus suscipiet me*[4]. Verùm hoc non vidistis, sed videtis ejus Ecclesiam de quâ similiter dictum et impletum est : *Domine Deus meus ad te gentes venient ab extremo terræ, et dicent: Verè mendacia coluérunt patres nostri simulacra, et non est in illis utilitas*[5]. Hoc certè, sivè velitis sivè nolitis, aspicitis; etiamsi adhùc aliquam putatis esse vel fuisse in simulacris utilitatem, certè tamen innumeros gentium populos relictis, vel abjectis, vel confractis hujusmodi vanitatibus, audistis dicere : *Verè mendacia coluérunt Patres nostri simulacra, et non est in illis utilitas; si faciet homo deos, et ecce ipsi non sunt dii...* Non vidistis quod prædictum et impletum est de ascensione Christi : *Exaltare super cœlos Deus;* sed

[1] Psal. XL, 7 et seqq. — [2] Ibid. 10; et Joan. XIII, 18. — [3] Psal. XL, 11. — [4] Id. III, 6. — [5] Jerem. XVI, 19.

videtis quod continuò sequitur : *Et super omnem terram gloria tua* [1]. »

Liceat etiamnùm et alterum referre sancti Augustini fragmentum, eò curiosiùs legendum, quod recentiùs editum, multis usquè adhùc ignoratum delituit, ubi sancti Pauli encomium celebrans, omnes omninò ejus laudes ex sacris Oraculis depromptas ità congerit.

« Si penitùs effugere maculam, Fratres dilectissimi, voluerimus, Petri fortassè vel Pauli sequenda sit doctrina, qui cùm verbi, et sapientiæ, et gubernationis gratiam percipere à Christo meruissent, omnibus tamen *omnia facti sunt, ut omnes lucrifacerent* [2] : nobis verò satis est, si vel gubernari nos rectè patiamur, et regi ab his quibus regendi gratia gubernandique concessa est. Verùm quoniam Pauli et cæterorum similium ejus fecimus mentionem, omittentes, si videtur, cæteros omnes qui vel per legislationem, vel per prophetiam, vel per militiæ magisterium, vel per aliquam hujuscemodi procurationem populis profuêrunt : (sic Moyses, vel Aaron, vel Jesus, aut Elias, vel Elisæus, omnesque Judices, Samuël quoquè et David, et multitudo cætera Prophetarum ;) Joannem etiam Baptistam, sed et duodecim discipulos Domini, atque eos qui vel cum ipsis, vel per ipsos cum labore multo et sudore populis profuêrunt temporibus suis singuli, omnes hos interim nunc omittentes, Paulum solum adhibebimus ad attestationem verbi nostri, et in ipso, ac per ipsum considerabimus quid et quantum sit cura ac diligentia animarum ; vel si parùm operis et prudentiæ requirit, aut parùm consilii laborisque deposcit.

» Videamus ergò quid Paulus dicit de Paulo, et ex ipso

[1] Psal. cvii, 6. S. August. de Fide rerum quæ non videntur, n. 7.— [2] 1 Cor. ix, 22.

quid istud sit negotii, de quo agitur, addiscamus. Omitto enumerare *labores et vigilias in siti et fame, miserias toleratas in frigore et nuditate*[1]. Omitto illos extrinsecùs insidiantes et intrinsecùs resistentes. Omitto persecutiones, judaïca concilia, carceres, vincula, accusatores, quotidianas et momentaneas mortes, quòd *in sportâ per murum dimissus est*, quòd *lapidatus est*, quòd *virgis cœsus est*. Omitto circuitus orbis terræ, *pericula in mari, pericula in terris, diei ac noctis, profundum naufragium, pericula fluminum, pericula latronum, pericula ex genere, pericula in falsis fratribus*[2]; manuum labore victum quæsitum[3]; quòd *sine sumptu Evangelium prædicabat*[4], quòd *theatrum factum est et hominibus et Angelis*[5] is qui medius Deï et hominum consistebat, pro omnibus quidem agones et certamina sustinens, Deo substantiâ populum comparans et acquirens. Præter hæc ergò omnia, quis dignè exponere valeat quotidianam per singula providentiam, et *sollicitudinem omnium ecclesiarum*[6]. Ergà omnes misericors, ergà omnes fraterno distentus affectu. Offendiculum quis patiebatur, et Paulus infirmabatur; scandalizabatur alius, et Paulus urebatur[7].

» Sed docendi enumerem studium ac laborem, figurarum varietatem? Sed lenitatem dicam et iterùm austeritatem, aut ex utroque temperamentum, ut neque multâ asperitate exulceraret, neque nimiâ benignitate resolveret? Leges dat servis et dominis[8], principibus et subjectis[9], viris et mulieribus[10], parentibus et liberis[11], nuptis et innuptis[12], continentibus et luxuriosis[13], sapientibus et insi-

[1] 2 Cor. xi, 27. — [2] Ibid. 26-28. — [3] 1 Cor. iv, 12. — [4] Id. ix, 18. — [5] Id. iv, 9. — [6] 2 Cor. xi, 28. — [7] Ibid. 29. — [8] Ephes. vi, 5-9. — [9] Tit. iii, 1, et 1 Tim. xxi, 18. — [10] Ephes. v, 22, 23. — [11] Id. vi, 1, 4. — [12] 1 Cor. vii, 25, 35. — [13] Gal. v, 19.

pientibus[1], circumcisioni et præputio[2], Ecclesiæ et sæculo[3], viduis et virginibus[4], spiritui et carni[5], pro aliis quidem lætatur et gratias agit[6]; alios verò castigat et corripit[7]; alios *gaudium et coronam* nominat[8]; alios verò stultitiæ notat[9]; cum aliis quidem *benè currentibus* currit[10]; alios autem malè currentes refrenat et revocat[11]; nunc separat de Ecclesiâ, nunc recipit, et confirmat charitatem[12]; nunc luget aliquos, nunc lætificatur ex aliis[13]; nunc lacte potat, nunc mysteria revelat[14]; nunc se dejicit et exæquat humilibus, nunc secum erigit humiles et exaltat[15]; nunc apponit spiritum mansuetudinis, nunc superbis et arrogantibus apostolicæ potestatis virgam minatur[16]; nunc erigitur adversùm erectos, nunc efficitur discipulis tanquàm *si nutrix foveat parvulos suos*[17]; nunc *Apostolorum est omnium minimus,* nunc *documentum suî* pollicetur *per eum qui in se loquitur Christus*[18]; nunc *resolvi desiderat, et esse cum Christo,* nunc *permanere in carne propter eos* qui indigent, necessarium probat[19]. *Non* enim *quærit quæ sua sunt, sed quærit quæ* filiorum sunt, eorum quos in Christo *per Evangelium genuit*[20]. Quod utiquè singulariter observandum est iis qui spiritualibus populis præsunt, ut in omnibus quæ sua sunt negligant et contemnant pro utilitate cæterorum.

» *Gloriatur* ergò Paulus, sed *in infirmitatibus*[21] ac tribulationibus suis, et velut quodam monili mortifica-

[1] Rom. I, 14, etc. — [2] Rom à cap. II ad cap. V. — [3] Epist. ad Tim., ad Tit., ad Cor., ad Hebr. — [4] 1 Tim. V, 5, 16. — [5] Rom. VIII. — [6] Ephes. I, 16, et Philip. I, 3, etc. — [7] 1 Cor. V. — [8] Philip. IV, 1. — [9] Gal. III, 3. — [10] Id. V, 5. — [11] 1 Cor. IX 24. — [12] 1 cor. V, 5, et 2 Cor. II, 7. — [13] 1 Cor. XII, 21, et Philip. II, 17. — [14] 1 Cor. III, 2, et XV, 51. — [15] Id. XV, 9, et 2 Cor. XI et XII. — [16] In utràque ad Cor. — [17] 1 Thess. II, 7. — [18] 1 Cor. XV, 9, et 2 Cor. XIII, 7. — [19] Philip. I, 23, 24. — [20] 2 Cor. XII, 14, et 1 Cor. IV, 15. — [21] 2 Cor. XII, 9.

tione Christi adornatur. Excelsior est super omne quod carnale est; exultat in spiritualibus et gloriatur, et cùm non sit *imperitus in scientiâ*[1], tamen *per speculum et in ænigmate videre*[2] se dicit. Confidit spiritui, et tamen corpus affligit [3], velut clandestinum adversarium destruens; quid nos edocens per hæc, et quid erudiens? nisi nihil ex iis quæ deorsùm sunt præsumere, neque inflari per scientiam, neque carnem adversùs spiritum erigere. Pugnat ergò ille pro omnibus; orat pro omnibus; zelatur omnes; Dei zelo accenditur pro omnibus: et inflammatur pro iis qui extrà legem sunt, pro iis qui in lege sunt. Magister Gentilium, Judæorum advocatus, pro quibus etiam audet aliquid ultrà quam fas est [4], pro fratribus scilicèt secundum carnem; ut et ego audeam simile aliquid dicere, ultrà mandatum Dei nititur: nàm proximos suos non sicut se, sed plùs quàm se diligit. Deniquè se etiam abjecto, illòs pro se introduci orat ad Christum[5]. O singularem mentis magnificentiam! ô cælestem spiritûs calorem! Imitatur et in hoc Christum, qui *factus est pro nobis maledictum*[6], qui *infirmitates nostras tulit, et languores nostros portavit*[7]: et elegit, ut ità dicam, extrà pietatem fieri pro pietate, dùm *anathema esse à Christo*[8] patitur, tantùm ut illi salvi fiant. Et quid dicam per singula? *Vivit non sibi, sed Christo*[9], et prædicationi verbi. *Mundum sibi crucifixum* et *se mundo*[10], omnia parva dicit et exigua pro desiderio Christi: etiamsi ab Jerusalem in circuitu usquè ad *Illyricum repleat Evangelium*[11], etiamsi usquè ad tertium cœlum raptus ascendat; etiamsi in paradisum deducatur et ibi *au-*

[1] 2 Cor. xi, 6. — [2] 1 Cor. xiii, 12. — [3] Id. ix, 27. — [4] 2 Cor. xi, 21. — [5] Rom. ix, 3. — [6] Gal. iii, 13. — [7] Isaï. liii, 4. — [8] Gal. iii, 13. — [9] Id. ii, 20. — [10] Id. vi, 14. — [11] Rom. xx, 19.

diat verba quæ non licet hominibus loqui[1]; in his omnibus *non gloriatur, nisi in infirmitatibus suis*[2]. Sed hæc Paulus, et si qui fortè sunt in spiritu similes ei[3]. »

Cùm autem occurrant in sacris Scripturis testimonia quæ longiori indigent interpretatione, sæpiùs apud sanctos Patres adhibentur quidam textus particulares veritati cuidam confirmandæ prolixiùs accommodati. Sic verbi gratiâ beatus Augustinus ex Scripturâ demonstrans, victoriam quâ peccatum vincitur, nihil aliud esse quàm donum Dei in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium : « Dicit, inquit, cœlestis Magister : *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem*[4]. Ergò unusquisque contrà suam concupiscentiam dimicans oret, ne intret in tentationem, id est, ne sit ab illâ abstractus et illectus. Non autem intrat in tentationem, si voluntate bonâ vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino victoria concedatur oranti, ne intret in tentationem. Quid verò evidentius quàm Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur accipitur? Si enim dixisset Salvator noster : *Vigilate, ne intretis in tentationem*, admonuisse tantummodò videretur hominis voluntatem : Cùm verò addidit : *Et orate*, ostendit Deum adjuvare ne intretur in tentationem[5]. »

Idem in eodem Tractatu gratiam Dei non secundum merita nostra dari sic Psalmorum testimonio confirmat : « Quapropter nec quandò cœperit homo habere merita bona, debet sibi tribuere illa, sed Deo, cui dicitur in Psalmo : *Adjutor meus esto, ne derelinquas me*[6]. Dicendo :

[1] 2 Cor. XII, 2-4. — [2] Ibid. 5. — [3] S. August. Serm. Inedit. Vulgat. *à Parent Desbarres* Nobis edentibus an 1836, Serm. LIV de S. Paulo apostolo. — [4] Matth. XXVI, 41. — [5] S. August. lib. de Grat. et lib. Arbitr. n. 8 et 9. — [6] Psal. XXVI, 9.

Ne derelinquas me; ostendit quia si derelictus fuerit, nihil boni valet ipse per se : undè et ille ait : *Ego dixi in abundantiâ meâ non movebor in æternum* [1]. Putaverat enim suum fuisse bonum, quod ei sic abundabat, ut non moveretur : sed ut ostenderetur illi cujus esset illud, de quo tanquàm suo cœperat gloriari, paululùm gratiâ deserente admonitus, dicit : *Domine, in voluntate tuâ præstitisti decori meo virtutem*; *avertisti autem faciem tuam à me, et factus sum conturbatus* [2]. Ideò necessarium est homini, ut gratiâ Dei non solùm justificetur impius, sed etiam cùm fuerit jàm justificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, et incumbat super ipsam, ne cadat [3]. »

Nullus esset scribendi finis, si vellem referre omnia Patrum fragmenta, in quibus vel congerere, vel evolvere student sacrarum Scripturarum oracula; cùm toti sint in illis vel referendis vel explanandis : nulla pagina, nulla ferè linea quæ non divino consecretur eloquio; discant indè sacri illi nomine, reverà autem profani, Concionatores, in quorum elaboratis concionibus nulla ferè reperitur pagina, nulla linea quâ vel unum Evangelii verbum admittatur, discant ambitiosi humanæ reprobæque sapientiæ sectatores, quàm attentè legere, quàm sedulò ediscere, quàm frequenter adhibere debeant divinam Spiritûs sancti auctoritatem.

2° Cui etiam præcedentium Doctorum placita adjungere ipsorum Patrum consuetudine instituimur, qui in omnibus temporibus antecessorum suorum vestigiis inhærere professi sunt. Qui secundo florebant sæculo apostolicorum virorum fidem contrà hæreticos referebant, ipsi contrà futuros errores in testimonium referendi; sic-

[1] Psal. xxix, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] S. August. lib. de Grat. et lib. Arbitr. n. 13.

que sacrâ quâdam catenâ vetus doctrina doctrinæ recentiori ità innectitur, ut unum indivisumque corpus efficiat, aut potiùs ità veluti incommutabilis liquor sæculis sibi invicem succedentibus infunditur, ut unum semper et idem et pariter limpidum fidei catholicæ flumen volvatur. Tot tantaque occurrunt veritatis adeò patentis argumenta, ut unum referre hujus modi locum ex sancto Augustino depromptum satis prorsùs appareat. Agebatur de dono perseverantiæ, quod contrà Pelagianos non nisi à Deo obtineri posse contendebat, adductâque in probationem ipsâ Oratione dominicâ, sic ex Veterûm auctoritate instat :

« Legite aliquandò, inquit, intentiùs (Orationis) ejus expositionem in beati Cypriani martyris libro,.. et videte antè quot annos, contrà ea quæ futura erant Pelagianorum venena, quale sit antidotum præparatum. Nàm tria sunt, ut scitis, quæ maximè adversùs eos catholica defendit Ecclesia. Quorum est unum, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, quoniam Dei dona sunt, et Dei gratiâ conferuntur etiam universa merita justorum : alterum est in quantâcumque justitiâ sinè qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere : tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, et vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur. Horum trium hoc quod loco ultimo posui, solum non tractatur in supradicto gloriosi Martyris libro : de duobus verò cæteris tantâ illic perspicuitate disseritur, ut supradicti hæretici, novi inimici gratiæ Christi, longè antè reperiantur convicti esse quàm nati. In his ergò meritis sanctorum, quæ nulla, nisi Dei dona sunt, etiam perseverantiam donum Dei esse sic loquitur : « Dicimus, inquit, *Sanctificetur nomen tuum*[1], non quòd optemus Deo, ut sancti-

[1] Matth. VI, 9.

ficetur orationibus nostris, sed quòd petamus ab eo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Cæterùm à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat ? sed quia ipse dixit : *Sancti estote quoniam ego sanctus sum*[1], id petimus et rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseveremus[2].» Et paulò post de hâc ipsâ re adhùc disputans et docens nos perseverantiam petere à Domino, quod nullo modo rectè ac veraciter faceret, nisi ejus donum et hoc esset : « Hæc, inquit, sanctificatio ut in nobis permaneat oramus, et quia Dominus et judex noster sanato à se et vivificato comminatur non delinquere, ne quid ei deterius fiat[3] : hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus et noctibus postulamus, ut sanctificatio et vivificatio quæ de Dei gratiâ sumitur, ipsius protectione servetur[4].» In sanctificatione igitur perseverantiam, hoc est, ut in sanctificatione perseveremus, nos ab eo petere iste Doctor intelligit, cùm sanctificati dicimus : *Sanctificetur nomen tuum* [5]. »

Nùm erubescemus in minuta opera nostra, Veterûm transferre divitias, cùm in admiranda sua scripta nec ipse erubuerit antecessorum auctoritatem admiscere Augustinus? nisi fortè hoc inertiæ vitium potiùs tribuendum videatur, quo malè laborantes horum temporum Concionatores, vix aliquas audent in alienis libris quasi dilaniatas inspicere Veterûm particulas, et ne unum quidem integrum forsàn illorum christianis olim Oratoribus familiarium opus usquè ad calcem perlegere sustinuêrunt.

3° De Conciliorum apud sanctos Patres auctoritate sufficienter patebit illi qui vel parvam habebit antiquitatis notitiam. Nemo nescit quâ diligentiâ catholicorum Conciliorum decreta contrà Arianos inter fragmenta co-

[1] Levit. XIX, 2. — [2] S. Cypr. de Orat. Domin. — [3] Joan. V, 14. — [4] S. Cypr. de Orat. Domin. — [5] S. August. lib. de Don. Persever. n. 4.

geret beatus Hilarius Pictaviensis; quâ fiduciâ Concilium transmarinum contrà Pelagianos advocaret sanctus Augustinus; quâ veluti concordantiâ post sanctum Athanasium, Concilii præsertim Nicæni ab omnibus conclamaretur auctoritas. Nullum igitur superesse potest dubium, quin orthodoxorum omnium, et maximè œcumenicorum Conciliorum, Tridentinæ autem inprimis Synodi decreta à Concionatore sæpiùs usurpari debeant; quomodò autem usurpabunt illorum, quorum fortè nec nomen nec numerum cognoscunt, testimonia?

Sic porrò apud sanctum Hilarium legitur de auctoritate Nicænæ Synodi confidentem :

« Videamus igitur quid Nicæna Synodus studuerit, *Homousion,* id est, unius substantiæ confitendo: non utiquè hæresim parturire, quæ de Homousii vitiosâ opinione concipitur. Non opinor illud loquentur, quòd unam anteriorem substantiam Pater et Filius in substantiam suam partiendo diviserint. Et ipsam quidem religiosè tùm scriptam fidem, nunc quoquè huic sermoni nostro non irreligiosè inseremus.

» Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est, de substantiâ Patris; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero; natum non factum, unius substantiæ cum Patre, quod græcè dicunt *Homousion,* per quem omnia facta sunt quæ in cœlo et in terrâ, qui propter nostram salutem descendit, incarnatus est, et homo factus est, et passus est, et resurrexit tertiâ die, et ascendit in cœlos, venturus judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum.

» Eos autem qui dicunt : Erat quandò non erat, et ante-

quàm nasceretur non erat, et quòd de non extantibus factus est, vel ex aliâ substantiâ aut essentiâ, dicentes convertibilem et demutabilem Deum : hos anathematizat catholica Ecclesia. »

» Non hìc sanctissima religiosorum virorum Synodus nescio quam priorem, quæ in duos divisa sit, substantiam introducit, sed Filium natum de substantiâ Patris. Numquid et nos negamus? aut quid aliud confitemur? Et post cæteras communis fidei expositiones ait : « Natum non factum, unius substantiæ cum Patre, quod græcè dicunt *homousion.* » Quæ hic vitiosæ intelligentiæ occasio est? Natus esse de substantiâ Patris Filius, non factus prædicatur : ne nativitas divinitatis, factura sit creationis. Idcircò autem : « Unius substantiæ : » non ut unus subsistat aut solus, sed ut ex substantiâ Dei natus non aliundè subsistat, neque ut in aliquâ dissidentis substantiæ diversitate subsistat. Aut numquid non hæc fides nostra est, ut non aliundè subsistat, neque quod indissimilis subsistat? Aut aliud hic testatur *homousion,* quàm ut una atque indissimilis duum sit secundùm naturæ progeniem essentia, quia essentia Filii non sit aliundè? quæ quia aliundè non est, unius rectè esse ambo credentur essentiæ; quia substantiam nativitatis Filius non habeat nisi de paternæ auctoritate naturæ [1]. »

Sic et Augustinus contrà Cresconium donatistam agens, qui illi exprobrabat sacrilegii notam ejus erroribus inculcatam, sic Bagaïensis Concilii testimonium invocat :

« Me disputatione tuâ non ob aliud arguendum arbitratus es, nisi quia *vestrum* dixi *sacrilegum errorem.* Lege ergò Bagaïense Concilium. Nempè ista illìc prima verba sunt : « Cùm Omnipotentis Dei et Christi ejus Salvatoris

[1] S. Hilar. de Synod. n. 81.

nostri voluntate ex universis provinciis Africæ venientes in Ecclesiâ sanctâ Bagaïensi Concilium gereremus, Gamalius, Primianus, Pontius, Secundianus Januarius, Saturninus, Felix, Pegasius, Rufinus, Fortunius, Crispinus, Florentius, Optatus, Donatus, Donatianus, et cæteri numero trecenti et decem, placuit Spiritui sancto qui in nobis est, pacem firmare perpetuam, et schismata resecare sacrilega. » Audis, advertis, attendis? Schismata inquiunt resecare sacrilega. Ergò non in hominem, sed in Deum sceleratâ perversitate in eo schismate solus Maximianus sacrilegii crimine tenebatur, cùm ista sententia diceretur. Lege paulò post quid dicant de sociis ejus, inter quos istorum nomina, de quibus agitur, scripta sunt. Nec solùm hunc, inquiunt, sceleris sui mors justa condemnat, trahit etiam ad consortium criminis plurimos catena sacrilegii [1]. »

4° Ipsâ autem adjuti Ratione adversarios non semel debellâsse sanctos Patres sufficienter resciverit, quicumqne hoc beati Augustini fragmentum considerare voluerit:

« Sed non potest, inquiunt, esse terrenum corpus in cœlo. Quid si hoc velit Deus? Responde contrà Deum, et dic, non potest Deus. Nonne et tu quicumque paganus, dicis omnipotentem Deum? nonne in libro Platonis, quod hesterno die demonstravi, legitur dixisse Deus non factus diis à se factis, quoniam estis orti, immortales quidem esse et indissolubiles non potestis; non tamen dissolvemini, neque ulla vos mortis fata periment; nec erunt valentiora quàm consilium meum, quod majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quàm illa quibus estis colligati? Totum ad voluntatem suam redegit Deus, qui

[1] S. August. contrà Crescon. Donat. lib. IV, cap. X, n. 12.

potest et quod impossibile est. Nàm quid est aliud, Non potestis esse immortales, sed ut non moriamini ego facio; nisi et quod fieri non potest ego facio?

» Volo tamen aliquid etiam de diversitate ponderum disputare. Rogo te, dic mihi, terra terra est, aqua aqua est, aër aër est, æther id est cœlum; et ignis ille liquidus cœlum est. Quatuor nempè ista quasi gradatim construxêrunt et ædificavêrunt mundum, hoc est, ex his quatuor ædificatus est mundus. Quære quid in imo sit, terra est : quid desuper, aqua est : quid super aquam, aër est : quid super aërem, cœlum est, æther est. Quid corpora solida quæ tenentur atque tractantur? Non humida dico, quæ labuntur et fluunt; corpora dico tractabilia, undè sunt? Terræ deputanda sunt, an aquæ, an aëri, an ætheri? Responsurus es, terræ. Terrenum ergo corpus est lignum? planè terrenum. In terrâ nascitur, in terrâ alitur, in terrâ crescit. Tractabile est, non fluxibile. Redi mecum ad illum ordinem ponderum. Terra in fundamento est : ordinem sequere. Quid super terram? aqua. Quare lignum natat super aquam? terrenum est corpus : si revoces ad illum ordinem ponderum, sub aquâ esse debuit, non suprà. Invenimus inter terram et lignum aquam mediam : subter terram, super aquam, et super aquam iterùm terram, quandò quidem lignum terra est. Perdidisti illum ordinem, tene fidem. Ergò terrena corpora inventa sunt super elementum, quod secundum est in ordine elementorum, quandò natant ligna, neque merguntur.

» Attende aliud, quod plus mireris; corpora ipsa gravissima, et tamen terrena, quæ mox ut dimissa fuerint super aquam, continuò demerguntur, et ad ima profunda perveniunt, sicut est ferrum, postremò sicut est plumbum. Quid enim plumbo gravius? Accedit tamen manus arti-

ficis ad plumbum, facit indè aliquod vas concavum, et natat plumbum super aquam. Ergò-ne non dabit Deus corpori meo, quot dat artifex plumbo? Deindè aquam ipsam ubi ponitis? redite ad ordinem elementorum. Certè respondebitis, quòd aqua sit super terram. Quare ergò antequàm currant in terrâ, pendent in nubibus flumina?

» Revoca indè considerationem tuam et cogitationem ad ea quæ dicturus sum, si Domino adjuvante potuero. Quid faciliùs movetur, quid velociùs agitatur, gravius corpus, an levius? Quis non respondeat, levius? leviora enim corpora faciliùs moventur, velociùs aguntur: graviora difficiliùs atque tardiùs. Certè regulam fixisti, certè considerâsti, et circumspectis omnibus respondisti, quia faciliùs moventur et velociùs aguntur corpora leviora, quàm graviora. Ità est, dicis. Responde ergò mihi. Quare levissima aranea tardè se movet, et gravis equus velociter currit? De ipsis hominibus loquar: majus corpus hominis gravius est; brevius corpus quod minùs habet ponderis, levius est. Ità verò est, sed si alius portet. Si autem ipse homo corpus suum portet, validus currit, macer languore vix ambulat. Appende macrum et robustum hominem; illum languore vix paucas libellas appendentem, illum salubritate corporis multa pondo in carne suâ gerentem: tenta tu ambos tollere; gravis est validus, levis est macilentus. Recedat portator, appareat ambulator; ipsos dimitte sibi, agant corpora sua: video macrum vix passum moventem, video validum robustumque currentem. Si hoc valet sanitas, immortalitas quid valebit?

» Dabit ergò Deus miram facilitatem, miram levitatem. Non sinè causâ illa corpora spiritalia nuncupata sunt. Non ideò dicta sunt spiritalia, quia erunt spiritus, non corpora. Nàm ista quæ modo habemus, dicuntur animalia corpora: et tamen animæ non sunt, sed cor-

pora. Quomodò nunc ista animalia dicuntur, et animæ non sunt : sic illa spiritalia dicuntur, sed non sunt spiritus, quia corpora erunt. Quarè dicitur spiritale corpus, Charissimi, nisi quia ad nutum spiritui serviet? nihil tibi contradicet ex te, nihil in te rebellabit adversùs te [1]. »

II. *Persuasio* dicitur facunda vis illa, quâ, illuminato per argumenta animo, voluntas ad amplectendam veritatem cognitam impellitur. Ad Persuasionem verò duo maximè conferunt, placere videlicèt et movere ; placere quidem, cùm nauseas excitet sæpiùs inornata veritas ; movere autem, cùm veritas vulgò non admittatur, quin mens interiùs agitata consentiat. Placet autem Orator per elocutionis Ornamenta, sicut et per Affectus movet.

1°. Non desunt illa elocutionis Ornamenta apud eloquentes illos Scriptores, quibus à primis Ecclesiæ sæculis gloriatur christiana Religio. Verbum illud Evangelii : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis* [2], exponendum susceperat falsus Eusebius Emissenus ; sed non simpliciter illud exscribit ; adjunctis autem ornamentis ità procedit : « Datus est ex Divinitate, natus ex Virgine ; natus, qui sentiret occasum, datus, qui nesciret exordium ; natus, qui et Matre esset junior, datus, quo nec Patre esset antiquior ; natus, qui moreretur, datus, ex quo vita nasceretur ; ac sic qui erat, datus est, qui non erat, natus est [3]. » — Sic pariter de occisione infantium pro Christo interfectorum sermonem instituit : « Quàm beata ætas, quæ meum Christum potest eloqui, et jàm pro Christo meretur interfici ! Nondùm opportuna vulneri, et jàm idonea passioni. Quàm feliciter nati quibus in primo nascendi limine æterna vita obviam venit ! Incurrunt quidem, inter ipsa principia acceptæ lucis, periculum et finem salutis ; sed de

[1] S. August. Serm. CCXLII, n. 7-11. — [2] Isaï. IX, 6. — [3] Euseb. Emissen. Homil. I de Nativ.

ipso protinùs fine capiunt principia æternitatis. Immaturi quidem videntur ad mortem, sed feliciter moriuntur ad vitam. Vixdùm degustaverant præsentem, statim transeunt ad futuram. Nondùm ingressi infantiæ cunas, jàm perveniunt ad coronas. Rapiuntur quidem à complexibus matrum, sed redduntur gremiis angelorum [1]. »

Sic etiam divus Cyprianus exemplò viduæ Sareptæ utens, ut nos ad eleemosynam invitet, hanc addit expositionem :

« Vidua illa in tertio Regnorum libro, cùm in siccitate et fame consumptis omnibus, de modico farre et oleo quod superfuerat, fecisset subcinericium panem, quo absumpto moritura cum liberis esset, supervenit Elias, et petiit sibi priùs ad edendum dari; tunc quod superfuisset, indè illam cum filiis suis vesci [2]. Nec obtemperare illa dubitavit, aut Eliæ filios mater in fame et egestate præposuit. Fit imò in conspectu Dei quod Deo placebat; promptè ac libenter quod petebatur offertur; nec de abundantiâ portio, sed de modico totum datur, et esurientibus liberis, alter priùs pascitur, neque in penuriâ et fame cibus, antequàm misericordia cogitatur; ut dùm in opere salutari carnaliter vita contemnitur, spiritualiter anima servetur. Elias itaquè typum Christi gerens, et, quòd ille pro misericordiâ vicem singulis reddat ostendens, respondit et dixit : *Hæc dicit Dominus : Fidelia farris non deficiet, et capsaces olei non minuetur usquè in diem quo dabit Dominus imbrem super terram* [3]. Secundùm divinæ pollicitationis fidem, multiplicata sunt viduæ et cumulata quæ præstitit; et operibus justis ac misericordiæ meritis augmenta et incrementa sumentibus, farris et olei vasa completa snnt. Nec filiis abstulit mater

[1] Euseb. Emissen. Homil. 1 de Epiphan. — [2] 3 Reg. XVII. — [3] Ibid. 14.

quod Eliæ dedit, sed magis contulit filiis quod benignè et piè fecit. Et illa nondùm Christum sciebat, nondùm præcepta ejus audierat : non cruce et passione ejus redempta, cibum et potum pro sanguine rependebat; ut ex hoc appareat quantùm in Ecclesiâ peccet, qui se et filios Christo anteponens, divitias suas servat, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertate communicat[1]. »

Sic divus Bernardus encomium beati Victoris celebrans hanc primò propositionem præmittit : « Gaudete in Domino, Dilectissimi, qui inter continua suæ pietatis beneficia indulsit hominem mundo, cujus multi salvarentur exemplo. Iterùm dico : Gaudete quòd factus de medio appropiavit Deo, et multò plures ejus intercessione salventur. » Deindè exornare sententiam pergit his verbis :

« In terris visus est, ut esset exemplo ; in cœlum levatus est, ut sit patrocinio. Hìc informat ad vitam, illìc invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jàm postulans nihil, totum in nos transferre desiderat, et supplicantis affectum, et supplicationis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullius eget? Dominus conservat eum et vivificat eum, et beatum facit eum in gloriâ : nihil illi deerit in loco pascuæ collocato[2]. »

Sic Arthievalus monachus et abbas, in Vitâ beati Eduardi regis qui virginitatis florem simul cum sanctissimâ uxore ad finem usquè vitæ incorruptam servavit, eleganter prosequitur : « Convenientes igitur in unum, Rex et Regina de castitate servandâ paciscuntur : nec huic fidei alium, quàm Deum testem æstimant adhibendum. » Hæc velut propositio est, quæ rem simpliciter, breviterque exponit.

[1] S. Cypr. de Oper. et Eleemos. — [2] S. Bernard. Serm. de S. Victor.

dabant, coronæ dedêrunt... Vidit admirans præsentium multitudo cœleste certamen, certamen Dei, spiritale certamen, prælium Christi; stetisse servos ejus voce liberâ, mente incorruptâ, virtute divinâ, telis quidem sæcularibus nudos, sed armis fidei credentes armatos. Stetêrunt torti torquentibus fortiores; et pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicêrunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diù plaga repetita, quamvis, ruptâ compage viscerûm, torquerentur in servis Dei jàm non membra, sed vulnera... O quale illud fuit spectaculum Domino, quàm sublime, quàm magnum, quàm Dei oculis, sacramento ac devotione militis ejus acceptum !... Quàm lætus illìc Christus fuit, quàm libens in talibus servis suis et pugnavit et vicit protector fidei !.. O beatam Ecclesiam nostram, quam sic honore divinæ dignationis illuminat, quam temporibus nostris gloriosus martyrum sanguis illustrat [1]. »

Quis à fletu temperare poterit si beatum Ambrosium audiat ità lapsum Virginis consecratæ deflentem?

« Eras virgo in paradiso Dei, utiquè inter flores Ecclesiæ : eras sponsa Christi, eras templum Dei, Eras habitaculum Spiritûs sancti. Et cùm dico toties Eras, necesse est toties ingemiscas, quia non es quod fuisti. Incedebas in Ecclesiâ tanquàm columba illa, de quâ scriptum est : *Pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in specie auri* [2]. Splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quandò cum sincerâ conscientiâ procedebas. Eras tanquàm stella radians in manu Domini; nullum ventum, nullas belli nebulas pertimescebas [3]. Quæ ista subitanea conversio? Quæ ista repentina mutatio? De Dei virgine, facta est corruptio sa-

[1] S. Cypr. Epist. x. — [2] Psal. LXVII, 14. — [3] S. Ambros. de Lapsu Virgin. consecrat. cap. II, n. 6.

tanæ; de sponsâ Christi, scortum execrabile; de templo Dei, fanum immunditiæ; de habitaculo Spiritûs sancti, tugurium diaboli. Quæ incedebas cum fiduciâ, ut columba, nunc lates in tenebris, sicut stellio; quæ fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es luto platearum; ut etiam indignorum pedibus conculceris. Quæ fueras stella radians in manu Domini, velutí de alto ruens cœlo lumen tuum extinctum est, et conversa es in carbonem [1]. Væ tibi, misera, et iterùm Væ, quæ tanta bona propter parvi temporis luxuriam perdidisti! Quam tibi spem apud Christum Dominum reliquisti, cujus membra tollens, fecisti membra meretricis? Quid te Spiritus sanctus visitabit, cùm eum repudiaveris qui se à cogitationibus quoquè sordidis longè facit [2]? Sed veniamus ad humana, ut per illa divina noscantur. Aspice quis sanctorum, aut quæ sanctarum ad te approximare non horreat. Aperi oculos tuos, si potes; erige frontem, si audes : aliquem sanctorum fiducialiter intuere. Nonne tuam faciem conscientia commissi tanquàm plumbum inclinat et premit? nonne tenebræ antè oculos tuos et dira caligo versabitur? nonne timor et tremor animam tuam et membra quassabit? Si ergò homines in carne constitutos, et alicujus delicti obnoxios non potes intueri, tàm gravi confusione sepulta, quid facies coràm castis apostolis? quid facies coràm Eliâ, Danièle, et tantorum exercitu prophetarum? quid facies coràm Joanne? quid facies coràm Mariâ, Theclâ, et Agne, et immaculato choro puritatis? quid deniquè coràm angelis sanctis? Nonne splendore et claritate immaculatorum quasi fulminibus percussa combureris [3]?... Non istam de te confusionem tuus expectaverat pater, qui te sibi singularem gloriam compu-

[1] S. Ambros. de Lapsu Virgin. consecrat. cap. III, n. 7. — [2] Id. ibid. n. 8. — [3] Id. ibid. n. 9.

tabat; non hunc luctum et has lacrymas ex te sibi nasci crediderat mater, quæ partûs sui gemitum per tuam virginitatem consolabatur; non fratres tui, non sorores hoc de te dedecus expectabant, quos omnes, quasi uno gladio tui sceleris graviter sauciâsti [1] ... *Quis consoletur te, Virgo, filia Sion, quia magna facta est velut mare contritio tua. Effunde sicut aquam cor tuum antè faciem Domini* [2]. Extolle ad eum manus tuas... Accipe lamentum... Hanc lamentationem non sinè compunctione cordis in conspectu Dei judicis funde : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum* [3], ut defleam vulnera animæ meæ? Conversi sunt dies mei in luctum [4], et cantica in lamentationem : recessit sonus hymnorum, et lætitia psalmorum, et successit stridor dentium, et fletus oculorum. *Obmutui et humiliata sum, et silui à bonis, et dolor meus renovatus est. Concaluit cor meum intrà me, et in meditatione meâ exardescet ignis. Timor et tremor venérunt super me, et contexérunt me tenebræ* [5]. *Abyssus circumdedit me, postremò demersit caput meum in scissuras montium* [6]. Heu me quia facta sum sicut Sodoma, et combusta sicut Gomorrha, quis miserebitur cineres meos [7]? Duriùs offendi quàm Sodoma, quia illa legem nesciens deliquerat, ego autem, acceptâ gratiâ, peccavi Domino [8]... O quàm acerbus fructus luxuriæ! amarior felle, crudelior gladio. Quomodò facta sum in desolationem [9]?... Lugete me, montes et colles, lugete me, montes et flumina, quia fletûs filia ego sum [10]... Carnem pollicita servare virginem,

[1] S. Ambros. de Lapsu Virgin. consecrat. cap. III, n. 15. — [2] Thren. II, 19. S. Ambros. de Lapsu Virgin. consecr. cap. X, n. 43. — [3] Jerem. IX, 1. — [4] Amos. VIII, 10. — [5] Psal. XXXVIII, 3, 4. — [6] Jon. II, 6. — [7] Genes. XIX, 24. — [8] S. Ambros. de Lapsu Virgin. cap. X, n. 44. — [9] Id. bid. n. 46. — [10] Id. Ibid. n. 47.

et castitatem professa publicè, mentita sum Domino; ideò non est mihi fiducia invocandi Dominum altissimum, quia obstructum est os delinquentium[1]... *Adhæsit lingua mea faucibus meis, et in pulverem mortis* [2] deducta sum [3]. Verumtamen clamabo ad Dominum, cùm adhùc tempus est, dùm datur spatium; quia in morte non est memoria, et in inferno non est confessio : *Domine ne in irâ tuâ arguas me, neque in furore tuo corripias me* [4]... Tuus sermo est, tua promissio : *Nolo mortem peccatoris, sed conversionem, et vivat* [5]. Ad te, Deus meus, mea conversio; quia solus potes renovare omnia, et ab inferis animas revocas : tu solvis compeditos : tu, Deus, allisos erigis, cæcos illuminas, mortuos suscitas [6]. *Erravi sicut ovis perdita* [7]; require famulam tuam, ne lupus crudelis glutiat me. *Multi dicunt animæ meæ : non est salus illi in Deo ejus* [8]. Sed tuum consilium tecum est... *Ne intres in judicium cum famulâ tuâ* [9]... Iram tuam, Domine, aufer à me, quia peccavi tibi crudeliter, donec justifices causam meam, et educas me in lumine. Deus virtutum, da pœnitentiæ effectum, confessioni perseverantiam, ne me induret deceptor animæ [10]. »

Notandum est autem cum Quintiliano : « Summam circà movendos Affectus in hoc positam esse, ut moveamur ipsi. Nàm et luctûs et iræ et indignationis aliquandò ridicula fuerit imitatio, si verba vultumque tantùm non etiam animum accommodaverimus. Quid enim aliud est causæ, ut lugentes utiquè in recenti dolore disertissimè quædam exclamare videantur, et ira nonnunquàm in doc-

[1] Isaï. XLVIII, 21. — [2] Psal. XXI, 16. — [3] S. Ambros. de Lapsu Virgin. consecr. cap. X, n. 48. — [4] Psal. XXXVII, 1. — [5] Id. CXLV, 8. — [6] S. Ambros. de Lapsu Virgin. consecr. cap. X, n. 49. — [7] Psal. CXVIII, 176. — [8] Id. III, 3. — [9] Id. CXLII, 2. — [10] S. Ambros. de Lapsu Virgin. consecr. cap. X, n. 50.

tis quoquè eloquentiam faciat, quàm quod illis inest vis mentis et veritas ipsa morûm? Quare in iis quæ verisimilia esse volemus, simus ipsi similes eorum qui verè patiuntur affectibus : et à tali animo proficiscatur oratio, qualem facere judicem volet. An ille dolebit, qui audiet me, cùm hoc dicam, non dolentem? Irascetur, si nihil ipse qui in iram concitat, idque exigit, simile patietur? Siccis agenti oculis lacrymas dabit? Fieri non potest, nec incendit, nisi ignis, nec madescimus nisi humore : nec res ulla dat alteri colorem quem ipsa non habet [1]. »

Vides igitur quomodò Persuasione simul et Convictione valida instruantur argumenta, quibus omnes veluti mentis vias et obsidere, et pervadere certiùs valeamus.

III. Ut autem ad varias elocutionis Figuras deveniamus, nullum invenies apud profanos Oratores argumentationis aut elocutionis genus, quod non à sanctis Patribus eleganter usurpatum mireris.

1° Si *Inductionem* quæras, quâ scilicèt à certis notisque ad probandorum fidem transferri gaudeas, audi quomodò beatus Cyprianus hâc argumenti specie unitatem Dei demonstret :

« Unus, inquit, omnium Dominus est Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cùm sola omnem teneat potestatem. Ad divinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quandò unquàm regni societas aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? Sic Thebanorum germanitas rupta, et permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia : et Romanos geminos unum non cepit regnum, quod unum uteri cepit hospitium. Pompeius et Cæsar affines fuêrunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmulâ potestate tenuêrunt. Nec hoc tantùm de homine mireris, cùm in hoc omnis natura

[1] Quintil. Inst. Orat. lib. VI, cap. 3.

consentiat. Rex unus est apibus, et dux unus in gregibus, et in armentis rector unus : multò magis mundi unus est Rector, qui universa quæcumque sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat [1]. »

2° Si malis non simplicem quidem, sed compositum auscultare *Syllogismum*, quo pluribus concatenatis argumentis ad veritatis notitiam pervenias, adest in promptu illud beati Augustini de Peccato originali ratiocinium :

« Parvulos intuere, quot et quanta mala patiantur ; in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescant. Deindè jàm grandes, etiam Deo servientes, tentat error, ut decipiat ; tentat labor aut dolor, ut frangat ; tentat libido, ut accendat ; tentat mœror, ut sternat ; tentat typhus, ut extollat. Et quis explicet omnia festinanter, quibus gravatur jugum super filios Adam ? Hujus evidentia miseriæ gentium philosophos, nihil de Peccato primi hominis sivè scientes, sivè credentes, compulit dicere, ob aliqua scelera suscepta in vitâ superiore, pœnarum luendarum causâ nos esse natos, et animos nostros corruptibilibus corporibus eo supplicio, quo Etrusci prædones captos affligere consueverant, tanquàm vivos cum mortuis esse conjunctos. Apostolus autem amputat opinionem, quâ creduntur singulæ animæ pro meritis anteactæ vitæ diversis corporibus inseri. Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas vel impotentia Dei, aut pæna primi veterisque Peccati ? Sed quia nec injustus nec impotens est Deus : restat quod non vis, sed cogeris confiteri, quòd grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum usquè in diem sepulturæ in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset [2]. »

[1] S. Cypr. de idolor. Vanit. — [2] S. August. contrà Julian. Pelag. lib. IV, n. 82.

3° Si *Disjunctio* quam iterùm *complexionem* Cicero vocat, magis tibi placet, habes in hoc beati Cypriani parvo, sed valido argumento, cùm Demetrianum tyrannum exagitans :

« Quæ est, inquit, hæc insatiabilis carnificinæ rabies? quæ inexplebilis libido sævitiæ? Quin potiùs elige unum de duobus : Christianum esse aut est crimen, aut non est. Si crimen est, cur non interficis confitentem? si crimen non est, quid persequeris innocentem? torqueri enim debui, si negarem [1]. »

4° Nùm *Ironiam* invenire juvabit? Inspice rursùs beatum Cyprianum, cùm ità Florentium Pappianum episcopi nomen beato Præsuli denegantem, ipse quasi ludendo persequitur :

« Nisi apud te purgati fuerimus et sententiâ absoluti, etiam sex annis nec fraternitas habuerit episcopum, nec plebs præpositum, nec grex pastorem, nec ecclesia gubernatorem, nec Christus antistitem, nec Deus sacerdotem. Subveniat Pappianus et sententiam dicat ; judicium Dei et Christi in apertum referat, ne tantus fidelium numerus, qui sub nobis accersitus est, sinè spe salutis et pacis exisse videatur. Et nunc annue aliquandò et dignare pronuntiare de nobis, et episcopatum nostrum cognitionis tuæ auctoritate firmare, ut Deus et Christus ejus agere tibi gratias possint, quòd per te antistes et rector altari eorum pariter et plebi restitutus sit [2]. »

5° Magis fortè delectabit græcas prosequi *Sorites*, quibus gradatim à minore ad majus ascenditur, quod et *gradatio* dicitur ; legere licet Hieronymum ità ad Heliodorum scribentem :

« Nemo propheta in patriâ suâ honorem habet : at ubi honor non est, ibi contemptus est ; ubi contemptus, ibi

[1] S. Cypr. ad Demetrian. — [2] Id. Epist LXVIII ad Flor. Papp.

frequens injuria ; ubi autem injuria, ibi et indignatio ; ubi indignatio, ibi quies nulla ; ubi quies non est, ibi mens à proposito sæpè deducitur ; ubi autem per inquietudinem aliquid aufertur ex studio, minus fit ab eo quod tollitur ; et ubi minus est, perfectum non potest dici. Ex hâc supputatione, illa summa nascitur : Monachum perfectum in patriâ suâ esse non posse. Perfectum autem esse nolle, delinquere est [1]. »

Legatur pariter et illud Tertulliani ratiocinium, quo ostendit nostrum Deum esse verum, non autem istum nescio quem hæreticorum :

« Talis est noster : meritò judex, quia Dominus ; meritò Dominus quia auctor ; meritò auctor, quia Deus. Hinc et ille nescio quis hæreticorum, meritò non judex, non enim Deus : meritò non Dominus, non enim auctor : nescio jàm si Deus, qui nec auctor, quod Deus, nec Dominus, quod auctor [2]. »

Et alibi, agens de bonitate et séveritate Dei contrà Marcionem :

« Illum, inquit, bonum judicas Deum, qui hominem possit magis malum facere securitate delicti ? Quis boni auctor, nisi qui et exactor ? proindè quis mali extraneus, nisi qui et inimicus ? quis inimicus, nisi qui et expugnator ? quis expugnator, nisi qui et punitor ? Sic totus Deus bonus est, dùm pro bono omnia est [3]. »

6° At melius forsàn erit *Interrogationibus* indulgere. In exemplum adducitur beatus Cyprianus ità Demetrianum alloquens :

« Quæ ergò mentis ignavia est, imò quæ desipientium cœca et stulta dementia, ad lucem de tenebris nolle venire, et mortis æternæ laqueis vinctos, spem nolle immor-

[1] S. Hieron. Epist ad Heliodor. — [2] Tertull. de Resurrect. carn. — [3] Id. lib. II adversùs Marcion. n. 13.

talitatis excipere? non metuere Deum comminantem et dicentem : *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli* [1]? ... Quid te ad falsos deos humilias et inclinas? quid antè inepta simulacra et figmenta terrena captivum corpus incurvas? Rectum te Deus fecit, et cùm cætera animalia prona et ad terram situ vergente depressa sint, tibi sublimis status, et ad cœlum atque ad Deum sursùm vultus erectus est. Illùc intuere, illùc oculos tuos erige, in supernis Deum quære. Ut carere inferis possis, ad alta et cœlestia suspensum pectus attolle. Quid te in lapsum mortis cum serpente, quem colis, sternis? quid in ruinam diaboli per ipsum et cum ipso cadis [2]? »

Narratâ Juliani apostatæ luctuosâ morte, multisque de providentiâ futuroque judicio delibatis, sic interrogando pergit sanctus Gregorius Nazianzenus :

« Hæ nostræ, hoc est, Galilæorum, hæ contemptorum et abjectorum hominum narrationes. Hæc nos, qui crucifixum adoramus : hæc piscatorum, et, ut ipsi aiunt, imperitorum discipuli. Hæc nos, qui cum vetulis sedemus et psallimus. Hæc nos, longis jejuniis confecti ac semianimes. Hæc nos, qui frustrà vigilamus, atque in nocturnis stationibus nugamur, et tamen vos prosternimus. Ubi sunt grammatici? ubi consiliarii? Libet enim ab indoctorum nostratium quodam, ut quidem vobis videtur, triumphalem hymnum mutuari. Ubi sacrificia, et sacra, et mysteria? ubi victimæ, tàm apertæ quàm occultæ [3]? ubi aruspicinæ ars, quæ laude ac prædicatione effertur? ubi præscientiæ vanitas, et ventriloquorum signa? ubi clara illa Babylon sermone celebrata, et universus terrarum orbis per exiguum et execrandum sanguinem cogitatione perceptus? ubi Persæ illi et Medi, qui manibus te-

[1] Exod. XXII, 20. — [2] S. Cypr. ad Demetrian. — [3] Isaï. XXXIII, 18, et I Cor. I, 20 et X, 20.

nebantur? ubi dii illi, qui præibant et qui comites erant, qui et antè, et unà pugnabant? ubi illa adversùs Christianos oracula, et minæ, nostrîque ad præstitutum diem, etiam ad ipsum usquè nomen, oppressio? Evanuêrunt omnes, irritæ fuêrunt, difluxêrunt, somnio similes extitêrunt impiorum jactationes[1]. »

7° Loquar-ne de *Subjectionibus*, quibus præcipitatis quæstionibus præcipitatæ adjunguntur responsiones, quales apud Osorium episcopum sic descriptæ reperiuntur, cùm ità de dispersis loquitur Judæis :

« Quam rem gerunt? quod scelus conflant? quæ maleficia suscipiunt, propter quæ à Deo, quem tàm propitium olim habebant omninò deserantur? Simulacris immolant? Imò eorum contactum perhorrescunt. Commentitios deos asciscunt? At eo nomine, quòd Deum colunt, efferuntur. Et id verum; sed moribus immanibus efferati sunt? At sibi summam laudem æquitatis et pietatis assumunt. Quid ergò est? Parùm-ne supplices ad Deum preces adhibent? Imò in precibus assidui sunt, nec tamen exaudiuntur. Si igitur nec simulacra colunt, nec vanos deos invocant, nec humanum sanguinem fundunt, nec se impiæ fraudis impuritate contaminant, cur illos Deus quos in fidem suam recepit, tàm diuturno tempore ope suâ destituit? Cur gentem illius numini consecratam tàm diuturnis plagis insequitur[2]. »

8° Nùm referam et *Sententiosum* genus, quo brevibus quasi decretis ostenditur, quid sit in vitâ, aut quid esse oporteat? Hæc S. Gregorius Magnus ex pharisæorum murmure contrà Dominum, quòd peccatores reciperet, philosophatur :

[1] S. Greg. Theol. Orat. v, n. 25. — [2] Osor. Episc. Hisp. lib. I de Sapient.

« Ex quâ re colligite, quia vera justitia compassionem habet, falsa justitia dedignationem [1]. »

Divus autem Cyprianus Sententiis pro rationibus ad confirmandam martyrum virtutem sic utitur :

« Neque persecutio sola metuenda est, et ea, quæ subruendis ac dejiciendis Dei servis apertâ impugnatione grassatur. Facilior cautio est, ubi manifesta formido est. Et ad certamen animus antè præstruitur, quandò se adversarius confitetur. Plùs metuendus est et cavendus inimicus, cùm latenter obrepit, quàm cùm per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit ; undè serpentis nomen accepit [2]. »

Idem sic confessores exhortatur, ut felicibus confessionis suæ initiis finem adjungant :

« Danda vobis opera est, ut post hæc initia ad incrementa quoquè veniatur, et consummetur in vobis, quod jàm rudimentis felicibus esse cœpistis. Parùm est adipisci aliquid potuisse ; plùs est quod adeptum est posse servare ; sicut et fides ipsa et nativitas salutaris, non accepta, sed custodita vivificat. Nec statim consecutio, sed consummatio hominem Deo servat [3]. »

9° Dicam-ne et de *Epiphonematibus*, quæ sunt quasi corollaria ex tractatis elicita, quibus sententiosè exprimitur rei narratæ admiratio, quale est istud :

Tantæ molis erat Romanam condere gentem 4.

Exemplum habes apud sanctum Sulpitium Severum, qui relatis ultimis beati Martini morientis vocibus hoc Epiphonema subjecit :

« O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit [5]. »

[1] S. Gregor. Magn. lib. II, Homil. XXXIV, n. 2. — [2] S. Cypr. de Unitat. Eccles. initio. — [3] S. Cypr. Epist. VI ad Rogatian. — 4 Virgil. Æneid. lib. I, vers. 33. — [5] S. Sulpit. Sever. in vitâ S. Martin.

Sanctus pariter Augustinus expositâ breviter beatissimi martyris Vincentii passione adjecit Epiphonemata, quæ insuperabilem Martyris constantiam mirè attollunt :

« Si consideretur in hâc passione humana patientia, incipit esse incredibilis : si agnoscatur divina potentia, desinet esse mirabilis. Tanta grassabatur crudelitas in Martyris corpore, et tanta tranquillitas proferebatur in voce : tanta pœnarum asperitas sæviebat in membris, et tanta securitas sonabat in verbis, ut putaremus, Vincentio patiente, alium non loquentium torqueri... Clariorem nobis Martyrem tormenta faciebant. Multiplici etiam vulnerum varietate confossus, non deserebat pugnam, sed acriùs iterabat. Putares, quod eum duraret flamma, non uereret[1]. »

Nullus autem in hoc genere sancto Ambrosio mirabilior, qui præsertim sanctam Agnetem virginem laudando, totus est in Epiphonematibus accumulandis hoc modo :

« Hodiè natalis est sanctæ Agnes ; hæc duodecim annorum Martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior crudelitas, quæ nec minusculæ pepercit ætati : imò magna vis fidei, quæ etiam ab illâ testimonium invenit ætate. Fuitne in illo corpusculo vulneri locus? Et quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret. At istius ætatis puellæ torvos etiam vultus parentûm ferre non possunt, et acu districta solent puncta flere, quasi vulnera. Hæc inter cruentas carnificûm impavida manus, hæc stridentium gravibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhùc nescia, sed parata : vel si ad aras invita raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrilegis focis trophæum Domini signare victoris : nunc ferratis colla manusque ambas inserere nexibus ; sed nullus

[1] S. August. Serm. CCLXVI, n. 2, 3.

tàm tenuia membra poterat nexus includere. Novum martyrii genus? Nondùm idonea pœnæ, et jàm matura victoriæ : certare difficilis, facilis coronari : magisterium virrutis implevit, quæ præjudicium vehebat ætatis. Non sic ad thalamum nupta properaret, ut ad supplicii locum læta successu, gradu festina Virgo processit, non intorto crine caput compta, sed Christo : non flosculis redimita, sed moribus. Flere omnes, ipsa sine fletu; mirari plerique quòd tàm facilè vitæ suæ prodiga, quam nondùm hauserat, jàm quasi perfuncta donaret. Stupere universi, quòd jàm divinitatis testis existeret, quæ adhùc arbitra suî per ætatem esse non posset... Quanto terrore egit carnifex, ut timeretur, quantis blanditiis, ut suaderet, quantorum vota ut sibi ad nuptias perveniret? At illa : Et hæc sponsi injuria est expectare placiturum. Qui me sibi prior elegit accipiet. Quid, percussor, moraris? Pereat corpus, quod amari potest oculis, quibus nolo. Stetit, oravit, cervicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset : tremere percussoris dexteram, pallere ora alieno timentis periculo, cùm puella non timeret suo. Habetis igitur in unâ hostiâ duplex martyrium, pudoris et religionis. Et virgo permansit, et martyrium obtinuit[1]. »

10° Nec de *Prolepsi*, quæ latinè *præsumptio*, vel *anticipatio* dicitur, silendum est. Hæc autem sermonis figura in eo consistit, quod præsuppositis audientium querelis Orator prudenter occurrit, ne, quæ dicuntur, aut arroganter, aut sordidè, aut minùs utiliter, aut asperiùs ac liberiùs dicta videantur. Nullus forsàn in hâc parte æqualis Chrysostomo, cujus sit in exemplum illæ cautiones, quas accusare volens eos qui subintroductas habebant mulieres, adhibere studet :

[1] S. Ambros. de Virgin. lib. 1, cap. 11, n. 7, 8, 9.

« Afferemus autem in medium, quam nos potissimùm causam suspicamur. Et quænam illa ? omninò, si à scopo aberravero, fas vobis esto ut me redarguatis. Et quænam causa ? Quis ille prætextus ? Videtur mihi mulieris convictus, non ex lege nuptiarum modò, sed etiam absquè nuptiis ac congressu, voluptatis habere nonnihil. Quòd si non rectè sentio, non possum dicere. Meam vobis sententiam narro, fortè autem non meam solùm, sed et illorum : nàm et illis sic videtur ; quod hìnc liquet. Tantam enim gloriam, et tanta scandala neutiquàm despicerent, nisi ingens quædam et vehemens cohabitandi voluptas esset. Quod si fortè succenseant quidam, quod hæc dicamus, precor ut nobis venia detur, absitque indignatio : neque enim libens ac temerè hanc inimicitiam susciperem. Non sum tàm miser ac ærumnosus, qui temerè omnes offendere velim : sed valdè doleo ac crucior, et gloriam Dei blasphemari intuens, et multorum salutem propter voluptatem hanc paulatim perire[1]. »

Et paulò inferiùs : « Hanc ego hujus contubernii causam suspicor : sed ne valdè succenseamus eis, neque difficiles simus et importuni. Nàm qui ægrum vult restituere, non hoc agit irâ et verberibus, sed offert pharmaca magnâ curâ, et blandâ adhortatione. Etenim si ab illis pœnas expetere nobis propositum esset, et si judicum ordinem teneremus, indignari oporteret ; sed si illo dimisso, medicorum et curare volentium munus suscipiamus, hortari, obsecrare, et si opus sit, genua tangere opus est, ut quod agendum suscepimus, perficiamus. Igitur quemadmodùm medici, qui ægros à cibo vel potu nocivo arcere cupiunt, licèt illa mixtam habeant voluptatem, antè omnia tamen persuadent inesse illis præter nocumenta etiam multùm insuavitatis : sic

[1] S. Chrys. in eos qui subintrod. habent mulier. n. 1.

et nos faciamus, commonstrando illis quod cohabitatio illa, quamvis suavis et jucunda videatur, perniciosa sit, et nihilo melior, quàm mortiferæ potiones. Et videtur quidem multam habere lætitiam, latet tamen multùm in eâ amaritudinis, quam animæ quæ voluptatibus oblectatur, infundit. Nàm qui persuasus discedit, securè discedit[1]. »

Ità et S. Hieronymus de stupendâ sanctæ Melaniæ animi fortitudine sermonem faciens, tali Anticipatione utitur :

« Sancta Melania nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, calente adhùc mariti corpusculo, duos simul perdidit filios. Rem dicturus sum incredibilem, sed teste Christo non falsam. Lacrymæ gutta non fluxit, sed ad pedes advoluta Christi : Expeditiùs, inquit, tibi, Domine, servitura sum, quia tanto me onere liberâsti[2]. »

Ità deniquè Theodoretus in vitâ sancti Simeonis Stylitæ, cùm inauditum vitæ genus narrare vellet, audientium animos hâc similitudine præoccupat :

« Quemadmodùm, inquit, ii, quibus obtigit ut essent reges hominum, post aliquam temporis conversionem mutant imagines nummorum, aliquandò quidem leonum exprimentes imagines, aliquandò autem stellarum, et aliquandò angelorum, novo charactere tentantes aurum reddere pretiosius : ità etiam summus Rex universorum (veluti quasdam figuras ac characteres) hæc nova, et multiplicia vivendi instituta pietati veræque Religioni adjiciens, non solùm Christianorum, sed infidelium etiam ad laudandum linguas excitat[3]. »

11° Videamus etiam quomodò res et personas *Descriptionibus* quasi depingant sancti Doctores. Pro Des-

[1] S. Chrys. in eos qui subintrod. habent mulier. n. 1. — [2] S. Hieron. Epist. XXII ad Paul. — [3] Theodoret. Vit. S. Simeon. Stylit.

criptionibus rerum habeas, quæso, hoc sancti Gregorii Nazianzeni fragmentum vitæ contemplativæ tranquillitatem describentis :

« Nihil mihi tàm optandum cuiquam esse videbatur, quàm ut occlusis sensibus atque extrà carnem mundumque positus, et in se ipsum collectus, nec, nisi quantùm necessitas exigit, quidquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse, et cum Deo colloquens[1], superiorem iis rebus, quæ in aspectum cadunt, vitam agat, divinasque species puras semper, nec terrenis ullis et errantibus formis admixtas, in se ipso circumferat, Deique ac rerum divinarum, purum omninò speculum sit, in diesque efficiatur, ac lucem per lucem excipiat, clariorem per obscuriorem : jàmque futuri ævi bonum spe percipiat, et cum angelis versetur, ac licèt adhùc in terris sit, terram deserat atque à Spiritu sursùm collocetur. Si quis vestrûm hoc amore correptus tenetur, quid dicam, intelligit, atque affectui ei, in quem tùm incidi, facilè ignoscet[2]. »

Nec minùs vividè divus Cyprianus quarumdam fœminarum lasciviam his verbis repræsentat :

« Quasdam non pudet nubentibus interesse, et inter illam lascivientem libertatem sermonum, colloquia incesta miscere ; audire, quod non decet ; quod non licet dicere : observare, et esse præsentes inter verba turpia et tumulenta convivia, quibus libidinum fomes accenditur, sponsa ad patientiam stupri, ad audaciam sponsus animatur. Quis illi in nuptiis locus est, cui animus ad nuptias non est? Aut voluntariæ illìc et lætæ esse quæ possunt, ubi et studia et vota diversa sunt? Quid illìc dicitur, quid videtur ? Quantùm à proposito suo virgo defuit, quandò

[1] 1 Cor. XIV, 28, ubi sic legitur : *Sibi autem et Deo loquatur.* — [2] S. Gregor. Theol. Orat. II, n. 7.

pudica quæ venerat, impudicior discedit? Corpore licèt virgo ac mente permaneat, oculis, auribus, linguâ minuit illa, quæ habebat. Quid verò, quæ promiscuas balneas adeunt? quæ oculis ad libidinem curiosis, pudori ac pudicitiæ corpora dicata prostituunt? quæ cùm viros atque à viris nudæ vident turpiter ac videntur, nonne ipsæ illecebram vitiis præstant? nonne ad corruptelam et injuriam suam desideria præsentium sollicitant et invitant? Viderit, inquis, quâ illùc mente quis veniat, mihi tantùm reficiendi corpusculi cura est, et lavandi. Non te purgat ista defensio, nec lasciviæ et petulantiæ crimen excusat. Sordidat lavatio ista, non abluit, nec emundat membra, sed maculat. Impudicè tu neminem conspicis, sed ipsa conspiceris impudicè. Oculos tuos turpi oblectatione non polluis, sed dùm oblectas alios, ipsa pollueris: spectaculum de lavacro facis, theatra sunt fœdiora, quò convenis : verecundia illìc omnis exuitur : simul cum amictu vestis, honor corporis ac pudor ponitur, denotanda et contractanda virginitas revelatur [1]. »

Sed excellentius adhùc exemplum reperies apud sanctum Gregorium Nyssenum, qui sic puerorum innocentium crudelissimam Stragem repræsentat :

« Quarè horrendum illud edictum emittitur, ut miselli puelli trucidarentur? quid maleficii commisêrunt? quâ re mortis ac supplicii causam adversùs sese præbuêrunt, quibus unum illud solum crimini datur, quod scilicèt nati sunt, et in lucem prodiêrunt. Atque hâc de causâ civitatem carnificibus repleri oportebat? Quis verò oratione calamitates delineaverit atque descripserit? quis antè oculos ponere narrando clades et funera possit, promiscuam illam lamentationem, flebilem concentum puerorum, matrûm, cognatorum, patrûm, ad carnificum

[1] S. Cypr. de Habit. Virg.

minas miserabiliter exclamantium? quomodò quis cum ense nudo carnificem juxtà infantem stantem, torvis ac cæde micantibus oculis intuentem, verbisque crudelibus alloquentem; matrem porrò ex alterâ parte puellum ad se trahentem, suasque proprias cervices ensis mucroni submittentem, ne suis oculis videat miserum filium carnificis manibus trucidari? quâ ratione quis affectus patrûm exposuerit, implorationes, exclamationes, gemitus, extremos filiorum amplexus: cùm multa etiam talia eodem tempore simul acciderent? quis multiplices ac varias calamitates, facies ac modos deploraverit, ut miser infans simul et mammæ adhæresceret, et per viscera letale vulnus acciperet? ut misera mater et papillam ori infantis admoveret, et sanguinem filii sinu exciperet? Sæpè antè alicubi carnifex, ruente manu, uno impetu gladii, filium unà cum matre transfixit, atque unum sanguinis flumen extitit, quod tàm ex maternâ plagâ, quàm ex letali vulnere filii commisceretur. Quoniam autem etiam hoc scelesta vox Herodis adjecit, ut non solùm adversùs modò genitos infantes funesta capitalisque sententia proferretur, verùm etiam si quis ad alterum annum progressus esset, ut is quoquè de medio tolleretur (scriptum est enim, *à bimatu, et infrà*,) videre erat matres non paucas, quæ eo temporis spatio duos filios enixæ fuerant. Quale igitur rursùs in talibus spectaculum erat, duobus circà matrem unam carnificibus occupatis, uno quidem prætercurrentem ad se trahente; altero verò eum, qui mammæ etiam nunc admoveretur, à sinu revellente? Quomodò miseram matrem hâc de causâ affecta fuisse credibile est, cùm adversùs duos filios natura quasi scinderetur, utroque æqualiter maternis visceribus ignem accendente, cùm ambiret, utrùm ex improbis carnificibus sequeretur, uno quidem

hìnc, altero autem illìnc ad cædem attrahentibus infantes? Accurrat-ne ad recèns natum, obscurum adhùc et indistinctum ploratum emittentem? At inhibetur ab altero jàm loquente, ac voce balbutienti matrem cum lacrymis implorante. Quid agat? quò evadat? quò se vertat? ad utrius vocem clamorem referat? utrius gemitui opploret? utrius morti illacrymabitur, cùm ex æquo naturæ stimulis utriusque urgeatur[1]?»

Nec possum temperare quin et hanc adhùc beati Gregorii Nazianzeni descriptionem referam, quâ sic ob oculos ponit Machabæorum matris constantiam ut eam non solùm agentem, sed et loquentem mirabiliter inducat:

« At verò strenua mater, et verè illorum tantâ et tali virtute præditorum parens, illa, inquam, præclara et magnanima legis alumna, priùs quidem gaudio simul ac timore afficiebatur, et anxia duos inter affectus hærebat. Nàm ut eorum fortitudine, atque iis quæ cernebat, delectabatur; ità rursùs, cùm incertum pugnæ eventum incredibilemque tormentorum magnitudinem secum reputaret, timore angebatur; ac proindè pullos suos, non secùs atque avicula, arrepente angue, aut aliâ quâpiam insidiosâ ferâ, circumvolabat, stridebat, obsecrabat, unà cum ipsis certabat. Quid enim tùm verbo, tùm opere non egit, ut illos ad victoriam paratiores alacrioresque redderet? Cruoris guttas rapiebat, fragmenta membrorum excipiebat, reliquias venerabatur; hunc colligebat, illum porrigebat, alium parabat. Omnibus acclamabat: Euge, filii mei, euge, strenui mei milites; euge, in corporibus fermè incorporei; euge, legis, canæque senectutis meæ, atque civitatis, quæ vos aluit, et ad eam virtutis magnitudinem evexit, præsidium ac propugnaculum. Paululùm adhùc, et vicimus. Defatigantur carnifices, hoc unum

[1] S. Gregor. Nyss. Serm. in Nat. Christ.

extimesco. Paululùm adhùc, et ego inter mulieres beata, et vos inter adolescentes beati. At fortassè matris vos desiderium angit? Nequaquàm vos deseram, hoc vobis polliceor : non tàm liberos meos odi[1]. »

Ad *rerum* Descriptiones adjungendæ sunt etiam descriptiones *morùm*, quod maximè proposito nostro accommodatur. Mirus est in hoc genere Cassianus, quorum hìc nonnulla rescribere nec inutile erit, nec injucundum. Ità illum depingit, qui morbo Acediæ laborat :

« Cùm hic dæmon miserabilem obsederit mentem, horrorem loci, fastidium cellæ, fratrum quoquè, qui vel cum eo, vel eminùs commorantur, tanquàm negligentium, ac minùs spiritualium aspernationem gignit atque contemptum. Ad omne quoquè opus, quod intrà septa sui cubilis est, facit desidem et inertem. Non eum in cellâ residere, nec operum sinit impendere lectioni, nihilque se proficere tanto tempore in eâdem commorantem erebriùs ingemiscit : et ab omni se dolet spiritali quæstu inanem in eo loco vacuumque consistere : utpotè qui cùm, posset etiam alios regere, ac prodesse plurimis, nullum ædificaverit, nec quemquam institutione suâ doctrinâque lucratus sit. Absentia longèque posita magnificat monasteria : loca etiam illa magis ad profectum utilia, et saluti congruentiora describit : consortia quoquè ibidem fratrum suavia, et plena spiritali conversatione depingit. E contrà, universa quæ habentur in manu, aspera : et non solùm ædificationem nullam esse in fratribus, qui morantur in loco, sed ne ipsum quidem victum corporis absquè ingenti labore conquiri. Postremò, non posse se salvari putat in eo loco durantem, nisi relictâ cellâ (cum quâ sibi, si adhùc eâ fuerit remoratus, pereundum erit,) exindè semetipsum quantociùs asportaverit. Deindè lassi-

[1] S. Gregor Theolog. Homil. xv, n. 8.

tudinem corporis, cibique esuriem, quintâ, sextâque horâ tantùm suscitat, ut velut longo itinere, gravissimoque labore confectus sibimet lassusque videatur : aut quasi refectionem cibi biduano jejunio triduanove distulerit. Tùm prætereà hùc illùcque anxius circumspectat, et nec fratrem sibi quempiam adventare suspirat : sæpiùsque egreditur et ingreditur cellam : ac solem, velut ad occasum tardiùs properantem, crebriùs intuetur. Et ità quâdam irrationabili mentis confusione, velut terra suppletur caligine, omnique actu spiritali redditur otiosus ac vacuus : ut nullâ re aliâ tantæ oppugnationis remedium, quàm visitatione fratris cujuspiam, seu somni solius solatio, posse æstimet inveniri. Deindè honestas idem morbus ac necessarias suggerit salutationes fratribus exhibendas, visitationesque infirmorum, vel eminùs vel longiùs positorum. Quædam etiam pia ac religiosa dictat officia : illos, vel illas debere parentes inquiri, et ad salutandos eos crebriùs properari : illam religiosam, devotamque Deo fœminam, omni præsertim parentum præsidio destitutam, magnum opus esse pietatis frequentiùs invisere : ac si quid ei sit necessarium, quæ à propriis parentibus negligitur atque despicitur, sanctissimum procurari, magisque oportere in his operam pietatis impendi, quàm infructuosè ac sinè ullo profectu in cellulâ residere[1]. »

Hactenùs Cassianus, qui non minùs vividè alibi exprimit superbi monachi mores et ingenium :

« Quisquis Superbiæ morbo fuerit occupatus, non solùm nullam subjectionis aut obedientiæ regulam custodire dignatur, verùm ne ipsam auribus quidem suis doctrinam perfectionis admittit : tantùmque concrescit in corde ejus spiritalis verbi fastidium, ut cùm fortè talis

[1] Joan. Cassian. lib. x de Acedià, cap. 2.

fuerit oborta collatio, uno in loco stare nesciat ejus obtutus: sed hùc illùcque stupidus circumferatur intuitus, et aliorsùm, atque in obliquum, quàm moris est, oculi defigantur. Pro suspiriis enim salutaribus sputa de sicco gutture contrahuntur; execrationes etiam sine ullâ interpellatione flegmatis provocantur, digiti ludunt, et in modum scribentis volitant, et ità hùc atque illùc universa membra corporis commoventur, ut dùm spiritalis agitatur collatio, totum se vel scatentibus vermibus, vel acutissimis sudibus credat insidere: et quidquid simplex collatio ad ædificationem protulerit audientium, ob suam suggillationem æstimet esse prolatum: totoque tempore, quo spiritalis vitæ examinatio ventilatur, suis suspicionibus occupatus, non quid indè ad profectum suum capere debeat, aucupatur, sed causas cur unumquodque sit dictum, sollicitâ mente perquirit: vel quid eis possit objicere, tacitâ intrà se cordis volutatione conjectat. Deindè post hæc, excelsa vox, sermo rigidus, amara et turbulenta responsio, incessus erectus ac mobilis, lingua facilis, procax loquela, nec unquàm taciturnitatis amica, nisi cùm contrà fratrem rancorem quemdam in suo corde conceperit: fitque silentium ejus non compunctionis, nec humilitatis ullius, sed superbiæ et indignationis indicium: ità, ut quid in eo detestabilius sit, haud facilè discernatur, utrùm diffusa illa petulansque lætitia, an dira hæc virulentaque taciturnitas. In illâ nàmque sermo non opportunus, risus levis ac fatuus, effrenata ac indisciplinata cordis elatio: in istâ verò ità plenum virulentumque silentium, et quod ob hoc tantùm concipitur, ut adversùs fratrem rancor taciturnitate servatus, protelari diutiùs possit, non ut ex eo virtus humilitatis ac patientiæ præbeatur. Et cùm ipse tumore possessus facilè cunctis tristitias inferat, atque ad satisfactionem læsi fratris semet-

ipsum submittere dedignetur, etiam ab illo sibimet oblatam respuit atque contemnit [1]. »

Ad illam descriptionem accedit hæc sancti Chrysostomi, inanem Gloriam sic delineantis :

« Hæc inanis gloria cum pernicie multam irrisionem inducit : antè supplicium illic futurum, mille hìc involvit malis. Et, si placet, ut hoc discas, cœlos interim mittentes, à quibus nos ejicit, et gehennam, in quam injicit, rem omnem, ut hìc geritur, examinemus. Quid igitur illâ sumptuosius, quid turpius et difficilius fuerit? Quod sumptuosus sit morbus ille, palàm est ex illis qui in theatris, in circo, inque aliis similibus intempestivis largitionibus pecunias impendunt : ex iis qui domos splendidas et magnificas struunt, aliaque omnia quæ largiter et inutiliter apparant, quæ non jàm sermone percensere animus est. Quòd autem necesse sit, ut is qui tàm sumptuosus et magnificus est et hoc morbo laborat, rapax etiam sit et avarus, nemini non notum est. Ut enim possit feræ escam præbere, in aliorum facultates manus injicit. Et quid dico, facultates? Non enim pecunias solùm, sed etiam animas hic ignis devorat; nec præsentem tantùm, sed etiam futuram mortem operatur. Mater enim gehennæ est inanis gloria : ignemque illum vehementer accendit ac vermem venenatum. Videre est etiam illam in mortuos imperium obtinentem; quo quid pejus fuerit. Nàm alii omnes animi affectus morte dissolvuntur : hic autem etiam post mortem vim infert, ac contendit suam ostendere naturam in mortuo corpore. Cùm enim splendida sepulcra, quæ omnem ejus substantiam absumant, morientes sibi erigi curent, et in sepulturâ luxum multum apponi studeant; etiamsi viventes pro obolo et pane uno accedentes pauperes contumeliâ affecerint, et morientes

[1] Joan. Cassian. lib. XII de Superb. c. 27.

lautam vermi apponant mensam ; quem alium excessum quæras in hujus morbi tyrannide? Ab hoc etiam malo absurdi nascuntur amores. Multi enim non vultûs formâ, nec concubitûs cupiditate, sed quòd velint sese jactare dicereque, Hanc et illam decepi, in fornicationem delapsi sunt.

» Ecquid opus est alia recensere, quæ indè pullulant mala? Mallem mille barbarorum servus fuisse, quam vanæ semel gloriæ. Nihil enim barbari servis imperant simile iis quæ vana gloria subditis præcipit. Omnium esto servus, inquit illa, etiamsi te splendidiores, etiamsi te viliores sint, despice animam, neglige virtutem, deride libertatem, salutem tuam immolato ; si quid boni facias, non ad Deo placendum hoc facias, sed ut te multis ostentes, et perdas coronam iis debitam. Si eleemosynam feceris, si jejunaveris, laborem quidem sustine, sed lucrum perdere curato. Quid his præceptis crudelius fuerit? Hinc invidia ortum habet, hinc arrogantia, hinc mater omnium malorum avaritia. Turba quidem famulorum, aurigeri barbari, parasiti, adulatores, currus argento conspicui, et alia his ridiculiora, non ad voluptatem, non ad usum sunt, sed ad vanam gloriam tantùm [1]. »

Divus autem Bernardus Detractorum mores, qui, quodam simulato verecundiæ fuco, conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur, describit his verbis :

« Videas à Detractore alta suspiria præmitti, sicque cum quâdam gravitate et tarditate, vultu modesto, dimissis superciliis, et voce plangenti egredi maledictionem, tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt, corde invito et magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quòd diligo

[1] S. Chrys. in Epist. ad Rom. Homil. XVII, n. 3, 4.

eum, ut scitis, et nunquàm potui de hâc re corrigere eum. Et alius : Mihi quidem, ait, benè compertum fuerat de illo istud; sed per me nunquàm innotuisset, at quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum : dolens dico, reverà ità est. Et addit : Grande damnum; nàm aliàs quidem in pluribus valet, cæterùm in istâ parte, ut verum fateamur, excusari minimè potest [1].»

Sanctus verò Hieronymus fictam sic repræsentat Humilitatem :

« Fictam humilitatem fugiens, illam sectare, quæ vera est, quam Christus docuit, in quâ non sit superbia inclusa. Multò enim hujus virtutis umbram, veritatem pauci sequuntur. Perfacile est aliquem habere vestem contemptam, salutare submissiùs, manus et genua deosculari, inclinato in terram capite, oculisque dejectis, humilitatem atque mansuetudinem polliceri, lentâ voce tenuique sermones infringere, suspirare crebriùs, et ad omne verbum peccatorem ac miserum se clamare; sed si vel levi sermone offensus fuerit, continuò videbis attollere supercilium, levare cervicem, et delicatum illum orationis sonum insano clamore repentè mutare [2]. »

Vis autem Invidiam graphicè depictam contemplari, lege hoc sancti Chrysostomi admirabile inventum :

« Multi flent cum flentibus, nec gaudere volunt cum gaudentibus; sed aliis gaudentibus lacrymantur, id quod ex invidiâ et livore proficiscitur. Non parvum ergò officium est, fratre gaudente, gaudere; sed et altero præstantius; non tantùm illo officio flendi cum flentibus; sed etiam illo alio, quo fratres in periculo constitutos juvamur. Multi nàmque cum periclitantibus periculum subeunt; sed fratribus prosperè agentibus mordentur, et cruciantur : tanta est invidiæ tyrannis. Licèt illud cum labore et su-

[1] S. Bernard. suprà Cantic. Serm. XXIV, n. 4. — [2] S. Hieron. in Epist

dore perficiatur ; hoc autem ex proposito et ex solâ voluntate proficiscatur. Attamen multi quod molestius est ferentes, quod facilius erat non perficiunt, sed tabescunt et pereunt, cùm vident alios clarè et prosperè agentes ; cùm Ecclesiam cernunt totam aut verbo aut alio quodam modo juvari, et rem benè gerere ; quo quid deterius fuerit ? Neque enim cum fratre tantùm, sed etiam cum voluntate Dei pugnat qui talis est. Hoc ergò considerans ; compesce morbum hunc : etsi non proximum vis, saltem te ipsum à sexcentis erue malis. Cur bellum infers in cogitationes tuas ? cur tumultu animam reples ? cur tempestatem excitas et res susdequè vertis ? quomodò sic affectus peccatorum veniam petere valebis ? Nàm si Deus peccata non remittit iis, qui sibi illatas injurias non remittunt, quam veniam dabit iis, qui nihil se lædentibus damna inferre conantur ? Illud certè extremæ nequitiæ argumentum est : qui tales sunt, cum diabolo Ecclesiam oppugnant. Fortassè verò longè deterius malum est : à diabolo enim cavere possumus ; hi autem amicitiæ larvam ferunt, clàm ignem succendunt, seque primos in caminum injiciunt, et morbo premuntur, qui non modò misericordiam movere nequeat, sed etiam multum risum excitet. Cur pallescis, quæso, tremis et formidolosus es ? Quid mali accidit ? Quòd clarus frater sit, quod splendidus et probatus ? Atqui te coronam assumere oportebat, gaudere, Deo gloriam referre, quod membrum tuum splendidum et illustre sit. Sed doles quod Deus glorificetur. Vides-ne quo tendat bellum ? At non doleo, inquies, quòd Deus, sed quòd frater gloriâ afficiatur. Verùm per hunc ad Deum gloria ascendit, et bellum etiam à te exortum. At non hoc mihi displicet, inquies, sed per me vellem Deum gloriâ affici. Ergò gaude, florente fratre, et per te Deus glorificabitur, omnesque dicent : Benedictus Deus

qui tales habet famulos, invidiâ omni liberos, qui de aliorum bonis mutuò gaudent. Et quid dico fratrem? Si enim inimicus esset et hostis, ac Deus per illum glorificaretur, ob id amicum illum tibi facere oporteret. Tu verò amicum facis tibi inimicum, quia Deus per illius clara gesta glorificatur. Si quis corpus tuum ægrum curaverit, etsi inimicus fuerit, inter præcipuos amicos illum posteà habebis. Illum verò, qui corpus Christi, id est, Ecclesiam, ornat, amicum tibi, inimicum ideò reputas? Et quomodò possis clariùs contrà Christum bellum suscipere? Ideò etsi quis miracula patret, etsi virginitatem et jejunium servet, humi cubet, et sic ob virtutem ad angelos usquè perveniat, si hoc vitio laboret, omnium scelestissimus erit, et mœcho, fornicatore, fure, sepulcrorum effossore pejor.

» Et ne quis me damnet, quod rem ultrà modum tollam, illud libens vos interrogaverim: si quis ignem et ligonem tenens, hanc ædem incenderet, aramque suffoderet, annon ut sacrilegus et scelestus lapidibus obrueretur? Quid verò, si quis flammam ferat hoc igne voratiorem, Invidiam dico, quæ non ædificia diruit, non auream aram suffodit, sed quod et parietibus et arâ longè pretiosius est, doctorum ædificium subvertit et pessumdat, quâ ille veniâ dignus erit? Ne mihi quis dixerit, quòd sæpè conatus non potuerit. Nàm à voluntate res judicantur. Quandoquidem Saül Davidem interfecit, etiamsi rem non perfecerit. Annon cogitas, quæso, te ovibus Christi insidiari, quandò cum pastore pugnas, ovibus, inquam, pro quibus sanguinem suum Christus effudit, et omnia nos facere et pati jussit? Non recordaris, quod Dominus tuus gloriam tuam quæsierit, non suam? Tu verò non illius gloriam, sed tuam quæris. Atqui si illius gloriam quæreres, tunc tuam consequereris: dùm verò illâ post-

habitâ tuam quæris, nunquàm hanc assequeris : quænam erit hujus morbi medela ? Conjunctim omnes precemur, unamque pro illis emittamus vocem, quasi pro energumenis. Nàm hi miserabiliùs affecti sunt, quàm illi : quia furor ille ex proposito manat. Precatione quippè opus habet hic morbus, et multâ supplicatione. Nàm si is qui fratrem non amat, si pecunias effundat, si martyrio illustretur, nihil magis proficit ; qui bellum infert ei, qui nihil sibi mali intulit, cogita quanto sit supplicio dignus. Hic gentilibus deterior est. Nàm si, cùm nos amantes diligimus, nihil plùs habemus, quàm illi : qui amantibus se invidet, quo, quæso, in loco erit ? Bello namquè perniciosior est invidia. Nàm qui bellum gerit, causâ belli sublatâ, inimicitiam deponit ; invidus autem nunquàm poterit amicus esse. Ille quidem manifesto bello impetit, hic occulto ; ille causas multas et probabiles suscepti belli proferre potest ; hic nonnisi furorem et satanicam voluntatem. Cui ergò talem animam comparaveris ? cui viperæ ? cui aspidi ? cui vermi ? cui cantharo ? Nihil enim scelestius, nihil deterius hujusmodi animâ. Hoc enim, hoc, inquam, ecclesias subvertit, hoc hæreses peperit, hoc fraternam armavit manum, et effecit ut in sanguine justi dextera mergeretur, legesque naturæ pessumdedit, et morti portas aperuit, ac maledictionem illam ad opus deduxit ; nec permisit ut infelix ille recordaretur partûs sui, neque parentûm, neque alterius cujusquam, et tanto furoris insaniæque æstu movit, ut hortante Deo ac dicente : *At sub te erit appetitus ejus et tu dominaberis illius*[1], ne sic quidem cederet ; atqui et crimen illi remisit, et fratrem ipsi subjecit. Verùm ità insanabilis est hic morbus, ut etiam mille adhibitis pharmacis, saniem semper emittat. Cur enim doles, ô omnium miserrime ! quòd ho-

[1] Gen. IV, 7.

noratus sit Deus? At hoc est animi satanici. An quòd frater admodùm acceptus fuerit? Sed licet tibi eum superare. Itaquè si vincere velis, ne occidas, ne de medio tollas; sed sine manere, ut certaminis occasio servetur, et viventem supera. Sic enim splendida tibi corona futura est. Nunc autem si occidas, majorem contrà te calculum feres, quàm si victus esses. At nihil horum Invidia novit. Cur autem gloriam amas in tantâ solitudine? Ipsi namquè soli tunc terram habitabant. At nihil horum ipsam cohibuit; sed omnibus ex animo rejectis, cum diabolo stetit et aciem instruxit : nàm ille tunc duxerat cum Caïno. Quia enim non sufficiebat illi quòd homo mortalis esset effectus, ex mortis etiam modo majorem tragœdiam efficere tentabat, et persuasit illi ut fratrem occideret. Festinabat enim et desiderabat videre sententiam in opus deductam, qui nunquàm nostris satiatur malis; ac si quis inimicum vinctum habens, et sententiâ damnatum ad mortem videns, antequàm ex urbe exeat, festinet ut illum intùs mortuum videat, nec congruens tempus expectet; sic et diabolus tunc : etsi audisset hominem in pulverem esse reversurum[1], cupiebat aliquid ampliùs videre, filium nempè antè patrem morientem, et fratrem occidentem fratrem suum, immaturam item et violentam mortem.

» Vides-ne ad quantas res inservierit Invidia? Quomodò insatiabilem diaboli animum impleverit, tantamque illi mensam apposuerit, quantam ille videre cupiebat? Fugiamus ergò hunc morbum. Non possumus enim, non possumus utiquè ignem illum effugere paratum diabolo, nisi ab hâc ægritudine liberemur[2]. »

Non minùs vividè Avarum depingit sanctus Doctor, Avaritiæque morbum, ità scribens :

« Quid de Avaro dicamus? Nonne et ipse talis est? Quis

[1] Gen. III, 19. — [2] S. Chrys. in Epist. ad Rom. Homil. VII, n. 5-7.

eum ligare unquàm poterit? Nonne terrores, non minæ, non monita, non consilia? Verùm hæc omnia ille vincula rumpit. Et si quis soluturus à vinculis accedat, adjurat eum ne solvatur; cruciatum maximum existimans non esse in cruciatu : quo quid miserabilius dicatur? Ille namquè dæmon, etsi homines despiceret, at Christi jussui cessit, et citò à corpore abscessit; hic verò non cedit præcepto : nàm licet quotidiè audiat illum dicentem : *Non potestis Deo servire et mammonæ* [1], etsi gehennam comminetur et intolerabilia supplicia, non obtemperat tamen, non quòd Christo sit fortior, sed quòd Christus nos non invitos ad resipiscentiam ducat. Ideòque illi quasi in desertis versantur, etiamsi in mediis sint urbibus. Quis enim mente valens possit cum hujusmodi hominibus versari? Mallem certè cum sexcentis dæmoniacis habitare, quàm cum uno hoc laborante morbo : quodque ità loquens non aberrem, probatur ex iis quæ utrinquè patiuntur. Hi namquè eum, qui se nihil læsit, inimicum sibi putant, voluntque eum, qui liber est, servum suum esse, utin malis innumeris involvant : dæmoniaci verò nihil aliud mali faciunt, quàm quod morbum in se retineant. Illi multas subvertunt domos, idque peragunt, ut nomen Dei blasphemetur, ac pernicies sunt et urbis et orbis universi; hi verò à dæmonibus exagitati, miseratione et lacrymis digni sunt. Hi certè sinè ullo sensu multa faciunt : illi ratione præditi impingunt, in mediis urbibus debacchantes, et novo quodam furore correpti. Quid enim tale faciunt dæmoniaci omnes, quale ausus est Judas, extremam aggressus iniquitatem? Certè omnes qui illum imitantur, sunt quasi feræ immanes ex carceribus elapsæ : civitates perturbant, nemine cohibente. Hi tamen vinculis undiquè constringuntur, qualia sunt, judicum terror, legum com-

[1] Matth. VI, 24, et Luc. XVI, 13.

minationes, vulgi maledicta, et alia plurima. His tamen illi diruptis omnia susdequè vertunt. Quòd si quis hæc vincula auferret, is dæmonem illos occupantem clarè cognosceret, qui certè multo et acrior et ferocior est eo qui nunc egressus narratur.

» Verùm quia id fieri nequit, verbo tamen tenùs ista fingamus, et catenas ejus omnes auferamus; tunc ejus furorem liquido sciemus. At feram à nobis nudatam ne formidetis : in verbo namquè tota scena consistit, neque in rei veritate idipsum conspicimus. Sit itaquè homo quispiam, ignem ab oculis emittens, niger, qui in utroque humere dracones pendentes loco brachiorum habeat. Os habeat in quo pro dentibus gladii sint infixi, pro linguâ fons virus venenumque emittens. Venter ejus omni fornace sit voracior, quæ omnia injecta deglutiat; pedes alis instructi et flammâ quâvis vehementiores; vultus ejus canis et lupi speciem referat : non humanam vocem emittat, sed quid insuave, injucundum, terribile : in manibusque flammas habeat. Horrenda forsàn vobis hæc videantur. Sed nondùm illum uti par erat depinximus : his quippè alia sunt addenda. Obvios quosque jugulet ac devoret, carnes laceret. Hoc monstro deterior est Avarus; quasi infernus omnes invadit, omnia devorans, communis humani generis hostis circumiens. Nullum quippè vult superesse hominem, ut omnia possideat. Neque hic tamen sistit gradum, sed postquàm omnes cupiditate suâ perdidit, terræ substantiam cupit abolere, illamque in aurum versam videre : neque tantùm terram, sed montes, saltus, fontes et omnia quæ sub aspectum cadunt. Atque ut discatis nos nondùm ejus furorem totum demonstravisse : nemo sit qui illum accuset et terreat, sed tolle formidinem legum, et videbis illum, arrepto gladio, omnes trucidantem, nemini parcentem, non amico, non cognato, non

fratri, non patri. Imò verò non opus est nobis illâ hypothesi, sciscitemur ab eo annon ille hujusmodi res in cogitatione verset, annon omnes animo invadat, annon trucidet amicos, cognatos et progenitores. Imò verò nulla interrogandi necessitas, cùm nemo nesciat eos, qui hoc tenentur morbo, senectutem patris sui ægrè ferre, et quod aliis dulce optabileque est, nempè filios habere, onerosum existimare. Multi enim hâc de causâ orbitatem sunt adepti, naturamque sterilem reddidêrunt, non modò natos occidentes, sed etiam ne nascerentur efficientes. Ne miremini itaquè si Avarum illâ formâ depinxerimus : nàm longè adhùc deterior est, quàm diximus[1]. »

Huic Descriptionum generi proximè accedunt *graphicæ personarum Imagines,* quâ famosi cujusque viri quasi effigies proponitur. Arium ità depingere satagit idem sanctus Gregorius Nazianzenus :

« Fuit quondàm illud tempus, cùm ad hæreseum procellis tranquilla omnia habebamus, cùm videlicet Simones, et Marciones, et Valentiniani, et Basilidæ, et Cerdones, Cerinthi etiam, et Carpocrates, atque omnes illorum nugæ ac præstigiæ, posteaquàm rerum omnium Deum per diuturno tempore secuissent, bellumque pro bono adversùs Creatorem gessissent, suomet tandem, ut æquum erat, profundo absorptæ, ac silentio traditæ fuêrunt. Nàm Montani quoquè malus spiritus, et Manis tenebræ, et Novati temeritas aut puritas, et Sabellii mala monarchiæ assertio, cesserant, seseque subduxerant, altera nimirùm in contrariam partem secreta, altera prorsùs etiam ob ipsius imbecillitatem contempta atque projecta. Nec verò quidquam aliud Ecclesiæ molestiam exhibebat. Nàm persecutiones illustriorem quoquè ipsam splendidioremque per supplicia reddebant. Non multùm

[1] S. Chrys. in Matt. Homil. xxvii, n. 4, 5.

autem temporis intercessit, cùm altera tempestas adversùs Ecclesiam excitatur, id est, ille injustitiæ turbo, illud impietatis complementum, illa *spirituum legio*[1], illa Christi adversaria lingua, illa *iniquitatem in excelsum locuta*[2] mens, ille divinitatis sector, cujus gravis quidem et horrendus conatus, gravior autem magisque horrenda mors, et Judæ proditione digna, quàm ille adversùs nostræ salutis auctorem moliri ac perpetrare non dubitavit: Arius, inquam, à furore pulchrè nomen habens. His cùm ab Alexandrinâ civitate initium duxisset, illìcque pestiferum dogma in se concepisset, ac deindè, immitis cujusdam et rapidæ flammæ instar, ab exiguâ scintillâ magnam orbis terrarum partem percurrisset, tandem à patribus nostris, pioque illo numero qui tùm Nicæam se contulit, certisque finibus ac verbis divinitatis doctrinam circumscripsit, oppressus et extinctus est[3]. »

Nemo est sanè qui nesciat quibus coloribus idem beatus Doctor sacrilegum depingat Julianum :

« Provinciarum, inquit, imperia non optimis et moderatissimis, sed crudelissimis hominibus mandabantur : atque ad honorem ac dignitatem aliquam obtinendam unum suffragium erat, à fide defectio; et ut ab eo dona consequerentur, qui sibi ipsis pessimè consulissent. Quid causarum immutationes inflexionesque commemorem, quæ plerumquè interjectâ duntaxàt unâ nocte commutabantur ac convertebantur, non secùs ac fluctuum reciprocationes; quandoquidem et jus dicere volebat vir egregius, omnia videlicèt ob gloriæ studium sibi arrogans? Parva fortassè et perquàm exigua crimina colligere videar, ac maximis per exigua dedecus inferre. Cæterùm illud fatendum est, hæc Elysiis campis minimè digna esse, nec eâ, quâ illìc

[1] Luc. VIII, 30. — [2] Psal. LXXII, 6. — [3] S. Greg. Theol. Orat. XXV, num. 8.

Radamanthus fruitur, gloriâ[1]; quâ parte dignum eum censent, qui ejusdem sunt sodalitii atque ordinis. Hoc unum ex illius rebus habeo quod admirer : nàm multos quidem eorum, qui ipsi noti ac familiares fuerant, ac præsertim ex Asiaticis scholis, summo studio, quasi mirificis quibusdam beneficiis eos ornaturus, accersebat, ac spe animos eorum erigebat, vetera ipsius promissa in memoriam revocantes. At cùm adessent, hoc illud videlicèt calculorum præstigiæ, et oculorum ludificationes ; hos enim hoc modo, illos alio eludens ; quosdam etiam mensa comiter accipiens, ac multùm illud, *Sodalis*, propinans, et pro aliâ quâdam illecebrâ diducto gutture clamitans, infectis tandem rebus dimittebat, haud satis constitutum habentes, illius-ne fraudem magis, an suam ipsorum levitatem accusarent.

« Illud verò annon in philosophi hujus doctrinâ laudabile, quòd adeò ab irâ alienus erat, ac turbulentis animi permotionibus sublimior ; instar nimirùm eorum regum ac imperatorum, qui tranquillitatis et constantiæ laude quondàm florebant, nec etiam si quid molestiæ ipsis accidisset, vultum tamen ullo modo immutabant, aut perturbationis vestigium ostendebant ; ut quòd, dùm judicis munére fungeretur, aulam clamoribus ac strepitu impleret, non aliter ac si ipse esset, cui vis et damnum inferretur, ac non aliis potiùs hæc patientibus succurreret? Hæc certè ne oratione quidem complecti velimus. Hoc autem eccui ex omnibus ignotum est, quòd multos etiam è rusticioribus, qui ad eum publicè accedebant, ut eorum, quæ populi ab imperatoribus petere solent, aliquid consequerentur, ità mulctabat, palàm pugno feriens, calcibusque impetens, ut præclarè secum actum putarent, quòd atrocius aliquid minimè passi essent?

[1] Virg. Æneid. vi.

» Jàm sufflationes et reflationes, quas admirandus ille vir, doctrinæque nostræ suggillator, vetulis mulierculis in contrarium ostentabat, altaris ignem accendens, quo tandem orationis loco ponemus? Præclarum enim profectò erat, cernere imperatoris romani buccas indecorè tumentes, ac excitantes ingentem risum, non externis tantùm, sed iis etiam, quibus hâc ratione placere se putabat. Minervam autem deam suam non audiebat, quæ tibias execrata dicitur, posteaquàm, aquis speculi vice usa, eas dedecori sibi esse perspexit. Propinationes verò, et pocula, quibus meretrices palàm publicèque provocabat, vicissimque provocabatur, mysterii obtentu petulantem libidinem obvelans, quis non laude et admiratione prosequatur?

» Hæc aliis quidem experientia ipsa, et dominatio licentiam adepta, declaravit : à me autem longè antè perspecta quodam modo fuêrunt, ex quo Athenis cum eo versatus eram. Nàm illùc quoquè statim post ea, quæ adversùs fratrem designata fuêrunt, profectus est, ab imperatore hoc ipsum deprecatus. Duplicem autem eo proficiscendi causam habebat; unam honestiorem, ut Græciam ejusque scholas viseret: alteram tectiorem, paucisque notam, ut regionis ipsius aruspices et impostores, qui illìc erant, de rebus suis consuleret, impietate videlicèt nondùm libertatem ac fiduciam adeptâ. Tunc igitur me non malum de hoc viro conjectorem fuisse memini, quanquàm alioqui non ex eorum numero sim, qui in hujusmodi rebus sciti atque ingeniosi sunt. Sed me morum ac gestûs ipsius inæquabilitas, atque ingens quædam mentis emotio, vatem efficiebat; siquidem vates ille optimus est, qui rectè conjicere novit. Neque enim mihi boni quidquam significare videbantur, cervix minimè firma, humeri quos subindè agitabat et attollebat, oculus vagus et oberrans,

ac furiosus obtutus, pedes instabiles et titubantes, nasus contumeliam et contemptum spirans, vultûs configurationes ridiculæ idem significantes, risus immoderatus et exæstuans, nutus et renutus omni ratione carentes, sermo hærens spirituque intercisus, interrogationes inordinatæ et imperitæ, responsiones his nihilo meliores, aliæ in alias insultantes, non sibi constantes, nec eruditionis ordine progredientes.

» Quid singula describere necesse est? Talem antè opera conspicatus sum, qualem in operibus posteà deprehendi. Quòd si qui ex iis, qui tùm simul erant, atque audiebant, mihi nunc præstò essent, haud ægrè testimonium exhiberent. Ad quos, ut hæc conspexi, statim his verbis usus sum : Quantum malum sibi alit romanum imperium! præfatus licèt, ac mihi, ut falsus vates essem, imprecatus. Præstabilius enim id fuerat, quàm tantis malis orbem terrarum impleri, taleque monstrum existere, quale nunquàm anteà visum fuerat; etiamsi alioqui diluvia multa, et incendia multa, terræque velut ebullitiones, et hiatus, ac multi insuper crudelissimi homines, belluæque prodigiosæ, et ex variis generibus conflatæ, quas natura novo more produxit, sermone jactantur [1]. »

12° *Antitheses* dicuntur illæ dicendi rationes, quibus verba verbis concinnè opponuntur, sicut in hoc Eusebii, ut malè dicitur, Emisseni sermone, de Resurrectione corporum disputantis.

« Ipsa caro honoratur præmiis, quæ est probata suppliciis : ipsa in muneribus gaudebit, quæ in doloribus triumphavit : quæ ideò tolerabiliter doluit se afflictam, quia fideliter credidit reformandam [2]. »

[1] S. Gregor. Theol. Orat. v, n. 19-24. — [2] S. Euseb. Emissen. seu qui lib. alius sub ejus nomine, Serm. de Resur. carn.

Vide, quæso, quomodò sanctus Ephræm inducat peccatorem in die judicii lamentationes effundentem :

« Hei ! mihi misero atque infelici ! quomodò hâc sum privatus gloriâ, et à sociis amicisque meis propter mala ac stulta opera mea privatus? Reverà justum est Dei judicium ; et meritò jàm patior. Nàm illi in summâ abstinentiâ vivebant : ego autem convivia ac prandia sectabar. Illi divinas laudes canebant : ego autem tacebam. Illi precibus intenti erant : ego verò mente vagâ distrahebar. Illi se ipsos humiliabant, ego verò superbiebam. Illi se ipsos despiciebant : ego verò mihi placebam. Illi lacrymas profundebant : ego verò ridebam. Ideò nunc illi gaudent atque exultant : ego autem in luctu ac dolore versor. Illi lætantur : ego verò plango. Illi cum Christo in sempiterna regnant sæcula : ego autem cum antichristo in ignem æternum mittor. Væ mihi infelici? Quid mihi accidit? quantorum bonorum jacturam feci, ut modico hic tempore voluntatem diaboli peragerem? Nunc agnosco unumquemque secundùm opera sua recipere. Nunc agnosco me à vanissimo mundo illusum ac supplantatum esse. O quibus quantisque me bonis privavi ! et quam confusionem, et quanta mihi ipsi mala conciliavi [1] ! »

Hoc eodem dicendi genere usus est sanctus Fulgentius ità de Epiphaniâ Domini disserens :

« Traditum tenemus à patribus quod Unigenitus Dei, postquàm est secundùm carnem temporaliter natus, in isto die est Magis venientibus manifestatus, à quibus, oblatis muneribus, suppliciter est adoratus. Quid est, Fratres, ut isti Magi Regem Judæorum adorandum quærerent, cùm ipsi Judæi non essent? Et quem Regem? utiquè non Herodem, sed Christum. De Herode filii jàm fuerant nati;

[1] S. Ephrem. Serm. de compunct. animæ, n. 8.

qui erant, patre mortuo, regnaturi. Mortuo Herode, Archelaüs regnavit. Archelaüs natus est in palatio, Christus in diversorio : Archelaüs natus, in lecto est argenteo positus ; Christus autem natus, in præsepio est brevissimo collocatus : et tamen ille natus in palatio, contemnitur ; iste natus in diversorio, quæritur : ille à Magis nullatenùs nominatur ; iste inventus, suppliciter adoratur. Quis est iste Rex Judæorum ? pauper et dives, humilis et sublimis : qui portatur ut parvulus, adoratur ut Deus : parvulus in præsepio, immensus in cœlo : vilis in pannis, pretiosus in stellis. Quid est quòd sic turbaris Herodes ? Rex iste qui natus est, non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare : nec ideò natus est ut tibi succedat, sed ut in eum mundus fideliter credat. Venit ergò, non ut pugnet vivus, sed ut triumphet occisus. Puer qui nunc à Magis dicitur Rex Judæorum, idem Creator est et Dominus angelorum. Quapropter, cujus times infantiam nascentis, magis timere debes omnipotentiam judicantis. Noli ergò eum timere regni tui successorem, sed time infidelitatis tuæ justissimum damnatorem [1]. »

Cùm verò divus Augustinus hoc loquendi genere præsertim usus, et aliquandò etiam, quod cum illius pace dicere præsumo, abusus fuerit, libet nonnulla ejus exempla referre, quæ sanctus Prosper Aquitanus annotavit atque collegit. Sic igitur ait :

« Lex data est, ut gratia quæreretur : gratia data est, ut lex adimpleretur : quæ non vitio suo non poterat impleri, sed vitio prudentiæ carnis. Quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam fuit sanandum. » *Idem* : « Divina bonitas ideò maximè irascitur in hoc sæculo, ne irascatur in futuro ; et misericorditer temporalem adhibet severitatem, ne æternam justè inferat

[1] S. Fulgent. Serm. in Epiph. IV.

ultionem. » *Idem* : « Vera confessio est benedicentis, cùm idem sonus est et oris et cordis. Benè autem loqui, et malè vivere, nihil aliud est, quàm suâ se voce damnare. » *Idem* : « Hoc affectu et desiderio colendus est Deus, ut sui cultûs ipse sit merces. Nàm qui Deum ideò colit, ut aliud magis quàm ipsum promereatur, non Deum colit, sed illud, quod assequi concupiscit. » *Idem* : « Iniquus puniri se ignorat, nisi, cùm manifesto supplicio senserit nolens, quantùm mali sit, quod perpetravit volens. » *Idem* : « Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit. Non enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaquè multùm curandum necessariò morituris, quî accidat ut moriantur, sed moriendo quonàm ire cogantur. » *Idem* : « Justis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non pœna est criminis, sed virtutis examen. Nàm bonus etiamsi serviat, liber est : malus autem etsi regnet, servus est : nec unius hominis, sed (quod est gravius) tot dominorum, quot vitiorum. » *Idem* : « Diabolus superbus hominem superbientem perduxit ad mortem; Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia sicut ille elatus cecidit, et dejecit consentientem, sic iste humiliatus surrexit, et erexit credentem. » *Idem* : « In rebus spiritualibus cùm minor majori adhæret, sicut Creatori creatura, illa fit major, quàm erat, non ille; et hoc est majus esse quod est melius esse : quia adhærens creatura Creatori, non mole auctior, sed virtute fit major. » *Idem* : « Omnes beati habent, quod volunt. Miseri autem sunt, qui vel non habent, quod volunt, vel id habent, quod non rectè volunt. Proprior est ergò beatitudini voluntas recta, etiam non adepta, quod cupit, quàm prava, etiamsi quod cupit, obtinuit. » *Idem* : « Qui laudat Deum in miraculis beneficiorum, laudet et in terroribus ultionum, nàm et blanditur, et minatur: Si non blandiretur, nulla

esset exhortatio : si non minaretur nulla esset correctio [1]. »

Illæ autem Augustinianæ Antitheses, quæ sæpiùs in verborum solummodò pugnâ consistunt, cedant necesse est huic præstantiori oppositionum generi, quæ ad diversitatem potiùs cogitationum pertinent, quàm ad varietatem dictorum. Eminet suprà omnes in hâc parte Tertullianus, cujus hoc accipe fragmentum, de Bonitate et Justitiâ, qualia Deo competunt, disserentis :

« Justitia plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, et Patrem, et Dominum ; Patrem clementiâ, Dominum disciplinâ : Patrem potestate blandâ, Dominum severâ : Patrem diligendum piè, Dominum timendum necessariè : diligendum, quia malit misericordiam quàm sacrificium, et timendum, quia nolit peccatum : diligendum quia malit pœnitentiam peccatoris, quàm mortem ; et timendum, quia nolit peccatoris suî jàm non pœnitentis. Ideò lex utrumque definit : *Diliges Deum, et timebis Deum.* Aliud obsecutori proposuit, aliud exorbitatori [1]. »

13° *Repetitio* quæ in plu:ibus cum præcedenti figurâ consentit, in eo versatur, quòd idem sæpiùs verbum iteretur. Hoc frequentiùs agit sanctus Ephræm, ut in istâ precatione ad Deiparam videtur :

« Gaude, purissima, gratiâ plena : gaude, immaculata Dei Genitrix Virgo : gaude, Virgo, hominum gloria : gaude, omnium prophetarum implementum : gaude, perfectio omnium congregationum Domini : gaude, ipsius testamenti sigillum : gaude, meta consiliorum illius : gaude, manifestatio mysteriorum ejus : gaude, advocata infamatorum injustè : gaude, collectio jamdudùm dissidentium : gaude, fulcimentum inclinatorum deorsùm : gaude, lumen in te-

[1] S. August. fragm. à S. Prosper. Aquitan. collecta. — [2] Tertull. lib. II, adv. Marc. n. 13.

nebris positorum : gaude, renovatio senescentium : gaude, propitiatio aberrantium ac liberatio : gaude, lux errantibus viam demonstrans : gaude, portus ac protectio navigantium : gaude, patrona et munitio in necessitatibus : gaude, salus secura fidelium : gaude, nova maximè ac divina largitio : gaude, mortalium omnium domina : gaude, lætitia et gloria angelorum : gaude, rerum omnium conditarum sublimissima : gaude, Dei existens etiam famula : gaude, benedictissima in sæculum sæculi : gaude, lignum opacum Virgo puella, ex quo omnes fructum decerpimus, quem comedentes exhilarantur, non moriuntur : gaude, Maria Virgo-Mater, mater sponsa : gaude, ornamentum mundi muliebris : gaude, filia David splendidè ornata : gaude, mensa mysticarum gratiarum : gaude, Regisque Deique mei victoria : gaude, tùm patriarcharum, tùm vincentium exultatio : gaude, murus invocantium te : gaude, defensio simul et firma protectio : gaude, omninò immaculata Dei divina sedes : gaude, splendida Dei Mater sola : gaude, Salomonis lectus sanctissimus : gaude, spiritalibus mentibus honorabilior : gaude, meorum delictorum solutio : gaude, regina generis Adamitici : gaude, gladius pravorum dæmonum : gaude, ingentium bonorum servatrix : gaude, copiosissima sapientiæ donatio : gaude, in periculis existentium solamen : gaude, inopûm ditissima susceptio : gaude, omnium bonorum vita : gaude, omnium gratiarum causa [1]. »

14° *Communicatione* Concionator ità sensus animæ suæ auditorum mentibus ingerit, ut illum ad confitendam interiùs illam, de quâ agitur, veritatem inducat. Frequens hâc in parte sanctus Chrysostomus, cujus aliqua exempla, non quæsita diù, sed subitò occurrentia referemus. Ità exhortatur fideles ad dandam pauperi eleemosynam, potiùs quàm ad conferenda ecclesiis dona :

[1] S. Ephrem. Precat. v. ad Deipar. n. 3.

« Hoc porrò dico, non quod prohibeam ne talia munera apparentur, sed postulans, ut, cum his et antè hæc, eleemosyna erogetur. Nàm hæc quidem accipit, sed multò magis illa. In his enim is, qui offert, solus utilitatem habet, ibi verò etiam is, qui accipit. Hic videtur donum esse ostentationis occasio; ibi eleemosyna et benignitas tantùm est. Quæ enim utilitas si mensa Christi sit aureis poculis onusta, ipse verò fame pereat? Primò esurientem imple, et tunc ex superabundantiâ mensam ejus exorna. Aureum calicem facis, et calicem aquæ non das? Et quid opus est auro intextæ velamine mensæ apparere, ipsi verò nequidem necessarium tegumentum præbere? quid indè lucri? Nàm dic mihi : Si quem videres necessario egentem cibo, et ipso sic relicto, mensam auro circumdares tantùm, an tibi gratias haberet, annon potiùs indignaretur? Quid verò si illum videres detritis pannis indutum et frigore rigentem, et missis vestibus, aureas ipsi columnas erigeres, dicens, id te in ejus honorem facere? Annon se derideri putaret, atque extremâ contumeliâ affici? Hoc etiam circà Christum reputa, cùm errrabundus et peregrinus circumit, tecto indigens, tu autem illo in hospitem non admisso, pavimentum exornas et parietes columnarumque capitella, et argenteas catenas lampadibus alligas, ipsum verò in carcere ligatum ne videre quidem sustines [1]. »

Eâdem arte utentem vide, quomodò Christianos invitet ad Orationem purâ mente, non autem sordidâ, divinæ Sanctitati offerendam :

« Dic mihi, si fimum et lutum præ manibus haberes, an auderes orare? Nequaquàm. Attamen nihil hìnc damni, illud autem perniciosum est. Cur ergò in rebus indifferentibus pius, in prohibitis ità negligens es? Quid ergò,

[1] S. Chrys. in Matth. Homil. L, n. 4.

inquies, non precari oportet? — Oportet quidem, sed non sordibus maculatum, non tanto cœno onustum. — Quid si casu lapsus fuero? — Purga teipsum. — Quomodò? — Luge, geme, eleemosynam eroga, purga te apud eum quem contumeliâ affecisti, reconcilia te illi, absterge linguam, ne graviùs Deum irrites. Nàm si quis, sordidatis stercore manibus, pedes tuos supplicans tangeret, non modò illum non audires, sed pede impeteres. Quomodò audes sic Deum adire? Nàm lingua precantium est manus, ac per eam Dei genua apprehendimus [1]. »

15° Non desunt etiam apud sanctos Patres illæ, quæ dicuntur *Correctiones*, quibus Orator dicta quasi temerè, ità sapientiùs emendat, ut ratiocinium ex ipso simulato errore confirmet magis ac corroboret. Sic enim hominem à sequendis dæmonûm tentationibus idem ille deterret :

« Etiamsi id, quod dæmon jubet, transgressio non sit, ne sic etiam obtemperandum est. Ecquid tansgressionem dico? Etsi quid utile dicant dæmones, ne sic quoquè illis attendas [2]. »

Et alibi de Orationis assiduitate sermonem instituens, ait :

« Accedamus ad Deum et dicamus : *Etiam Domine, nàm et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensâ dominorum suorum* [3]. Accedamus itaquè opportunè, importunè ; imò verò nunquàm possumus importunè accedere : importunum quippè est non assiduè adire. Nàm eum, qui dare gestit, opportunum est semper rogare. Quemadmodùm enim respirare nunquàm importunum est, sic et peterè nunquàm, sed non petere est importunum. Etenim sicut hâc respiratione opus ha-

[1] S. Chrys. in Matth. Homil. LI, n. 5. — [2] Id. Ibid. Homil. XIII, n. 2. — [3] Matth. XV, 27.

bemus, sic et ejus auxilio : ac si velimus, facilè ipsum ad nos attrahemus [1]. »

16° Argumenta quæ vulgò dicuntur *ad hominem* non rarò in sanctorum Patrum operibus deprehenduntur : unum adducemus exemplum ex sancto Augustino depromptum, qui diluens Porphyrii objectionem petentis : « Quid actum esset de romanis animabus vel latinis, quæ gratiâ nondùm advenientis Christi viduatæ sunt, usquè in Cæsareum tempus? » ità ratiocinatur :

« Huic propositioni respondetur, ut primò ipsi dicant, utrùm profuerint hominibus deorum suorum sacra, quæ constat certis temporibus instituta. Quæ si negant aliquid profuisse ad animarum salutem, nobiscum ea destruunt, et esse inania confitentur. Nos quidem etiam perniciosa monstramus; sed parùm non est ut ipsi interim priùs inania fateantur. Si verò ea defendunt, et sapienter atque utiliter asserunt instituta, quæro quid actum sit de his, qui antequàm hæc instituta essent, morte obiêrunt : hâc enim utiquè salute atque utilitate fraudati sunt. Si autem potuêrunt alio modo purgari, cur non idem modus perseveravit in posteros? Quid opus erat instituere novitias consecrationes, quæ antiquitùs non fuêrunt? Hìc si dicunt deos quidem ipsos semper fuisse, et ad liberandos cultores suos pariter ubiquè valuisse, sed pro varietate rerum temporalium ac terrenarum, quæ scirent certis temporibus locisque congruere, in his aliàs atque aliàs, alibi atque alibi, aliter atque aliter sibi voluisse serviri : cur hanc quæstionem christianæ Religioni ingerunt, in quâ nobis ipsi pro diis suis aut respondere non possunt, aut si possunt, in eo ipso sibi etiam pro nostrâ Religione respondent, ità nihil interesse pro diversâ temporum locorumque congruentiâ, quàm diversis sacramentis co-

[1] S. Chrys. in Matth. Homil. XXII, n. 6.

latur, si quod colitur sanctum est, sicut nihil interest pro diversâ linguarum auditorumque congruentiâ, quàm diversis sonis dicatur, si quod dicitur verum est : dùm hoc sanè intersit, quod linguæ sonos, quibus inter se sua sensa communicent, etiam homines pacto quodam societatis sibi instituere possunt ; quibus autem sacris divinitati congruerent, voluntatem Dei secuti sunt, qui rectè sapuêrunt. Quæ omninò nunquàm defuit ad salutem justitiæ pietatique mortalium, et si qua in aliis atque in aliis populis, unâ eâdemque religione sociatis variè celebrantur, quatenùs fiat plurimùm refert, quò et humana exhortetur vel toleretur infirmitas, et divina non oppugnetur auctoritas [1]. »

Ejusdem generis ratiocinium habetur apud eumdem Augustinum, sic vindicans Christi humilitatem in Baptismo Joannis contrà eos qui dicebant : « Opus erat Domino baptizari? » quos ità refellit :

« Et ego interrogans citò respondeo : Opus erat Domino nasci? opus erat Domino crucifigi? opus erat Domino mori? opus erat Domino sepeliri? Si ergò tantam pro nobis suscepit humilitatem, baptismum non erat suscepturus? Et quid profuit, quia suscepit baptismum servi? ut tu non dedignareris suscipere baptismum Domini [2]. »

17° *Similitudines* ad confirmandum aut evolvendum argumentum non rarò insuper apud sanctos Concionatores excogitantur. Omnibus sanè notus est admirabilis ille similitudinum congestus, quem apud sanctum Cyprianum legimus :

« Ecclesia una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur. Quomodò solis multi radii, sed lumen unum : et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum : et cùm de fonte uno rivi

[1] S. August. Epist. CII, n. 9, 10. — [2] Id. Tract. IV, in Joan. n. 13.

plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; à fonte præscinde rivum, præcisus arescet. Sic et Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur : ramos suos in universam terram copiâ ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latiùs expandit : unum tamen caput est, et origo una, et una mater, fœcunditatis successibus copiosa [2]. »

Ad eamdem recurrit sanctus Gregorius Nazianzenus dicendi formam, cùm ità insectatur Juliani Apostatæ laudatores :

« Non ità est, inquiunt qui res illius venerantur, novumque deum illum nobis effingunt, suavem, inquam, illum et benignum : verùm quia nequaquàm apertè promulgavit, ut Christiani vexarentur, atque ea omnia paterentur, quæ persecutoribus collibitum esset, idcircò eum à persecutionis crimine vindicant. Atque Hydram nemo unquàm lenem et mansuetam dixit, quòd novem capita pro uno proferret, si quid fidei fabulæ habendum est : nec pataricam Chimæram, quòd tria ac diversa, ut terrorem majorem afferret : aut illum apud inferos Cerberum, quòd totidem et similia : aut Scyllam, æquoream pestem, quòd sex in orbem maximèque horrenda : et tamen superiores ipsius partes suaves et humanas fuisse narrant, nec aspectu injucundas; virgo enim erat, cognationis cujusdam necessitudine nobiscum devincta : at reliqua capita canina erant, et belluina, atque omninò perniciosa, classes totas corripientia, nec, quan-

[1] S. Cypr. de Unitat. Eccles.

tùm ad periculum, ab oppositâ Charybdi quidquam differentia. An tu etiam sagittariorum et funditorum sagittas ac lapides, non autem funditores ipsos et sagittarios accusabis? An venatorum canes, et veneficorum toxica, et cornupetarum boum, et dilaniantium ferarum cornua et ungues : qui autem iis utuntur, extrà culpam ponentur, nec criminis earum rerum, quas perpetrârint, participes erunt? Magnæ profectò hæc stultitiæ fuerint, ac sophistâ procul dubio opus habuerint, qui vitiorum suorum patrocinium suscipiat, viribusque eloquentiæ veritatem obtegat. Sed nullâ unquàm ratione se ipsum occultabit, ne si in omnem quidem partem se verset, ac per vafritiem suam in omnes formas immutet; atque Orci galeam, ut dici solet, induat, aut Gygis annulo et palæ conversione sese suffuretur. Imò contrà, quò magis elabi atque effugere tentat, hoc magis comprehenditur et convincitur apud veritatis tribunal, ac prudentissimos quosque earum rerum judices, utpotè hæc faciens atque committens, quæ ne ipse quidem, ut justa defendere queat. Adeò expugnatu facilis res est improbitas, atque undecumquè secum ipsa pugnat.

» Nec putandum est ea quidem, quæ faciebat, talia fuisse, tàmque ab imperatoriâ nobilitate et magnificentiâ remota; ea verò, quæ facere instituebat, humaniora et imperatore digniora. Magno profecto æstimandum esset, si non iis, quæ commemoravimus, multò inhumaniora et crudeliora fuissent. Quemadmodùm enim cùm draco moveri incipit, squamæ ejus partim jàm horrescunt, partim superhorrescunt, partim mox horrescent, partim deniquè non possunt non tandem moveri, etiamsi in præsens quietæ ac tranquillæ sint : aut, si mavis, quemadmodùm fulmine aliæ partes jàm occupantur, aliæ nigrore priùs inficiuntur, quoad eas malo quoquè dominante pervaserit :

sic etiam ab eo alia jàm iniquè et sceleratè patrabantur, alia spe et minis, quas nobis intendebat, velut adumbrabantur; eaque ità absurda et inusitata, ut in illius duntaxàt mentem hoc cadere posset, ut hæc cogitaret, et efficere vellet, tametsi alioqui multi antè eum Christianorum persecutores et hostes extitissent [1]. »

18° Nec prætereunda *Exclamatio*, quæ affectibus movendis ità potest inservire, qualis legitur apud sanctum Gregorium Nazianzenum, Gorgonicæ sororis sacras in oratione vigilias commendantem :

« O squalidum corpus, et indumentum virtute solâ florens ! O animam, corpus penè etiam sinè cibo, velut materiæ expers, retinentem ! vel, ut rectiùs loquar, ô corpus, etiam antè disjunctionem mori coactum, ut anima libertatem nancisceretur, nec à sensibus impedimenti quidquam acciperet ! ô noctes insomnes, et psalmorum cantus, et stationem ex die in diem productam ! ô David, quàm tu piis duntaxàt animabus haud prolixè cecinisti ! ô tenera membra humi prostrata, ac præter naturam sese exasperantia ! ô lacrymarum fontes, quæ ex afflictione seminabantur, ut in exultatione meterent [2] ! ô nocturnum clamorem nubes penetrantem, atque ad Deum pervadentem ! ô spiritûs fervorem, ob orationis desiderium, nec canes nocturnos, nec frigora, nec imbres, nec tonitrua, nec grandinem, nec tenebras formidantem ! ô fœmineum sexum, qui, propter commune salutis certamen, virilem sexum superâsti, atque aliud conspicuum fecisti, masculum et fœmineum corporis, non item animæ discrimen esse ! ô post baptismum castitatem, et sponsam Christi animam in puro corporis thalamo ! ô amarum gustum, et Evam, tùm generis nostri, tùm peccati matrem, et impostorem Serpentem, et mortem, illius continentiâ superata ! ô

[1] S. Greg. Theol. Orat. IV, n. 94, 95. — [2] Psal. CXXV, 5.

Christi exinanitionem, et servi formam, et passiones, ipsius mortificatione honoratas [1] ! »

Eâdem figurâ utitur sanctus Ephræm, cùm ità animi quietem et tranquillitatem extollit :

« O quies scala cœlorum ! ô quies compunctionis mater ! ô quies peccatorum speculum, quæ homini sua scelera atque delicta ostendis ! ô quies quæ lacrymas nequaquàm impedis ! ô quies mansuetudinis procreatrix ! ô quies humilitatis contubernalis ac socia ! ô quies timori Dei conjuncta, quæ menti lucem infers ! ô quies cogitationum inspectrix, et discretionis adjutrix ! ô quies omnis boni genitrix, jejunii firmamentum, et gulæ impedimentum ! ô quies orationis sacræque lectionis vacatio ! ô quies cogitationum serenitas, et tranquillitatis portus ! ô quies animæ securitas ! ô quies jugum suave et onus leve, reficiens portansque portantem te ! ô quies procacitatis interemptrix, et impudentiæ inimica ! ô qnies pietatis ac religionis mater ! ô quies passionum carcer ! ô quies animæ lætitia et cordis ! ô quies oculorum et aurium linguæque frenum ! ô quies omnis virtutis cooperatrix ! ô quies voluntariæ paupertatis hospita et amica ! ô quies Christi ager fructus optimos proferens ! ô quies murus ac propugnaculum decertare cupientium propter regnum cœlorum ! Ità, mi Frater, hanc optimam tibi partem compara quam Maria elegit : hæc enim Maria quietis exemplar existit, sedens secùs pedes Domini, ipsique soli adhærens ; quarè et eam laudavit Dominus, dicens : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ* [2].

Huic finitima, imò et vehementior *Apostrophe*, quâ usus est inter alios divus Hieronymus in epitaphio Nepotiani, ubi sic mortem alloquitur :

[1] S. Gregor. Theol. Orat. VIII, n. 14. — [2] Luc. x, 42. S. Ephr. Serm. de Patient. et Consum. sæcul. n. 14.

« O mors, quæ fratres dividis, et amore sociatos, crudelis ac dura dissocias! Adduxit urentem ventum Dominus de deserto ascendentem, qui siccavit venas tuas, et desolavit fontem tuum. Devorâsti quidem Jonam, sed et in utero tuo vivus fuit. Portâsti quasi mortuum, ut tempestas mundi conquiesceret, et Ninive nostra, illius præconio salvaretur. Ille, ille te vicit : ille te jugulavit ; fugitivus propheta, qui reliquit domum suam, dimisit hæreditatem suam, dedit dilectam animam suam in manibus quærentium eum ; qui per Osee quondàm tibi rigidus minabatur : *Ero mors tua, ô mors! ero morsus tuus, inferne* [1]. Illius morte, tu mortua es : illius morte, nos vivimus. Devorâsti, et devorata es. Dùmque assumpti corporis sollicitaris illecebrâ, et avidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente confossa sunt [2]. »

19° Sequitur et *Obsecratio*, quâ sæpiùs sancti Concionatores audientium corda inflectere satagunt ; ut videri potest in hâc divi Chrysostomi periodo :

« Oro igitur et supplico, et antè genua vestra me provolvo, atque obnixè rogo, persuadeamini, et ab hâc emergamus ebrietate : simus nostrî ipsorum compotes, et agnoscamus honorem, quem dedit nobis Deus, et Paulum clamantem audiamus : *Ne sitis servi hominum* [3] ; et desinamus, ut serviamus mulieribus ad communem omnium nostrorum perniciem. Milites nos esse Christus vult strenuos et athletas. Non propter hoc nos armavit armis spiritualibus, ut puellarum triobolarium ministeria suscipiamus, ut circà lanas et stamina, et alia ministeria versemur, ut assideamus mulierculis nentibus et texentibus, ut totum diem consumamus, verbisque et moribus muliebribus animas imbuamus : sed

[1] Osee XIII, 15. — [2] S. Hieron. Epitaph. Nepotian. Epist. XXXV, ad Heliod. n. 1. — [3] 1 Cor. VII, 23.

ut configamus invisibiles virtutes, quæ nobis adversantur : ut diabolum percutiamus, qui contrà nos ducem agit, ut abigamus feroces dæmonûm phalangas, ut subvertamus eorum propugnacula, ut potestates et mundi dominos, rectores harum tenebrarum in servitutem ducamus, ut spiritualia malitiæ fugemus, ut ignem spiremus, ut ad quotidianas mortes parati simus. Propter hoc induit nos thorace justitiæ, propter hoc imposuit galeam salutis, propter hoc pedes nostros calceavit præparatione Evangelii pacis, et tradidit gladium Spiritûs, propter hoc ignem accendit in nostris animabus [1]. »

20° Non desunt etiam *Hyperboles*, quibus res suprà suam naturam extolluntur, et quæ ità frequenter occurrunt apud sanctos Patres, ut eorum scripta non possint aperiri, quin aliquod subitò prodeat exemplum.

« Ad crucem Domini, inquit sanctus Cyprianus, confunduntur sidera, elementa turbantur, contremiscit terra, nox diem claudit, sol ne Judæorum facinus aspicere cogatur, et radios et oculos subtrahit [2]. »

Idem loquens de Lapsis qui se tormentorum immanitate excusabant, dicentes : « Stetit mens stabilis et fides fortis, et cum torquentibus pœnis immobilis diù anima luctata est. Sed cùm durissimi judicis recrudescente sævitiâ jàm fatigatum nunc flagella scinderent, nunc contenderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, caro nos in colluctatione deseruit, infirmitas viscerûm cessit, nec animus sed corpus in dolore defecit ; » addit :

« Potest citò ad veniam proficere causa talis ; potest ejusmodi excusatio esse miserabilis... Deprecabantur illi non lacrymarum miseratione, sed vulnerum, nec solâ

[1] S. Chrys. in eos qui subintroductas habent mulier. n. 10.— [2] S. Cypr. de Bon. Patient.

lamentabili voce, sed laceratione corporis et dolore. Manabat pro fletibus sanguis, et pro lacrymis cruor semiustulatis visceribus defluebat [1]. »

21° *Concessionis* quoquè formam non semel advocant sancti nostri Doctores, ità ut, concedendo quædam, intenti summam obtineant. Hanc formam orationis sæpiùs apud sanctum Cyprianum reperies, et maximè quandò sic Virgines ad legitimum divitiarum usum his verbis adhortatur :

« Locupletem te esse dicis, et divitem, et utendum putas iis, quæ possidere te Deus voluit : utere, sed ad res salutares ; utere, sed ad bonas artes ; utere ad illa quæ Deus præcipit, quæ Dominus ostendit. Divitem te esse sentiant pauperes, locupletem sentiant indigentes. Patrimonia tuo Deo fœnera, Christum ciba. Possessiones tibi, sed cœlestes magis compara, ubi fructus tuos juges ac perennes, et ab omni contactu injuriæ sæcularis immunes, nec rubigo atterat, nec grando cædat, nec sol urat, nec pluvia corrumpat [2]. »

Idem alibi sic mortem timentes ad christianam securitatem revocat :

« Mori planè timeat, sed qui ex aquâ et Spiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur : mori timeat, qui non Christi cruce et passione censetur : mori timeat, qui ad secundam mortem de hâc morte transibit : mori timeat quem de sæculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit : mori timeat, cui hoc morâ longiore confertur, ut cruciatus ejus et gemitus interim differatur [3]. »

22° Quàm frequens sit apud eosdem *Exhortatio* neminem latet ; id enim piæ orationis proprium. Hoc modo argumentatur idem Cyprianus contrà Demetrianum :

« Respicite itaquè, dùm tempus est, ad veram et æternam salutem ; et quia jàm mundi finis in proximo est, ad

[1] S. Cypr. de Lapsis. — [2] Id. de Habit Virgin. — [3] Id. de Mortal.

Dominum Deum mentes vestras Dei timore convertite; Deum vel serò quærite : quia jampridem per Prophetam præmonens hortatur, et dicit : *Quærite Dominum, et vivet anima vestra*[1]. Credite illi, qui omninò non fallit : credite illi, qui hæc omnia futura prædixit : credite illi, qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit : credite illi, qui incredulis æterna supplicia gehennæ ardoribus irrogabit [2]. »

Idem alterum sic claudit tractatum :

« His meditationibus corroborandus est animus, Fratres dilectissimi; ejusmodi exercitationibus contrà omnia diaboli jacula firmandus. Sit in manibus divina Lectio, in sensibus dominica cogitatio. Oratio jugis omninò non cesset. Salutaris operatio perseveret. Spiritualibus semper actibus occupemur : ut quotiescumquè inimicus accesserit, quoties adire tentaverit, et clausum adversùs se pectus inveniat et armatum. »

Idem paulopost :

« Venena fellis evome, discordiarum virus exclude, purgetur mens quam sempiternus livor infecerat. Amaritudo omnis, quæ intùs insederat, Christi dulcedine leniatur. Ama eos, quos antè oderas, dilige illos, quibus injustis obtrectationibus invidebas : bonos imitare, si potes : si sectari non potes, collætare certè et gratulare melioribus : fac te illis adunatâ dilectione participem, fac te consortio charitatis et fraternitatis vinculo cohæredem : dimittentur tibi debita, qnandò tu ipse dimiseris : accipientur sacrificia tua, cùm pacificus ad Deum veneris [3]. »

23° Quædam etiam de *Prætermissione* attingenda, quâ nos præterire fingimus hoc quod tunc maximè volumus dicere. Hæc utilis est exornatio, si aut rem, quam

[1] Amos. v, 6. — [2] S. Cypr. contrà Demetrian. — [3] Id. de Zel. et Livor.

non pertineat aliis ostendere, occultè admovisse prodest, aut si longum est, aut ignobile, aut planum, aut non potest fieri, aut facilè potest reprehendi. Cyprianus ità hanc figuram adhibendo loquitur :

« Taceo de fraudibus Ecclesiæ factis : conjurationes et adulteria, et varia delictorum genera prætereo. Unum illud, in quo non mea, neque hominum, sed Dei causa est, de eorum facinore non puto esse reticendum : quòd à primo statim persecutionis die, cùm recentia delinquentium facinora ferverent, et sacrificiis nefandis non tantùm diaboli altaria, sed adhùc manus ipsæ Lapsorum atque ora fumârent, communicare cum Lapsis, et pœnitentiæ agendæ intercedere non destitêrunt[1]. »

Sanctus pariter Gregorius Nazianzenus contrà Julianum loquens ità multis prætermissis ad cætera exaggeranda progreditur :

« Ut enim edicta ea præteream, quæ adversùs ædes sacras, tùm publicè proponebantur, tùm privatim explebantur, et votivorum donorum ac pecuniarum expetitionem, non magis ab impietate quàm ab avaritiâ manantem, et sacrorum vasorum, quæ profanis manibus petulanter et contumeliosè tractabantur, direptionem, sacerdotes etiam subjectamque plebem, qui pro his rebus abstrahebantur acerbissimèque torquebantur, columnas quoquè cruoris plenas, horum manibus atque complexu, dùm virgis conciderentur, per orbem cinctas, deniquè sagittarios per urbes et regiones discurrentes, atque ipso etiam, qui hæc imperabat, acriores et crudeliores, quæ nos videlicèt pro Persis, et Scythis aliisque barbaris in ditionem suam atque imperium redigerent; ut hæc, inquam, omnia prætermittam, eccui tandem Alexandrinorum crudelitas ignota est, qui præter multa alia, quæ adversùs nos designârunt,

[1] S. Cypr. Epist. LV, ad Cornel.

temporis licentiâ immoderatè abutentes, plebs etiam alioqui seditiosa et furiosa, hunc quoquè impietatibus suis cumulum addidisse referuntur, ut sacrosanctum templum nostrum duplici cruore, hoc est, victimarum et hominum, implerent, idque imperatorii cujusdam philosophi ductu atque auspiciis perpetrâsse, ab his tantùm rebus nominis famam consecuti? Eccui Heliopolitarum concursio incognita est? eccui Gazæorum, qui apud eum in admiratione et honore erant, propterea quòd ipsius magnificentiam probè persentiebant, effrenis audaciæ? eccui Arethusiorum furor, qui cùm priùs obscuri atque ignobiles essent, ab eo tempore perquàm etiam noti ac celebres fuêrunt? Nec enim præclara duntaxàt actio celebritatem parit, sed etiam improbitas, quæ pravorum hominum gloriam superat.

» Illi enim, ut unum ex multis commemorem, quòd etiam atheis horrorem incutere queat, virgines castas et mundo sublimiores, quæque vix etiam unquàm viris in conspectum venerant, in medium productas, vestibusque nudatas, ut per aspectum contumeliam ipsis priùs inferrent, ac posteà proscissas atque dissectas, ô Christe, quomodò tuam illius temporis patientiam feram! partim propriis etiam dentibus comminutas edisse, atque, ut eorum execrandum furorem decebat, crudis hepatibus sese ingurgitâsse feruntur, ac cibo illo perfunctos, communem et usitatum admisisse: partim palpitantibust adhùc visceribus suillum pabulum inspersisse, ferocissimisque porcis immissis hoc spectaculum objecisse, ut simul cum hordeo carnes laniari atque exedi perspicerent, mixtum alimentum, ac tùm primùm conspectum et auditum : quo sanè is solùm dæmones suos alere merebatur, qui horum scelerum architectus erat; quemadmodùm etiam, ut par erat, et sanguine illo et vulnere aluit, quod in præcordiis acce-

pit : etiamsi miseri homines ad res hujusmodi sensu careant, ac præ impietate ne mentis quidem sint compotes [1]. »

24° Germanam dixerim *Præcisionem*, quâ, dictis quibusdam, quod cœptum est relinquitur audientium judicio, juxtà illud divi Hieronymi, qui quorumdam hominum vitia castigans subitò sermonem abrumpit dicens :

« Prudens mecum lector intelligis quid taceam, et quid magis tacendo loquar [2]. »

25° *Dubitationem* non omisêrunt beati Doctores, cujus hoc est proprium, ut, Orator quærere videatur, quid de pluribus potissimùm dicat. Sic divus Hieronymus :

« Nostri doctores ità eloquentiâ suos refarciêrunt libros, ut nescias, quid in eis priùs mirari debeas, an eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum [3]. »

Sic et Cyprianus scribens ad Confessorem, cujus parentes martyrium erant perpessi :

« Non invenio quem beatiorem magis dicam, verùmne illos de posteritate tàm clarâ, an hunc de origine gloriosâ [4]. »

Sic falsus Eusebius Emissenus de Mariæ virgineo partu loquens :

« Quid primum mirer, quidve postremum? quòd sine conceptu est collata fœcunditas, an quòd per partum magis est glorificata virginitas? sed non mirum, si ità peperit : talis erat ille, cui nupserat [5]. »

Sic Gregorius Magnus agens de Magdalenâ :

« Quid igitur miramur, Fratres? Mariam venientem, an Dominum suscipientem? suscipientem dicam, an trahentem? dicam meliùs trahentem, et suscipientem [6]. »

[1] S. Greg. Theol. Orat. IV, n. 86, 87. — [2] S. Hieron. in Epist. — [3] Id. Ibid. — [4] S. Cypr. Epist. ad Cœlest. — [5] Fals. Euseb. Emissen. Homil. II de Nativ. Domin. — [6] S. Greg. Magn. lib. II, Homil. XXXIII.

Sic sanctus iterùm Cyprianus de Lapsis sermonem instituens :

« Quid hoc loco faciam, dilectissimi Fratres, fluctuans vario mentis æstu? quid, aut quomodò dicam? lacrymis magis, quàm verbis opus est [1]. »

Sic deniquè sanctus Bernardus ad Eugenium scribens : « Undè jàm initium sumam, etc. [2]? »

26°. Non prætereatur etiam *Congeries*, quâ verba multiplicantur ad corroborandam sententiam. Hanc orationis formam habes apud sanctum Joannem Climacum :

« Superbia, inquit, est Dei abnegatio, aspernatio hominum, laudum progenies, sterilitatis argumentum, divini adjutorii expulsio, stuporis præcursor, lapsuum ministra, casûs materia, iracundiæ fons, simulationis janua, firmamentum dæmonûm, delictorum custos, duritiæ et crudelitatis artifex, compassionis et misericordiæ ignoratio, amarus exactor, immitis judex, Dei adversatrix, blasphemiæ radix [3]. »

Item Origenes de muliere Chananeâ :

« Mulier, inquit, caput peccati, arma diaboli, expulsio paradisi, mater delicti, corruptio legis antiquæ, veniebat ad Dominum Jesum [4]. »

Sanctus autem Cyprianus :

« Patientia est, quæ nos Deo et commendat et servat : ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frenat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit : coërcet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis et maritatis individuam charitatem : facit humiles in

[1] S. Cypr. de Lapsis. — [2] S. Bernard. ad Eugen. — [3] S. Joan. Climac. in Scal. — [4] Origen. de Chanan.

prosperis, in adversis fortes, contrà injurias et contumelias mites : docet delinquentibus citò ignoscere : si ipse delinquas, diù et multùm rogare : tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones et martyria consummat [1]. »

Si vis autem exemplum recipere, in quo hanc figuram ad summum perductam invenias, lege precationem sequentem, quâ sanctus Ephræm sanctam Dei Genitricem solitâ pietate invocat :

« Domina mea, sanctissima Dei Genitrix, et gratiâ plena, Mater Dei benedictissima, Deo gratissima Deipara, vas divinitatis unigeniti Filii tui, immortalis et invisibilis Patris, sedes igniformis quadriformibus longè gloriosior, tota pura, tota immaculata, tota illibata, tota impolluta, tota irreprehensibilis, tota laudabilis, tota incorrupta, tota beatissima, tota inviolata, tota venerabilis, tota honorabilis, tota benedicta, tota memorabilis, tota desiderabilis, virgo animâ, et corpore et mente, cathedra regis, qui sedet super cherubim, porta cœlestis, per quam nos à terrâ ad cœlum currimus. Sponsa Dei, per quam ipsi reconciliati sumus, inopinatum miraculum, inexplicabilis auditio, absconditi sacramenti divini manifestatio, inexpugnabile patrocinium, defensio fortis, fons vivificus, pelagus inexhaustum divinarum secretarumque largitionum ac munerum, altitndo divinis potestatibus sublimior, profundum ininvestigabile absconsarum cogitationum, naturæ communis gloria, bonorum omnium erogatio, omnium post Trinitatem Domina, post Paraclitum alius consolator, et post Mediatorem mediatrix totius mundi, vehiculum intelligibilis solis, yeræ lucis, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum : ferens verbo omnia portantem, vestis immaculata ejus, qui induit lucem sicut vestimentum : pons mundi totius

[1] S. Cypr. de Patient.

ad altissimum cœlum nos ducens : cherubim ac seraphim, sine ullâ comparatione superior, ac longè gloriosior, angelorum splendor, hominum tutela, clavis in cœlum nos introducens, mater et ancilla non occidentis stellæ : splendor veri mysticique diei, ininvestigabilis Dei bonitatis abyssus, currus divinus et multi nominis, veræ fidei firmissimum fundamentum : ejus, qui capi non potest, locus amplissimus : vitis vera, vitæ fructum proferens, oliva fructifera fidelium animas exhilarans, universalis protectio mundi, porta mysterii suprà intellectum venerabilis, complementum gratiarum Trinitatis, veluti secundas partes tenens post Divinitatem : fulgur fidelium animas illuminans, peccatorum reconciliatio, stantium securitas, lapsorum revocatio, excitatio socordium, benevalentium robur, ecclesiarum concordia, exercituum felicitas, bonorum omnium suppeditatio, urbium bona institutio, totius mundi pax, tolerantia monachorum, fortitudo athletarum : thesaurus vitæ incorruptæ, nubes fundens cœlestem rorem in terram : scala, per quam cœlestes angeli ad nos descendunt : portus tempestate jactatis, afflictorum gaudium, affectis injuriâ patrona, derelictorum auxilium, infirmorum confirmatio, oppressorum recreatio, cœcorum scipio, aberrantium salutaris dux, in necessatibus auxiliator securus. Arca sancta, per quam ab iniquitatis diluvio salvati sumus : rubus incombustus, quem vidit Moyses Divinitatis spectator : thuribulum aureum, in quo Verbum carnem incendens, mundum odore replevit, atque inobedientiæ combusta sunt crimina : tabula à Deo exarata, septem luminum candelabrum, cujus splendor solares radios superavit : tabernaculum sanctum, quod spiritalis Beseleel ædificavit, regium vehiculum, vas mannâ repletum, hortus conclusus, fons signatus, cujus rivi purissimi irrigant totum mundum,

virga Aaron divinitùs florens, vellus Gedeonis rore madens, liber divinâ manu scriptus, per quem Adami chirographum scissum est, mons Dei, mons sanctus, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : radix sancta Jesse : civitas Dei, de quâ gloriosa dicta sunt de te, ut David loquitur : mœstitiæ dissolutio, captivitatis liberatio, mortalium deificatio : pulchra natura, omnisque reprehensionis incapax, illa, quæ à Libano virginitatis redit, et mundum odoramentis replet, ex quâ dulcedo defluens antiquam ligni acerbitatem dulcem effecit, quæ totius divinæ substantiæ horrendum in modum capax fuit : munus quocumque pretio excellentius, omnibusque bonis æstimabilius ornamentum : lectus Salomonis, quem circùm assistunt sexaginta Potentes, sermones nempè Scripturæ divinitùs inspiratæ. Locus luce repletus, ex quo salutis radii universo mundo illuxêrunt : porta ad orientem respiciens Ezechielis, tremendæ dispositionis magnificentia, speciosum divinæ demissionis hospitium, mundi reconciliato, nostrum propitiatorium, et refugium, omnium bonorum donum optabilissimum, forceps ignifera, quam Isaïas conspexit, mons virtutibus umbrosus, quem Habacuc prævidit, mons Danielis, à quo lapis abscissus est sinè manibus, porta ad orientem versa Ezechielis, paradisus sanctissimus in Eden, lignum vivificum, pulcherrimum ac jucundissimum fructum ferens, malum odoriferum, rosa suave olens, flos immarcessibilis, lilium candidissimum, liber signatus, quem nemo legere potest. Virginitatis exemplar sinè scripto expressum, visio pretiosa prophetarum, purpura à Deo contexta, omnis prophetiæ manifestissima adimpletio, os loquax apostolorum, vincentium fiducia invisibilis, regum firmitas, sacerdotum gloriatio, delictorum remissio, justi Judicis placatio, lapsorum resurrectio, mundi desiderium, meæ

animæ corporisque restauratio, salus mea, consolatio mea, mea vita, mea lux, spes mea, refrigerium meum, animi mei voluptas, refugium meum, protectio, robur, lætitia, dulcedo, murus, subsidium, munitio, armatura, defensio, gloria, patrona, mediatrix, tranquillitas, tuitio, exultatio, pax, laudatio, gaudium, benedictio, anchora, abundantia, ros, dignitas, sanctitas, magnificentia, liberatio, molestiarum mearum consolatio, illuminatio ac sanctificatio animæ meæ, peccatorum meorum redemptio, oblectatio ex Deo animæ meæ, mei avidi cordis divina aspersio, tenebrosæ meæ animæ lampas lucidissima, nuditatis meæ operimentum, gemituum meorum sedatio, meorum infortuniorum correctio, continentia, purificatio, fortitudo, temperantia, virtutum ornamentum, mea libertas, portus, thesaurus, negotiatio verè æterna, stabilis pœnitentia, sublimitas, bona valetudo, species, robur, bonum consilium, intellectio, exultatio, domina mea, gaudium meum, splendor meus et ad Deum meum vigil custodia non erubescenda. Vide meam fidem, meumque desiderium divinitùs datum, tanquàm quæ compassionem et potentiam habes.

» Tanquàm verò Mater ejus, qui solus bonus, ac misericors est, suscipe miserrimam animam meam, eamque dignare per tuam intercessionem defensionemque, parte dexterâ unigeniti Filii tui, et requie electorum sanctorumque ipsius; auxilium defensionemque non habeo, præter te; in te spero, voti compos ero; in te glorior, noli propter mea multa errata atque iniquitates, avertere faciem tuam à me indigno famulo tuo. Habes enim velle et posse, tanquàm quæ modo inexplicabili unum ex Trinitate genueris; habes quo suadeas, quo flectas; habes manus, quibus eum inenarrabiliter portâsti; ubera, quibus lac præbuisti; in memoriam revoca fascias, et reliquam edu-

cationem ab infantiâ : misce cum tuis ea, quæ ipsius sunt, crucem, sanguinem, vulnera, per quæ salvi facti sumus. Ne, quæso, longè facias à me protectionem tuam ; sed opitulare, et protege, ac præstò sis semper. Debitorem enim habes illum, qui dixit : *Honora patrem tuum, et matrem tuam* [1]. Et quantò magis ipse, qui inter servos recenseri voluit, servabit gratiam, propriumque decretum tecum, qui ei ministra fuisti generationis ad redemptionem? Undè quoquè honori sibi ducens tuis intercessionibus indulgere, etiam veluti debitas implet tuas postulationes. Solùm, ne despicias indignum, neque mearum actionum fœditates tuam immensam misericordiam interrumpant, Dei Genitrix, meum desiderabilissimum nomen; nihil enim est firmius tropæum, quàm tuum auxilium ; tu enim abtulisti omnes lacrymas à facie terræ; tu creaturam replesti omni genere beneficii, cœlestibus lætitiam attulisti, terrestria salvâsti, figmentum mutâsti, artificem placâsti, angelos demisisti, homines exaltâsti, superiora atque inferiora per te ipsam conciliâsti, optima præparâsti, mutans omnia in melius; per te resurrectionis nostræ tesseram certissimam tenemus; per te cœleste regnum nos consecuturos esse speramus ; te nostræ salutis auxiliatricem habemus, te Christianorum cœtus firmissimum murum possidet; tu paradisi claustra aperuisti, tu ascensum ad cœlos præparâsti, tu Filio tuo, et Deo adoptâsti; per te omnis gloria, honor et sanctitas ab ipso primo Adam, et usquè ad consummationem sæculi. Apostolis, prophetis, justis, et humilibus corde, sola immaculatissima, derivata est, derivatur ac derivabitur, atque in te gaudet, gratiâ plena, omnis creatura. Et ego in te confido propter te, quæ verissima secundùm carnem verum Deum peperisti, cui convenit omnis gloria, honor, atque

[1] Matth. XIX, 19.

adoratio cum Patre sinè principio, et sancto, et bono et vivificante ipsius Spiritu, nunc, et semper et in sæcula sæculorum. Amen [1]. »

27° *Suspensio* illa dicitur sermonis figura, quâ Concionator, ut sibi attentionem conciliet, aliquandiù loquitur de mirabili quodam viro vel facto, non indicando, nisi in fine, quis sit ille vir, vel quodnam illud factum. Sic sanctus Chrysostomus de beato Abraham dissertaturus sermonem aggreditur :

« Vidistis canitiem vegetam, ac floridam senectutem? vidistis athletam generosum, et cum naturâ visceribusque pugnantem? vidistis virum, in extremo senio, adamante firmiorem? vires quidem corporis ejus elanguerant, sed ejus fidei vigor corroboratus erat. Talia sunt enim Ecclesiæ præclara facinora, ut imbecillitas corporis fidei alacritatem non lædat : ornamentum quippè est Ecclesiæ canities demissa, et fides alis instructa, atque hâc re potissimùm Ecclesia lætatur. Nàm in profanis quidem negotiis inutilis est senex, nec ullam ad rem idoneus ; sed ubiquè dignus indulgentiâ censetur, quòd propter imbecillitatem ad usus vitæ necessarios minimè valeat commodare. Exempli causâ, non potest senex in bello stare in acie, non in equum ascendere, non hastam vibrare, non clypeum movere, non solis ardorem ferre, non itineris longitudinem sustinere, non famis asperitatem, non molem tumultuum tolerare : sed tranquillo in loco canitiei patrocinio fretus sedet. Hoc verò in navigiis quoquè cerni potest : ad gubernacula nequit senex sedere, non maria sulcare, non remum ducere, non vela tendere, non contrariis ventis obsistere, non asperitatem frigoris pati, non aliud quidpiam ejusmodi potest perficere, sed in navi sedet, atque ætatis causâ veniam impetrat. Hoc ipsum et in agricolis

[1] S. Ephr. Prec. IV ad Sanct. Deipar.

spectare licet : nàm neque trahere aratrum potest, neque sulcos imprimere, non equorum domitor fieri, neque robustorum boûm vim sustinere, nec æstûs impetum, nec gravitatem caloris, nec ligonis pondus, nec aliud quidvis eorum, quæ ad terram colendam sunt usui : sed domi considet, et canitiei excusatione se tuetur. At non ità se habent res Ecclesiæ, sed ubi consenuerint, qui cum virtute vitam traducunt, tunc utiliores redduntur : non enim corporis robur, sed fidei præstantia quæritur. Talis erat Abraham, cui vires corporis elanguerant, sed ipse fidei robore confirmatus erat : senex erat, sed in extremâ senectute cum naturâ pugnabat et præclarum de eâ triumphum agebat : senex erat, sed robustior ferro, atque adamante firmior [1]. »

28° Nec *Optatio* Sanctis aliena videtur, quâ gratia aliqua vel gloria vividis appetitur votis, qualis illa S. Ephræm exclamatio :

« Utinàm, Domine Deus, mihi meisque contingat invenire relicta gratiæ tuæ frustula [2]. »

Quid autem sublime magis aut magis pium quàm illud tàm sæpè laudatum sancti Chrysostomi fragmentum, ubi de vinculis Pauli et Petri ità disserit :

« Nihil est æquè præclarum atque vincula propter Christum atque catenæ sanctis manibus impositæ. Vinctum esse propter Christum est præclarius quàm esse apostolum, quàm esse doctorem, quàm esse evangelistam. Si quis amat Christum, novit quod dicitur : si quis in Dominum insanit, et ejus amore uritur, novit vim vinculorum. Maluerit esse vinctus propter Christum, quàm habitare in cœlis. Quovis auro splendidiores eis ostendebat manus, et quovis regali diademate ; non enim tàm splendidum facit

[1] S. Chrys. Homil. De Beat. Abrah. n. 1. — [2] S. Ephræm. de Paradis. Eden. IX, n. 26.

caput vitta ex gemmis composita ei imposita, quàm catena ferrea propter Christum. Tunc erat regiis ædibus carcer præclarior. Quid dico regiis ædibus? ipso quoquè cœlo : habebat enim vinctum Christi. Si quis Christum diligit, novit hanc dignitatem, novit hanc virtutem, novit quantùm generi hominum sit gratificatum, quòd propter ipsum sit vinctus. Hoc fortassè est præclarius quàm sedere à dextris ejus; hoc est magnificentius quàm sedere super duodecim sedes... Hoc sancti chori solùm est intelligere, apostolorum, inquam. Audi enim beatum Lucam dicentem eos *rediisse gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati* [1]. Atque aliis quidem videtur ridiculum, si probro et contumeliâ esse affectum, sit esse dignitatem assecutum, si probro esse affectum sit lætari. Iis autem qui sciunt Christi desiderium, hoc esse existimatur omnium beatissimum. Si quis mihi offerret totum cœlum, aut illam catenam, ego illam præferrem. Si quis me apud superos collocaret cum angelis, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem. Si quis me faceret unum ex potestatibus quæ sunt circà cœlos, aut circà thronos, aut talem esse vinctum, potiùs optarem talis esse vinctus, et jure quidem, nihil enim est illâ catenâ beatior. Vellem ego quidem nunc esse in illis locis in quibus dicuntur manere illa vincula ;.. vellem videre catenas quas pertimescunt quidem et horrent dæmones, reverentur autem angeli. Nihil est enim melius quàm malè pati propter Christum... O beata vincula! ô beatas manus quas ornavit illa catena !... Ego si fuissem illis temporibus, tunc maximè eas essem amplexus : certâssem illas deosculari manus, quæ dignæ sunt habitæ pro Domino meo vinciri [2]. »

[1] Act. v, 41. — [2] S. Chrys. Homil. VIII ad Ephes. n. 1, 2.

Et deindè : « Erat, inquit Lucas, Petrus vinctus, et traditus militibus, et dormiebat. Non dormiisset si in magnâ fuisset sollicitudine. Dormiebat inter milites ; et venit ad eum Angelus, et, percusso ejus latere, eum excitavit. Si quis ergò mihi diceret : Quid malles, an esse Angelus qui Petrum pupugit, an Petrus qui salvus evasit? mallem esse Petrus, propter quem venit Angelus ; illa mihi prodessent vincula. Quid ergo ? quomodò, inquis, precatur tanquàm liberatus magnis malis ? ne mireris : precatur enim timens ne moriatur. Timebat autem mori, propterea quòd vitam adhùc materiam vellet ac causam ferendi cruciatus. Deniquè audi quid dicat beatus Paulus : *Dissolvi, et cum Christo esse multò melius ; permanere autem in carne necessarium propter vos* [1]. Hoc etiam vocavit gratiam, scribens : *Vobis*, inquit, *donatum est à Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro eo patiamini* [2]. Quamobrem hoc illo est majus : donavit enim : reverà maxima est gratia, et major his omnibus quàm solem et lunam sistere, quàm mundum movere. Hoc majus quàm vincere, aut expellere dæmones. Non illi tàm dolent, dùm fide expelluntur à nobis, ut quandò viderint nos mali aliquid pati propter Christum et vinciri ; hoc enim majorem dat libertatem, et fiduciam : nec propterea tantùm bonum est vinctum esse propter Christum, quòd ea res regnum conciliet, sed quòd ea fiat propter Christum. Quanta est gloriatio scire quòd propter Christum sit vinctus ! Quanta voluptas, quantus honor, quantus splendor ! vellem hæc perpetuò effari [3]. »

29° *Maledictionibus* etiam aliquandò, sivè *Imprecationibus* habenas laxare non verentur nostri illi Doctores, prophetarum more, qui sæpiùs zelo gloriæ divinæ rapti

[1] Philip. 1, 23. — [2] Ibid. 29. — [3] S. Chrys. Homil. VIII in Epist ad Ephes. n. 2, 3.

hanc orationis formam non respuêrunt. Frequens in hâc parte S. Ephræm, qui sic Peccatorem negligentem arguit :

« Væ tibi, Anima, quoniam nullâ curâ angeris in hâc vitâ, deliciis quotidiè diffluens, risibus vacans, mente vaga, et vitam remissam traducens. In futuro enim sæculo plorandum tibi erit ac lugendum, instar divitis illius, in sempiterni ignis supplicio torquendi.

» Væ tibi, Anima, quoniam nullam sustines afflictionem à fratre tibi illatam aut verbum acerbum ; sed statim in repugnantiam et dissidentiam prosiliens patientiæ, et mansuetudinis coronam deperdis, sempiternam cum illati mali memoribus pœnam subitura.

» Væ tibi, Anima, quoniam fratrem tuum odisti et maledictis oneras, eosque, qui talia agunt, toleras : ac propterea unà cum homicidis pœnas es datura. *Qui enim fratrem suum odit,* ut scriptum est, *homicida est*[1].

» Væ tibi, Anima, quoniam mandata Dei contemnis : solâ enim monachi specie ac nomine, salutem esse existimas. Audies enim in tremendâ illâ die Dominum dicentem : *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem meam*[2]. *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, paratum diabolo et angelis ejus*[3].

» Væ tibi, Anima, quoniam gloriam humanam diligis, et honorem et vestium nitorem, et rerum possessionem : atque idcircò abominabilis coràm Deo in die judicii apparebis, et à facie ipsius rejecta, cum superbis dæmonibus connumeraberis.

» Væ tibi, Anima, quoniam quotidiè peccas, et pœnitentiam de die in diem differs. Imminebit enim tibi exitus tuus, tanquàm fur nocte repentè, et vinculis cons-

[1] 1 Joan. III, 15. [2] — Matth. VII, 21. — [3] Id. XXV, 41.

tricta, in gehennam ignis abduceris, inutiles ploratus editura, tuamque ipsius dementiam accusatura.

» Væ tibi, Anima, quoniam non exhorrescis, cogitans, quomodò oporteat te in conspectum Dei adduci in tremendâ illâ judicii die, tunc cùm virtutes cœlorum præ timore commovebuntur; tu verò tunicam feres execrandam et coinquinatam [1]. »

Idem pariter alibi Malos sic exagitat :

« Væ illi qui in erroribus existit, et non novit tempus pœnitentiæ; quoniam ibi eum pœnitebit cum ejulatu inutiliter in sæculum. Væ illi qui dicit : Quoniam in præsentia voluptatibus carnis fruar, et in senectute pœnitentiam agam; quoniam sicut laqueus, ità superveniet illi mors improvisa, et expectatio illius peribit. Væ illi qui voluntariè pecat, et cras vult resipiscere : non enim intelligit quid pariat superveniens et media nox. Væ illi qui dat manum scelesto, bonum cognoscens; quoniam angeli mali illum suscipient in die obitûs ipsius. Væ illi qui ponit offendiculum proximo ex iniquis suis operibus, quoniam rationem reddet in die judicii, pro quibus et aliis scandali occasio fuit suî ipsius malis facinoribus. Væ illi qui mundo renuntiavit, et rursùs ea quæ mundi sunt sapit; quoniam parabola aratri persequetur ipsum. Væ illi qui sequitur voluntates carnis, et parvi facit curam animæ suæ; quia resolvetur in terram vita ipsius, et ipsius spes. Væ ei qui non studet omnibus suis viribus dehìnc parare, ut hìnc afferat defensionem. Væ iis qui patientiam amisêrunt ! et quid facient cùm visitabit Dominus [2]? » (

30° *Preces Invocationes* que Dei, sermonibus intermiscere non erubescebant, ut videre est in hoc S. Ephræm sermone ubi agens de Judicii die, sic ait :

[1] S. Ephræm. de Oct. Cogitat. n. 6-12. — [2] Id. de Beatit. atque Infelicit. n. 2.

« *Venite adoremus*, dilectissimi Fratres, *et procidamus, et ploremus antè Dominum qui fecit nos*[1], dicentes ei: O Dominator et Domine, hæc omnia ut Deus sustinuisti pro nobis : nos autem peccatores semper te exacerbamus, et beneficiis tuis sumus ingrati. Tu Deus sinè initio, naturâ incomprehensibilis, misericors et pius, complacuisti gratiâ tuâ per passionem crucis peccatores salvos facere, qui te non novêrunt, donans eis, post indulgentiam delictorum, etiam lumen scientiæ tuæ. Quid ergò retribuit genus humanum tibi invisibili et benignissimo Domino? Nàm cùm impii essemus, non secundùm naturam, sed propriâ voluntate, quasi pius atque amator omnium salvâsti nos; sed iterùm per negligentiam nostram atque peccata incidimus : tu autem idem ipse es semper misericors et miserator, terribilis et gloriosus, conditor sæculorum, patienter ab initio sustinens perversitatem nostram, donans nobis tempus pœnitentiæ, et remissionem peccatorum pro ineffabilibus miserationibus tuis, quas ostendisti nobis. Filius Dei, victus nobis es Domine Deus noster charitate tuâ et sanctis miserationibus tuis, ut per crucem tuam totum mundum servares : nisi enim victus fuisses charitate, misericors Christe, temetipsum hostiam vivam et immaculatam nunquàm pro peccatoribus obtulisses. Qui illuminâsti gratiâ tuâ universum mundum, illumina quod in me est tenebrosum : oculus enim meus velatus est et cœcus, illumina eum semper in miserationibus tuis, ne crassante diabolo penitùs obscuretur; illumina etiam nostros interiores oculos, Dominator Domine. Voce igitur diligamus, tibique confiteamur : ex charitate omnes voluntates tuas perficere valeamus. Hoc ergò præsta nobis, misericors Christe, ut pleni gratiâ et illuminatione scientiæ tuæ, cum fide et sanctificatione accedamus ad calicem

[1] Psal. XCIV, 6.

tuum, ut proficiat ad remissionem peccatorum, non ad condemnationem in die judicii; quia quicumque mysteriis tuis indignus accesserit, suam animam ipse condemnat, non se castigans, ut te cœlestem regem atque immortalem sponsum in sui pectoris purissimum suscipiat thalamum [1]. »

31° Vis-ne insuper addiscere quomodò per *Enumerationem* vis simul et elegantia Orationi concilietur; memento tàm pulchræ hujus orationis, quâ Eutropii casum in humanæ vanitatis argumentum semel iterùmque christianis auribus intonat Chrysostomus. Hìc omnis generis abundant figuræ, sed primum locum obtinere videtur Enumeratio, aut potiùs cæteris omnibus inseritur.

« Vidistis-ne humanarum rerum vilitatem? vidistis-ne potentiæ fragilitatem? vidistis-ne divitias, quas semper fugitivas dixeram, non modò fugitivas, sed etiam homicidas? non enim solùm se possidentes deserunt, sed etiam jugulant. Cùm enim quis eas studiosè colit, tùm maximè illæ cultorem suum produnt? Cur divitias colis, quæ hodiè penès te sunt, cras penès alium? cur divitias colis, quæ nunquàm retineri possunt? vis eas colere, vis retinere? ne defodias eas, sed in pauperum manus tradas. Feræ sunt divitiæ; si retineantur, fugiunt; sin dispergantur, manent : nàm *dispersit,* inquit, *dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum* [2]. Disperge, ut maneant : ne defodias, ne fugiant. Ubinàm sunt divitiæ? ut placidè interrogem eos, qui tunc abscessêrunt. Hæc autem non exprobrans dico, neque ulcera refricans, absit; sed ut aliorum naufragia in portum vobis convertam. Cùm milites, cùm gladii aderant, cùm urbs incendebatur, cùm diadema nihil poterat, cùm purpura contumeliis afficiebatur, cùm omnia furore plena eraut, ubinàm divitiæ? ubi vasa argentea? ubi argentei lecti? ubi domestici?

[1] S. Ephræm. de die Judicii, n. 4. — [2] Psal. III, 8.

in fugâ omnes. Ubi eunuchi? omnes sese proripuêrunt. Ubi amicî? larvas ponebant. Ubi domus? claudebantur. Ubi pecuniæ? earum possessor aufugit. Et ubi tandem pecuniæ? defossæ sunt. Ubinàm reconditæ? Nùm molestus vobis sum? nùm onerosus dùm semper dico, divitias eos, qui ipsis malè utuntur, prodere? venit tempus, quò verborum veritas ostenderetur. Quid eas retines, quæ in tentatione nihil te juvare possunt? si quid habent virium, adsint tibi cùm in necessitatem incideris : si tunc diffugiunt, cuinam tibi usui sunt? ipsæ res testificantur. Quænam ex iis utilitas? gladii acuti, mors imminens, exercitus furens, tot minarum expectatio : divitiæ verò nusquàm comparent. Quò se subduxêrunt illæ fugitivæ? ipsæ tibi hæc omnia mala procurârunt, et in tempore necessitatis fugiunt. Quanquàm me multi semper accusant, quòd divites incessam : at illi pauperes semper incessunt. Ego verò semper incesso divites; non, inquam, divites, sed eos, qui malè divitiis utuntur. Semper enim dico me non criminari divitem, sed rapacem. Aliud dives, aliud rapax; aliud opulentus, aliud avarus. Res distingue, ne confundas ea, quæ commisceri non possunt. Dives es? non prohibeo. Rapax es? hoc do crimini. Tua possides? his fruere. Aliena rapis? non sileo. Vis me lapidare? paratus sum sanguinem profundere; peccatum duntaxat tuum prohibeo. Non curo odia, non bellum : una mihi cura est auditorum profectus. Filii mei sunt perindè divites atque pauperes : ambos enim eadem parturivit alvus; iisdem ambo doloribus nati. Si itaquè pauperem incessas, te arguo : non tantum est damnum pauperis, quantum divitis : nàm pauper non multùm detrimenti patitur; in pecuniis enim læditur : tu verò in animâ læderis. Qui vult cædat, lapidibus impetat, odio habeat. Materia quippè coronarum insidiæ sunt : præmiorum idem numerus, qui vulnerum.

» Insidias igitur non timeo. Unum timeo peccatum. Ne me quis peccati arguere possit, et totus orbis me bello impetat. Hoc quippè bellum me splendidiorem efficit. Ità et vos instituere volo. Ne timeatis insidias viri potentis, sed timete vim peccati. Homo te non lædet, nisi tu teipsum. Si peccatum habeas, et in paradiso fueris, indè excides. In paradiso erat Adam, et cecidit; in fimo sedebat Job, et coronatus est. Quid illi profuit paradisus, quid huic obfuit fimus? illi nemo insidiabatur, et supplantatus est? huic diabolus insidiabatur, et coronatus est. Nonne facultates ejus abstulit? sed pietatem non eripuit. Nonne filios ejus sustulit? sed fidem non succussit. Nonne corpus ejus sauciavit? sed thesaurum non invenit. Nonne uxorem ejus armis instruxit? sed militem non prostravit. Nonne tela sagittasque emisit? sed ille vulnera non accepit. Machinas admovit, sed turrim non quassavit; fluctus induxit, sed navem non demersit. Hanc mihi legem servate, quæso, vestraque tango genua, etsi non manu, saltem animo, lacrymasque fundo. Hanc mihi servate legem, et nemo vos lædet. Nunquàm beatum prædicetis divitem; neminem miserum dicatis nisi eum qui in peccato sit: beatum prædicate eum qui in justitiâ. Non enim natura rerum, sed mens hominum et hunc et illum talem efficit. Nunquàm gladios timeas, nisi conscientia te accuset : nunquàm timeas in bello, si conscientia tua pura sit. Ubinàm sunt ii, qui hinc abcessêrunt? Nonne omnes demissi stabant? nonne qui in maximâ dignitate constituti erant, tremebant illos? nonne venerabantur? sed venit peccatum, et omnia prostrata sunt : famuli judices, adulatores carnifices effecti sunt : qui manus ejus osculabantur, ipsum ab ecclesiâ abripuêrunt : qui heri manum ejus osculabatur, hodiè inimicus illius est. Quarè? quia heri non verè illum diligebat. Venit tempus, et larvæ deprehensæ sunt.

Annon heri manus osculabaris, eumque servatorem, curatorem et beneficum vocabas? nonne laudes texebas innumeras? cur hodiè accusas? heri laudator, hodiè accusator? heri laudes, hodiè crimina offers? quæ mutatio? quæ translatio?

» At non ego talis : qui insidiis appetebar, patronus effectus sum. Innumera gravia passus, non par pari retuli. Dominum meum imitor, qui in cruce dixit : *Dimitte eis, non enim sciunt quid faciunt* [1]. Hæc autem dico, ne malorum vos suspicio corrumpat. Quot mutationes extitêrunt, ex quo civitati huic præfui, et nemo ad meliorem se frugem recipit? Cùm autem dico, nemo, non omnes condemno, absit. Non enim fieri potest, ut hoc pingue arvum, sementem recipiens, segetem non proferat. Sed ego insatiabilis sum, nolo paucos sed omnes salutem consequi. Si vel unus pereat, ego perii : puto me pastorem imitari, qui cùm nonaginta novem haberet oves, ad unam quæ erraverat accurrit [2]? Quousquè pecuniæ? quousquè argentum, quousquè aurum, quousquè vinum effusum? quousquè famulorum adulationes? quousquè crateres coronati? quousquè satanica convivia, diabolicâ operatione plena? Nùm nosti vitam præsentem esse peregrinationem? nùmnam tu civis? viator es. Intellexisti quid dixerim? non es civis, sod viator et peregrinus. Ne dixeris : Hanc et illam civitatem habeo. Nemo civitatem habet. Civitas sursùm est. Præsentia via sunt. Quotidiè igitur iter facimus, donec natura cursum perficit. Est qui in viâ pecunias recondat? est qui in viâ aurum defodiat? Ingressus diversorium, illud-ne exornas? Minimè, sed comedis et bibis, atque hìnc egredi festinas. Diversorium est vita præsens. Ingressi sumus, præsentem vitam finimus : curemus cum bonâ spe egredi, nihil hìc relinquamus, ne

[1] Luc. XXIII, 34. — [2] Id. XV, 7.

illìc nobis pereat. Ingressus in caupònam, quid puero dicis? Vide quo loco res nostras deponis, ne quid hic relinquatur, ne quid quantumvis leve vel exiguum pereat, ut omnia domum reportemus. Sic et nos in præsenti vitâ : eam quasi cauponam respiciamus, nihilque hìc relinquamus, sed omnia in metropolim reportemus. Viator es ac peregrinus, imò viatore vilior. Quomodò? Ego dicam : Viator scit quandò ingreditur diversorium, et quandò egreditur : in ejus enim arbitrio est egressus, quemadmodùm et ingressus. Ego autem ingressus in diversorium, hoc est in præsentem vitam, quandò egressurus sum ignoro. Atque interdùm pro longo tempore alimenta paro, et Dominus repentè me vocat : *Stulte, quæ parásti cujus erunt? hâc enim nocte accipient animam tuam* [1]. Incertus exitus, instabilis possessio, sexcenta præcipitia, undiquè procellæ. Cur insanis circà umbras? cur relictâ veritate ad umbras confugis?

» Hæc dico, nec dicere desinam dolorem inferens, et vulnera comprimens; idque non propter eos qui cecidêrunt, sed propter eos qui supersunt. Illi namquè abscessêrunt, finemque accepêrunt : qui verò supersunt, eorum calamitatibus cautiores evasêrunt. Et quid, inquies, faciemus? Unum hoc facito, pecunias odio habeas, et vitam tuam diligas. Abjice facultates, non dico omnes, sed superfluas reseca. Aliena ne concupiscas, viduam ne expolies, pupilli bona ne rapias, domum ne accipias : non personas dico, sed res. Si quem conscientia mordet, ipse in causâ est, non meus sermo. Cur rapis, ubi invidia? rape, ubi corona? Ne rapias terram, sed cœlum. *Violentorum est regnum cœlorum, et violenti rapiunt illud* [2]. Quid rapis pauperem accusantem? Rape Christum laudantem. Vidisti improbitatem et insaniam? rapis paupe-

[1] Luc. XII, 20. — [2] Matth. XI, 12.

rem pauca possidentem? Christus dicit, me rapito, rapinæ tibi gratiam habeo : regnum meum rapito, et vim facito. Terrenum regnum si rapere volueris, imò si id vel cogitaveris, supplicium lues. Supernum verò si non rapueris, pœnas lues. Ubi mundana, ibi invidia : ubi verò spiritualia, ibi charitas. Hæc singulis diebus meditare; ne post biduum cernens alium curru vectum, serico indutum vestimento, sese efferentem, conturberis aut stupeas. Ne laudes divitem, sed eum tantùm qui in justitiâ vivit. Pauperem ne vituperes; sed circà res omnes disce recto et incorrupto uti judicio [1]. »

32° Quid de *Prosopopœis* dicam, quorum tot tantaque exempla apud beatos Patres leguntur. Hâc adhibitâ figurâ sic urget sanctus Cyprianus malè fucatas Virgines :

« Non metuis, oro, quæ talis es, ne cùm resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat, et ad sua præmia et promissa venientem removeat et excludat? Increpans vigore censoris et judicis dicat : Opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est; cutem falso medicamine polluisti, crimen adultero colore mutâsti, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est; Deum videre non poteris, quandò oculi tibi non sunt quos Deus fecit, sed quod diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter et arsura. Hæc, oro, cogitanda non sunt Dei servis? non die semper ac nocte metuenda [2]? »

Eadem habetur Figura apud eumdem Patrem in tractatu de Opere et Eleemosynis, ubi Divites objurgans :

« Ut pigros et steriles, inquit, et cupiditate nummariâ nihil circà fructum salutis operantes magis pudeat, ut plùs conscientiam sordidam dedecoris ac turpitudinis suæ

[1] S. Chrys. Homil. in Eutrop. II, n. 3-6. — [2] S. Cypr. de Habit. Virg.

rubor cædat, ponat unusquisque antè oculos suos diabolum cum servis suis, id est, cum populo perditionis ac mortis in medium prosilire, plebem Christi, præsente et judicante ipso, comparationis examine provocare dicentem : Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis et cruoris redemi ; sed nec regnum illis cœleste promitto, nec ad paradisum restitutâ immortalitate denuò revoco ; et munera mihi quàm grandia, quàm pretiosa, quàm nimio et longo labore quæsita, sumptuosissimis apparatibus comparant, rebus suis vel obligatis in muneris obligatione, vel venditis ; ac nisi editio honesta successerit, conviciis ac sibilis ejiciuntur, et furore populari nonnunquàm penè lapidantur ? Tuos tales numerarios, Christe, demonstra, præceptis tuis monitos, et pro terrenis cœlestia recepturos, illos divites, illos copiosis opibus affluentes, an in Ecclesiâ, præsidente et spectante te, ejusmodi munus edant, oppignoratis vel distractis rebus suis, imò ad cœlestes thesauros, mutatâ in meliùs possessione, translatis ? In istis muneribus meis caducis atque terrenis nemo pascitur, nemo vestitur, nemo cibi alicujus aut potûs solatio sustinetur ; cuncta inter furorem edentis et spectantis errorem prodigâ et stultâ voluptatum frustrantium varietate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu vestiris et pasceris, tu æternam vitam operantibus polliceris ; et vix tui meis pereuntibus adæquantur, qui à te divinis mercedibus et præmiis cœlestibus honorantur. Quid ad hoc respondemus, Fratres charissimi ? Sacrilegâ sterilitate et quâdam tenebrarum nocte coopertas divitum mentes quâ ratione defendimus [1] ? »

In unâ deniquè S. Hieronymi ad Paulam Epistolâ super

[1] S. Cypr. de Oper. et Eleemos.

obitu Blesillæ filiæ, duplex ejusmodi exemplum occurrit. Sic enim primùm inducit Salvatorem objurgantem :

« Irasceris, Paula, quia tua filia mea facta est filia? Indignaris de judicio meo, et rebellibus lacrymis facis injuriam possidenti? Scis enim quid de te, quid de cæteris tuis cogitem. Cibum tibi denegas, non jejuniorum studio, sed doloris. Non amo frugalitatem istam; jejunia ista adversarii mei sunt. Nullam animam recipio, quæ, me nolente, separatur à corpore. Tales stulta philosophia habeat martyres, habeat Zenonem, Cleombrotum vel Catonem. Super nullum requiescit Spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea. Hoc est quod mihi in monasterio promittebas? quòd habitu à cæteris separato, tibi quasi religiosior videbaris? Mens ista quæ plangit, sericarum vestium est[1]. »

Deindè pluribus interjectis filiam ipsam Blesillam in medium affert et ipsam matri loquentem :

« Quas nunc existimes, inquit, Blesillam nostram pati cruces, quæ ferre tormenta, quòd tibi Christum videat subiratum? Clamat nunc illa lugenti : Si unquàm me amâsti, Mater, si tua ubera suxi, si in tuis instituta sum monitis, ne invideas gloriæ meæ, nec hoc agas ut à nobis in perpetuum separemur. Putas esse me solam? Habeo pro te Mariam, matrem Domini. Multas hìc video, quas antè nesciebam. O quantò melior est iste comitatus! Habeo Annam, quondàm in Evangelio prophetantem : et quò magis gaudeas, tantorum annorum labores, ego in tribus mensibus consecuta sum. Unam palmam castitatis accepimus. Misereris mei, quia mundum reliqui? At ego vestrî sortem doleo, quos adhùc sæculi carcer includit, quos quotidiè in acie præliantes, nunc ira, nunc avaritia, nunc libido, nunc variorum incentiva vitiorum perfra-

[1] S. Hieron. Epist. XXII.

hunt ad ruinam. Si vis, ut mater mea sis, cura placere Christo. Non agnosco matrem meo Domino displicentem. Loquitur illa et alia multa quæ taceo, et pro te Dominum rogat [1]... »

Quis autem non miretur quomodò sanctus Ambrosius mirâ Prosopopœiâ hanc explicet vocem Prophetæ : *Tuus sum ego, salva me, Domine* [2].

« Ille, inquit, dicit : *Tuus sum*, qui potest dicere : *Ecce omnia reliquimus et secuti sumus te* [3]. Apostolorum itaquè vox ista est, nec omnium tamen apostolorum. Nàm et Judas apostolus fuit, et in convivio Christi inter apostolos recumbebat. Dicebat et ipse *Tuus sum*, sed voce, non corde. Venit et *introivit in eum satanas* [4], et cœpit dicere : Non est tuus, Jesu, sed meus est. Deniquè ea quæ mea sunt cogitat ; quæ mea sunt in pectore suo volvit : tecum epulatur, et mecum pascitur : à te panem accipit, à me pecuniam : tecum bibit, et mihi tuum sanguinem vendit : tuus est apostolus, et meus est mercenarius.

» Non potest dicere sæcularis : *Tuus sum* ; plures enim dominos habet. Venit libido et dicit : Meus es, quia ea quæ sunt corporis, concupiscis : in illius adolescentulæ amore te mihi vendidisti ; in illius concubitu meretricis pretium pro te annumeravi. Venit avaritia, et dicit : Argentum et aurum quod habes, servitutis tuæ pretium est. possessio quam tenes, juris tui emptio, venditio libertatis tuæ est. Venit luxuria, et dicit : Meus es ; unius diei convivium pretium tuæ vitæ est : ille sumptus epularum, tui capitis licitatio, tui est summa contractûs ; et quod pejus est, caro emptus es ; vilior cibo es tuo : pretiosior est unius diei mensa, quàm totius temporis vita. Inter calices

[1] S. Hieron. Epist. XXII. — [2] Psal. CXVIII, 87. — [3] Matth. XIX, 27. — [4] Joan. III, 17.

te redemi, inter epulas acquisivi. Venit ambitio, et dicit tibi : Planè meus es ; nescis quòd ideò imperare aliis te feci, ut mihi ipse servires? nescis quòd ideò potestatem in te contuli, ut meæ te subjicerem potestati?.... Veniunt omnia vitia, et singula dicunt : Meus es. Quem tanti competunt, quàm vile mancipium est!

» Quomodò ergò tu qui hujusmodi es, potes dicere : *Tuus sum*? Respondebit tibi ille : Non quicumquè dicit mihi : *Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum*[1]. Non quicumque dicit mihi : *Tuus sum*, meus est. Meus planè es, si vocem non redarguat conscientia, si sermonem tuum animus aut opera non refutent... Nolo habere servulum pluribus dominis servientem... Non est meus, quem libido succendit ; quia mea est castitas. Non est meus, quem cura spoliandi minores exagitat ; quia mea integritas est. Non est meus quem ira mobilis inquietat ; quia mea tranquillitas est. Non est meus vini crapulâ temulentus in lucem, ambitione gloriæ sæcularis ebrius, qui in periculum non possit sobriæ moderationis servare vestigium. Pax sum ego, litigare non novi. Quid mihi ad eum de quo veniat diabolus, et dicat : Meus est ; nàm mihi sua colla curvavit, mea in illo plura reperio : nomen sibi tuum vindicat, et meum munus[2]? »

33° Prosopopœis vicina est illa figura quæ *Sermocinatio* dicitur, quæque in eo consistit, quòd producantur personæ inter se colloquentes aut etiam admonentes seipsas. Hujus generis nihil potest excogitari præstantius quàm illud sanctæ Scripturæ oraculum, quod non semel adduxêrunt beati Doctores :

Exiguum est et cum tædio tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis ; quia ex nihilo nati

[1] Matth. VII, 21. — [2] S. Ambros. Enarr. in Psal. CXVIII.

sumus, et post hoc erimus tanquàm non fuerimus : quoniam fumus flatus est in naribus nostris : et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum, quâ extinctâ, cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tanquàm mollis aër, et transibit vita nostra tanquàm vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est à radiis solis, et à calore illius aggravata ; et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operûm nostrorum. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri : quoniam consignata est, et nemo revertitur. Venite ergò, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creaturâ tanquàm in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus : et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequàm marcescant : nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrûm exors sit luxuriæ nostræ : ubiquè relinquamus signa lætitiæ : quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors [1]. »

Idem genus adhibuit falsus Eusebius Emissenus, ubi dicit :

« Alloquatur se in secretis cordis unaquæque anima, et dicat : Videamus, si hunc diem sinè peccato, sinè invidiâ, sinè obtrectatione ac murmuratione transegi. Videamus, si hodiè aliquid, quòd ad profectum meum, quòd ad ædificationem aliorum pertineret, operatus sum. Puto quòd hodiè illum incipientem destruxi : hodiè seniori meo inobediens fui : mentitus sum, perjuravi, irâ vel gulâ victus sum ; plùs hodiè risi : plùs cibo ac potui, plùs otio ac somno, quàm quod decebat, indulsi : minùs legi,

[1] Sap. II, 1-9.

minùs oravi quàm debui. Quis mihi reddet hunc diem, quem fabulis in vanis perdidi [1] ? »

Quis non moveretur pulcherrimam hanc sancti Ephræm cum Deo Sermocinationem legens :

« Ego Ephræm peccator, ignavus ac piger in certamine spirituali, in quo assiduè ob negligentiam meam animique torporem vincor, vobis, strenui pugiles Deique amantissimi Fratres, ingentem animi mei timorem atque tremorem, qui quodam die me miserum atque distractum invasit, enarrare volo. Solus sedebam in loco quodam quieto, tranquillo atque sublimi, et inanes hujus vitæ curas, tumultus ac perturbationes mente revolvebam ; et illacrymans dicebam : Quomodò vita hæc velut umbra fugit, et instar velocissimi cursoris pertransit, et tanquàm flos matutinus marcescit? rursùsque cum dolore ac gemitu : Quomodò, inquam, sæculum hoc prætereat, ignoramus. Quarè ignavia rebusque ac cogitationibus inutilibus distrahimur? Hæc dùm mecum expendo, repentè oculos in cœlum sustuli, et penè à sensibus alienatus, magno timore perculsus, oculis cordis mei Dominum summâ in gloriâ sedentem prospexi, et sic animam meam compellantem audivi : Cur, ô Anima, cœlestem tuum thalamum lumine gloriæ plenum contemnis? cur, ô Anima sponsa mea, me immaculatum et immortalem sponsum tuum odisti? cur, ô Anima, spernis illa bona quæ ego in lumine vitæ præparavi tibi? cur, ô Anima, te à me per res cogitationesque indecentes alienâsti? cur, ô Anima, omni cum studio adventum meum non præstolaris? cur, ô Anima, lampadem tuam non tenes, expectans dùm clamorem illum audias : *Ecce sponsus venit, exite obviam ei* [2] cum lætitiâ? cur, ô Anima, non contendis tibi vestem ad nuptias dignam parare? cur, ô Anima, cum

[1] Falsus Euseb. Emiss. Homil. IX ad Monach. — [2] Matth. XXV, 6.

gaudio cœlestem illum sanctumque thalamum non ingrederis? cur, ô Anima, me qui bonus sum, teque à morte in vitam asserui, odisti? Ego, ô Anima, tui causâ mortem oppetii, ut te sponsam mihi conciliarem; ego, ô anima, regnum tibi in hæreditatem sinè invidiâ præstiti; ego, ô Anima, cuncta bona mea tanquàm rex tibi largitus sum; ego, ô Anima, homo propter te factus sum, ut vitam tuam à corruptione liberarem; ego, ô Anima, vitam tuam cunctis operibus meis prætuli; ego, ô Anima, thalamum tibi in cœlis præparavi angelisque mandavi ut in eo coràm te ministrarent, ut cum gaudio illùc intrares. Tu verò, ô Anima, me cœlestem sponsum et ineffabilia quæ tibi paravi bona sprevisti. Sed quis, quæso, præferri mihi potest, qui res omnes creatas meis miserationibus conservo? Quis pater vitam donat ut ego, quem tu, Anima, reliquisti, et alienum odioque dignissimum concupivisti [1]? »

34° Adjiciamus hìc etiam, si vultis, quædam de *Comparationibus,* quæ græcè *Parallela* dicuntur, quibus fit ut duabus inter se rebus collatis, major elicitur unius præstantia, et alterius defectus. Mirabilis præsertim in hâc parte videtur divus Chrysostomus, ut patet ex hâc homiliâ, ubi tanto cum ingenio vitam Monachorum cum Sæcularium vitâ confert, ut beata prior, posterior verò misera admodùm omnibus audientibus appareat. Sic autem ille :

« Quid dulce in præsenti vitâ est? quid jucundum? Nàm cum majore fiduciâ vos alloqui hodiè volo : sed me ferte, ut discatis vitam quæ dura et onerosa videtur, Monachorum scilicèt et eorum qui se ipsos crucifixêrunt, longè dulciorem desiderabilioremque esse hâc vitâ, quæ videtur suavior delicatiorque. Hujusque rei testes vos estis, qui sæpè in calamitatibus et ærumnis mortem op-

[1] S. Ephræm. de Timor. animar. n. 1, 2.

tâstis, illosque beatos prædicâstis, qui in montibus, in speluncis degunt, cælibemque et negotiis vacuam ducunt vitam; vos, nempè, qui vel artifices, vel milites estis, sivè qui vitam ducitis otiosi, sivè qui in scenâ et orchestris diem transigitis. Ibi enim undè mille voluptates scaturire videntur, sexcenta tela mittuntur amarissima. Si quis enim saltantis puellæ amore inflammetur, omni militiâ, omni peregrinatione duriores feret cruciatus, pejorique in statu quàm urbs obsessa erit. Sed ne illis diutiùs incumbamus, ipsis eorum qui sic capti sunt, conscientiæ relictis, age de multorum vitâ nunc agamus: et tantum inter utramque vitam inveniemus intervallum, quantum inter portum et fluctibus agitatum pelagus. Ex habitaculis statim ab exordio horum felicitatem considera; fora enim et urbes, tumultusque in medio positos fugientes, vitam in montibus delegêrunt, quæ nihil cum præsenti vitâ communè habet, quæ nihil humanum patitur; non dolorem pro rebus sæcularibus, non mœrorem vel sollicitudinem, non pericula, non insidias, non invidiam, non livorem, non turpes amores, non aliud quidpiam simile. Jàm hìc illi quæ ad regnum cœlorum pertinent meditantur, in saltibus versantes, montibus fontibusque, cum quiete multâ: præcipuè autem Deo hærent tuguriumque illorum omni tumultu vacuum est, anima omni morbo et pravo affecta libera, levis, expedita, et tenuissimo aëre purior. Opus autem illorum idipsum est quod Adam initio habuit, antequàm peccaret, quandò, gloriâ indutus, cum Deo liberè loquebatur, et locum illum multâ beatitudine refertum incolebat. In quo enim hi pejus quàm ille degunt, cùm antè inobedientiam positus est in paradiso ut operaretur? Nulla ipsi sæcularis sollicitudo inerat; nulla etiam Monachis illis: pura conscientia Deum alloquebatur; et hi similiter: imò multò majorem quàm ille fiduciam habent,

utpotè majori fruentes gratiâ Spiritûs. Par esset certè vos hæc oculis percipere; sed quia non vultis, atque in tumultu et foro degitis, vos saltem verbo doceamus : unam verò partem vitæ illorum excipiemus; nàm totam persequi non possumus. Illi qui luminaria sunt orbis, cùm sol ortus est, imò diù antequàm luceat, è lecto surgentes, sani sunt, vigiles, expediti; nullus enim ibi dolor, vel sollicitudo, vel sopor, non labor, non negotiorum turba, non quid simile. Sed quasi angeli in cœlo degunt. Surgentes igitur statim læti et hilares, chorum facientes unum, læto vultu et conscientiâ, simul omnes quasi uno ore hymnis universorum Deum celebrant, laudantes eum et gratias ipsi agentes pro omnibus sivè propriis, sivè communibus beneficiis. Quarè, misso Adamo, interrogemus in quo differat ab angelis ille chorus canentium in terrâ et dicentium : *Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax, in hominibus bona voluntas* [1]. Vestis autem illis viris digna est : neque enim perindè vestiuntur atque ii qui tunicas trahunt per vicos, enervati et effœminati : sed ut beati illi angeli Elias, Elisæus, Joannes, Apostoli, vestiuntur; alii ex pilis caprinis, alii ex pilis camelorum, quidam pellibus tantùm amiciuntur vetustate tritis. Deindè post illa cantica, genua flectentes Deum precantur pro rebus, quæ multis ne in mentem quidem venire possint. Præsentium enim nihil petunt; illa quippè nihil curant; sed ut cum fiduciâ stare possint antè tribunal illud horrendum, quandò veniet unigenitus Dei Filius judicare vivos et mortuos; et ut nemo audiat terribilem illam vocem, *Nescio vos* [2]; atque ut cum purâ conscientiâ et bonis operibus laboriosam hanc vitam emetiantur, et procellosum hoc mare tranquillè transmeent. Dux est autem illis orationis, pater et præfectus. Deindè surgentes post sanctas illas et frequen-

[1] Luc. II, 24. — [2] Id. XIII, 25.

tes orationes, oriente sole, singuli ad suum opus se conferunt, hinc magnum egenis proventum parantes.

» Ubi sunt nunc illi qui diabolicis choris se dedunt meretriciisque cantibus, et in theatris sedent? Non sinè pudore illos memorare possum; sed ob infirmitatem vestram id facere operæ-pretium fuerit. Nàm ait Paulus: *Sicut igitur exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, ità nunc exhibete illa servire justitiæ in sanctificationem*[1]. Nos itaquè chorum illum meretricûm mulierum exploremus, necnon corruptorum juvenum, qui stant in scenâ, et comparemus eos cum his beatis viris, quod ad voluptatem pertinet: quâ voluptate capiuntur multi juvenes ex negligentioribus, illorum artibus irretiti. Tantum enim inter utrosque discrimen reperiemus, quantum inter angelos in cœlo canentes, et suavem illam melodiam emittentes, et canes porcosque in fimo ululantes et grunnientes. Per horum enim ora Christus, per illorum linguam diabolus loquitur. Tibiæ illis inconditâ voce sonant, injucundumque aspectum inflatæ genæ et distracti nervi efficiunt: verùm hic gratia Spiritûs insonat, pro tibiâ, citharâ et syringe, sanctorum vocibus usa. Imò quantalibet dicamus, non possumus illam voluptatem describere hominibus luto et lateritio operi addictis. Quare vellem quempiam ex insanientium illorum numero illùc adducere, ut chorum illum sanctorum videret, neque mihi tunc verbis esset opus. Cæterùm etsi luteos homines alloquamur, ex luto illos et ex cœno paulatim abducere tentabimus. Illìc enim igne impuri amoris statim inflammatur auditor: nàm quasi non satis esset ad animum inflammandum meretricis aspectus, ex voce quoquè perniciem adjiciunt. Hìc autem si quid simile hauserit anima, statim deponit. Neque vox tantùm illorum, sed etiam as-

[1] Rom. VI, 13.

pectus, imò etiam vestimenta spectatores conturbant. Si pauper quidam sit ex rudioribus abjectioribusque, hoc spectaculum sæpè molestè feret, et intrà se dicet : « Meretrix illa et scortator, laniorum vel sutorum, nonnunquàm servorum filii, in tantâ vivunt voluptate : ego verò liber et ex liberis ortus, justo labore victum parans, ne somnians quidem ità deliciari possum : » et sic mœrore confectus abit. Apud Monachos autem nihil simile, sed contrarium omninò : cùm enim ille viderit divitum filios et majorum insignium nepotes iis vestitos indumentis, quæ ne pauperum quidem ultimi ferre dignarentur, et in hâc re gaudere, cogitate quantâ paupertatis acceptâ consolatione recedat. Si dives fuerit, moderatior et melior recedit. In theatro si videant meretricem aureis circumdatam ornamentis, pauper ejulabit et deplorabit, uxorem suam videns nihil istiusmodi habentem : divites ex hoc spectaculo reversi, uxores suas despicient : nàm postquàm meretrix et vestitum, et aspectum, et vocem, et incessum, et omnia mollitie plena exhibuit præsentibus, inflammati illi discedunt, et captivi in ædes suas intrant. Hìnc contumeliæ, jurgia, rixæ, bella, mortes quotidianæ : Hìnc vita captis ingrata ; conjux deinceps injucunda, filii minùs amabiles, omnia domi pessum eunt, ità ut vel solis radios molestè ferat qui talis est. Verùm ex his choris nihil injucundum refertur ; hìnc venientem uxor virum mansuetum et mitem excipiet, ab omni absurdâ voluptate liberum et faciliorem quam antè reperiet. Hæc mala chorus ille, hæc bona hic parit ; ille ex ovibus lupos, hic ex lupis agnos facit. Sed forsan de voluptate nihil adhùc dixisse videmur. Quid dulcius quàm animum nec perturbatione nec dolore agitatum habere, nunquàm in dolore esse, vel ingemiscere? Verumtamen sermonem ulteriùs producamus, atque utriusque tùm cantûs, tùm spectaculi

gaudium examinemus : videbimusque aliud usquè ad vesperam manere, donec scilicèt in theatro spectator sedet, deindè autem stimulo acriùs ipsum pungere ; hìc autem gaudium perpetuò vigere in spectantium animis : nàm et virorum formam, et loci jucunditatem, et conversationis dulcedinem, et vitæ puritatem, et pulcherrimi spiritualisque cantici gratiam habent in se semper insidentem. Qui hoc igitur portu semper fruuntur, tumultum posteà quasi tempestatem fugiunt. Neque solùm canentes vel precantes, sed etiam libris intenti, jucundum videntibus præbent spectaculum. Soluto quippè choro, alius Isaïam sumens cum ipso loquitur ; alius cum apostolis versatur, alius ab aliis conscriptos libros legit, ac de Deo philosophatur, de universo, de visibilibus, de invisibilibus, de sensibilibus, de spiritualibus, de vilitate hujus vitæ, de futuræ magnitudine.

» Aluntur autem cibo optimo, non decoctis animalium carnibus, sed eloquiis Dei dulcioribus quàm mel et favum [1] : mel mirabile, multòque melius quàm illud, quo Joannes in deserto olim alebatur. Mel quippè istud non apes agrestes floribus insidentes colligunt, neque rorem concoctum alvearibus suis immittunt ; sed Spiritûs gratia apparans pro favis, alvearibus et fistulis in sanctorum animas immittit, ut quisque possit pro lubito perpetuo edere. Has apes imitantes, sacrorum favis Librorum circumvolant, multam indè decerpentes voluptatem. Si ergò volueris quæ illorum mensa sit ediscere, propiùs ad eos accedas, et videbis eructare eos dulcia et spirituali odore plena. Illorum ora nihil possunt turpe proferre, nihil scurrile vel asperum, sed omnia cœlo digna. Non abs re feceris, si ora multorum, qui in foro vagantur et ad sæcularia quasi rabie feruntur, cloacis comparaveris,

[1] Psal. XVIII, 11.

Monachorum autem ora, fontibus mel effundentibus fluentaque pura. Si quis autem ægrè ferat quod multorum ora cloacis comparaverim, is sciat me parcè locutum. Scriptura namquè non hâc utitur mensurâ, sed vehementiore similitudine, dicens : *Venenum aspidum sub labiis eorum*, et *sepulcrum patens est guttur eorum* [1]. Sed non talia sunt illorum ora, at bono odore plena. Et præsentia quidem hujusmodi sunt, futura verò quæ oratio assequatur? quæ mens apprehendat? Sortem illam angelicam, beatitudinem, ineffabilia bona? Multi fortassè fervore incensi, concupiscentiâ hujus optimi instituti capti estis. Sed quid hinc emolumenti, si hìc tantùm hoc igne ardeatis, hinc autem egressi, flammam extinguatis, et hic amor tabescat? Quomodò igitur huic malo medeberis? Ut amoris fervore tenearis, adi angelos illos, te ampliùs incende. Non enim hæc oratio perindè te accendere valet, ut ipsum rerum spectaculum. Ne dixeris : « Colloquar cum uxore, et res absolvam primùm : » negligentiæ initium est hæc procrastinatio. Audi quempiam voluisse primùm iis, qui domi erant valedicere, et Prophetam non permisisse. Ecqnid dico valedicere? Patrem sepelire voluit discipulus, neque id concessit Christus [2]. Atqui quid videtur tibi ità necessarium esse ut sepultura patris? At non id permisit. Quarè? quia vehementer instat diabolus, ut sese insinuet : et si tantillùm socordiæ et tarditatis deprehendat, in magnam desidiam conjicit. Ideò monet quispiam, *Ne tardes de die in diem* [3]; sic enim plurima poteris emendare, sic quæ domi sunt probè disponentur. Ait enim : *Quærite primùm regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* [4]. Si nos enim, cùm quidam sua negligentes, nostris magis advigilant, omni sollicitudine vacuos esse curamus; multò magis Deus qui non hâc ha-

[1] Psal. XIII, 3. — [2] Luc. IX, 60. — [3] Eccli. V, 8. — [4] Matth. VI, 33.

bitâ ratione nostra curat, iisque providet. Ne itaquè de tuis sollicitus sis, sed illa committe Deo. Nàm si tu sollicitus es, ut homo curas; Deus verò, ut Deus providet. Ne ergò de iis sollicitus sis, præstantiora relinquens, alioquin Deus illa minùs curabit; ut illa ergò diligenter curet, ipsi soli omnia committe. Si enim, relictis spiritualibus, illa tractes, non magnam eorum Deus geret providentiam. Ut igitur et tibi hæc rectè composita sint, et sollicitudine omni libereris, hære spiritualibus, sæcularia despice : sic enim et terram cum cœlo obtinebis, futura bona consequeris gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen [1]. »

Quis illud legendo tantâ cum facundiâ exaggeratum, non subitò crediderit, nihil jàm esse reperiendum, quo idem amplificetur argumentum. Sed quod ne excogitari quidem posse existimâsset commune ingenium, hoc non modò aggredi ausus est, sed et feliciter adimplere prævaluit inexhaustus ille animus. Postridiè enim iisdem auditoribus loquens, quibus prima collatio non immeritò placuerat, sic eadem repetere adorsus est :

« Recordare Sanctorum illorum, de quibus nuper dixi, qui cilicio induuntur, et deserta incolunt. Hi maximè vestem nuptialem habent, ut hinc liquidum est, quòd si illis purpuram offeras, accipere nolint : sed quemadmodùm rex indumenta pauperis oblata, sic illi regiam purpuram respuerent. Nec aliâ de causâ illo sunt affectu, quàm quòd pulchritudinem vestis suæ noverint; ideò purpuream illam vestem ut araneæ telum respuunt. Hæc enim illos cilicium docuit; nàm sunt ipso rege sublimiores et splendidiores. Ac si posses januas mentis eorum aperire, ipsorumque animam videre, interioremque ornatum omnem, in terram decideres : cùm non ferres tantæ pulchritu-

[1] S. Chrys. Homil. LXVIII, in Matth. n. 3-5.

dinis splendorem, et vestium fulgorem, necnon fulgur conscientiæ ipsorum. Possemus exempla proferre veterum magnorum atque mirabilium hominum; sed quia rudiores exempla, quæ sub oculos cadunt, magis concitant, ideò vos ad tabernacula Sanctorum istorum mitto. Nihil enim triste habent; sed utpotè qui in cœlis tuguria sua fundaverint, sic procul ex hujus vitæ miseriis habitant, militantes contrà diabolum, et quasi choreas agentes, sic bellum gerunt adversùs eum. Ideò constructis tuguriis, urbes, forum, domos fugiunt; nàm qui bellum gerit, non debet domi sedere; sed promptè paratum domicilium habeat oportet, ut qui citò proficisci debeat. Tales sunt illi omnes contrà quàm nos sumus. Nos quippè, non ut in exercitu, sed quasi in pace fruentes urbe vivimus. Quis enim unquàm in exercitu fundamenta jacit, et domum construit, quam paulopost relicturus est? Nemo sanè : sed et si quis id tentaverit, ut proditor occiditur. Quis in exercitu terræ jugera emit, et negotiationes apparat? Nemo certè, et jure quidem : nàm ad bellandum venisti, non ad negotiandum. Quid igitur laboras circà locum, quem paulopost relicturus es? Cùm in patriam venerimus, id facito. Cùm in supernam civitatem advenerimus, his fruere. Hæc tibi nunc dico; cùm supernam possessionem nacti fuerimus, tunc id facito. Imò nihil tibi illìc labore opus erit : rex enim omnia illìc operatur. Hìc nobis satis est fossam parare, vallum figere : ædificii nulla necessitas est. Audi quænam sit Hamaxobiorum Scytharum vita, qnod Nomadum institutum vitæ. Sic oporteret Christianos vivere, per orbem circumire contrà diabolum pugnantes, captivos ab illo detentos liberantes, relictis omnibus sæcularibus rebus. Cur domum apparas, ô homo? An ut teipsum magis vincias? cur thesaurum defodis, et inimicum contrà te incitas? cur muros ædificas, et tibi

carcerem paras? quòd si hæc tibi difficilia esse videantur, ad illorum tabernacula pergamus, ut ex opere, rei facilitatem ediscamus. Nàm cùm tuguria illi excitaverint, si opus sit illìnc discedere, sic abscedunt ut milites, qui tempore pacis exercitum relinquunt. Nàm hi similiter tentoria figunt, sed longè suaviùs. Nàm longè suavius est solitudinem videre frequentes Monachos habentem, quàm milites in exercitu vela tendentes, et hastas figentes, et à cuspide hastarum crocea pallia dependentes; hominum multitudinem æneis capitibus, umbones clypeorum fulgorem multum emittentes, loricis indutos ferreis, regiam promptè paratam, illosque omnes prandentes et tibiâ ludentes. Non ità jucundum hoc theatrum est, quàm hoc de quo nunc loquor. Nàm si in solitudinem abeamus, videamusque militum Christi tabernacula, non vela extensa videbimus, non hastarum cuspides, non peplos aureos tholum regium efficientes, sed ac si quis in terrâ multò hâc latiore et immensâ multos extenderet cœlos, novum atque mirabile theatrum ostenderet, ità et ibi videre est: habitacula quippè illorum cœlo non inferiora æstimanda sunt: nàm angeli ad eos divertunt, imò ipse angelorum Dominus. Nàm si ad Abrahamum venêrunt, qui uxorem habebat, et filios nutriebat, quia hospitalem illum vidêrunt; cùm virtutem longè majorem inveniunt, et hominem à corpore liberatum, atque in carne carnem despicientem, multò libentiùs ibi versantur, et choream agunt ipsis consentaneam. Mensa quippè apud illos omni luxu immunis est, munda et philosophiâ plena. Non sanguinis rivi apud illos, neque dissectæ carnes, non capitis gravedines, non condimenta, non nidor insuavis, non fumus ingratus, non cursus, tumultus, turbæ, clamores onerosi; sed panis et aqua; hæc à puris fontibus, ille ex justis laboribus. Quòd si lautiùs voluerint epulari, bacœ lauti-

tiam implent : et major hìc est voluptas, qnàm in regiis mensis. Nullus hìc timor aut tremor : non magistratus accusat, non uxor irritat, non filius in mœrorem conjicit, non risus nimius resolvit, non adulatorum numerus inflat, sed angelorum est mensa, omni simili tumultu vacua. Strato feno ad recumbendum utuntur, quod et Christus fecit cùm prandium in deserto dedit. Multi verò neque sub tecto id faciunt, sed pro tecto cœlum habent, et lunam pro lucernæ lumine, quæ nec oleo eget, nec ministro : illis certè solis condignè luna ministrat lucem.

» Hanc angeli mensam ex cœlo spectantes gaudent et lætantur. Nàm si de uno peccatore pœnitentiam agente gaudent [1], de tot justis ipsos imitantibus quid non facient? Non est ibi dominus et servus. Omnes servi, omnes liberi. Nec putes ænigma esse id quod dicitur : nàm servi mutuò alter alterius, et domini mutuò sunt. Appetente vesperâ, nemo mœstus est : quod multi hominum patiuntur, dùm diurnorum malorum sollicitudines animo revolvunt. Post cœnam non sunt fures timendi, non claudenda janua, non imponendus vectis, neque alii metus adsunt [1] qui plurimos exagitant, qui accuratè lucernas afferunt, ne scintilla ædes incendat. Illorum colloquia sunt tranquillitate plena. Neque eadem, quæ nos, loquuntur, quæ nihil ad nos pertineant : « Ille præfectus factus est, ille præfecturâ excidit; ille mortuus est, et alius hæreditatem excepit, » atque hujusmodi alia. Sed illi semper de futuris loquuntur et philosophantur; ac si in alio habitarent orbe, ac si in cœlum translati essent, ac si ibi vitam agerent, sic de cœlestibus semper loquuntur, de sinu Abrahæ, de coronis sanctorum, de Christi choreâ; de præsentibus nulla mentio. Sed sicut de iis quæ formicæ in foraminibus suis agunt loqui non dignamur, sic neque illi de rebus

[1] Luc. xv, 7.

nostris loquuntur; sed de Rege superno, de bello præsenti, de diaboli machinamentis, de sanctorum gestis. Si cum illis comparemur, quid à formicis differimus? nihil certè. Nàm ut formicæ corporalia curant, ità et nos. Atque illa solùm utinàm curaremus; at certè nunc multò pejora. Neque enim de necessariis solùm cura est nobis, sicut formicis, sed etiam de superfluis. Illæ namquè cursum tenent omni crimine liberum : nos autem omnem rapinæ modum. Neque formicas imitamur, sed lupos et leopardos : imò et illis pejores sumus. Illis namquè eum vescendi modum natura tribuit : nos verò ratione et æquitate ornavit Deus; at nos feris ratione destitutis deteriores evasimus : illi verò angelis æquales, sicut peregrini et advenæ hìc sunt; in omnibusque sunt nobis dissimiles, in vestibus, cibo, domo, calceis, sermone. Si quis et illos et nos loquentes audiret, tunc planè nosset quomodò illi cœlestes cives, nos ne terrâ quidem digni simus. Ideò cùm quis dignitate insignis illos adit, tunc maximè fastus omnis dejicitur. Nàm agricola ille sæcularium omnium imperitus, propè ducem de dignitate suâ altum sapientem sedet super stratum feni, cum sordido pulvinari. Non enim adsunt ibi qui ipsum extollant et inflent; sed idipsum accidit ac si quis ad aurificem et rosetum veniat; nàm et ab auro et à rosis aliquid splendoris accipit : ità et illi, ex Monachorum radiis aliquid lucri referentes, paululum quid ex arrogantiâ deponunt. Ac quemadmodùm qui in altum ascendit locum, quantùmvis staturâ parvus sit, procerus videtur esse; sic et isti, cùm sublimes illorum animos adeunt, similes illis apparent quandiù ibi manent : cùm autem descenderint, rursùs humiliores videntur, ab illâ altitudine dejecti. Nihil apud illos est rex, nihil præfectus; sed quemadmodùm nos de pueris illos repræsentantibus ridemus, sic et illi tumorem eorum, qui foris

metum suî incutere curant, respuunt. Id indè palàm est, quòd si quis ipsis regnum tutò servandum offerret, nunquàm illi acciperent; acciperent fortè, nisi altiùs saperent, nisi temporaneam rem esse putarent. Cur ergò non properabimus ad illam beatitudinem, non hos angelos adibimus, non puras vestes accipiemus, et cum pompâ has nuptias celebrabimus, sed mendici manebimus, pauperibus nihilo meliùs affecti; imò pejore ac miserabiliore quàm illi conditione? Nàm illis certè miseriores sunt qui malè partas divitias possident : melius quippè est mendicare, quàm aliena rapere : nàm illud veniâ, hoc supplicio dignum. Et ille quidem Deum non offendit et homines : ille rapinæ fert labores, fructum autem omnem alli sæpè tulêrunt. Hæc cùm sciamus, avaritiâ omni depositâ, cœlestia atque cœleste regnum cum studio omni rapiamus. Non potest enim, non potest certè qui negligens est eò intrare. Utinàm verò omnes vigiles facti et diligentes, illud consequamur, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen [1]. »

Duo inter illa tàm splendida fragmenta judicium ferre audeat, qui voluerit. Quale sententiarum pondus! quæ verborum gratia! quanta in eodem argumento tractandi diversitas! Quis autem illum crediderit post tot et tanta jàm duobus vicibus prædicta, vice tertiâ, tertio die, ad eadem retractanda redire non dubitâsse, et hoc non minori, imò etiam majori verborum amænitate et abundantiâ sententiarum? Sic ergò Homiliâ sequenti dicere pergit:

« Solitudinem rursùm petamus; nàm idem rursùs argumentum tractare libet, quia vos cum voluptate hæc audire conspicio. Videamus ergò hodiè exercitus illos spirituales : videamus voluptatem timore omni vacuam. Non

[1] S. Chrys. Homil. LXIX, in Matth. n. 3, 4.

turbationes, omnia demùm indè pulsa sunt, tùm à tugurio, tùm à corpore, magnus ibi portus : apud illos autem plurima tempestas. Rescinde igitur cogitatione ventrem eorum, qui talibus cibis ingurgitantur, videbis congeriem magnam, impuros canales, *Sepulcrum dealbatum* [1] : quæ sequuntur verò pudet dicere, ructus insuaves, vomitus, egestiones sursùm deorsùm. At in solitudine hasce concupiscentias mortuas vide, necnon vehementiores indè ortos amores, venereos dico : hos quippè omnes projectos videbis, cum equis, cum jumentis. Jumentum enim, telum, equus ad obscœnum opus exprimendum adhibentur. Sed videbis simul equum et ascensorem talem, et tela jacentia : illìc verò contraria omnia, animas mortuas dejectas. Neque in mensâ tantùm victoria Sanctis illis conspicua; sed et in aliis, in pecuniis, in gloriâ, in livore, in ægritudinibus omnibus. Annon ergò videtur tibi hic exercitus fortior illo, et hæc mensa melior? Quis contradicat? Nemo, nequidem ex illis, etiamsi admodùm furens sit. Hæc quippè in cœlum mittit, illa ad gehennam trahit : hanc diabolus parat, illam Christus : hanc voluptas et luxus disponit, illam philosophia et temperantia. Hìc Christus adest, illìc diabolus : ubi enim ebrietas, ibi diabolus est : ubi obscœna verba, ubi saturitas, ibi dæmones choreas agunt. Talem habuit mensam Dives ille; ideòque nec stillam aquæ habebat.

» At Monachi non talem habent, sed angelorum vitam meditantur; nec uxores ducunt, neque diù dormiunt, nec deliciis student; sed præterquàm in paucis quibusdam, incorporei videntur. Quis igitur est qui tam facilè hostes fundere possit, ut prandium sumendo, tropæum erigat? Ideòque ait Propheta : *Parâsti in conspectu meo mensam adversùs eos qui tribulant me* [2]. Non enim errabit,

[1] Matth. XXIII, 27. — [2] Psal. XXII, 5.

si quis hoc eloquium mensam spectare dixerit. Nihil enim sic animam turbat, ut concupiscentia absurda, deliciæ ciborum, ebrietas, et mala quæ indè oriuntur: et hoc nôrunt qui harum rerum periculum fecêrunt. Si autem didiceris undè hæc mensa colligatur, undè illa, tunc probè scies quæ sit inter utramque differentia. Undenàm ergò hæc colligitur? ex lacrymis innumeris, ex viduarum spoliis, ex raptis pupillorum facultatibus. Illa verò ex justis laboribus paratur : similisque est formosæ speciosæque mulieri, quæ nullo exteriore eget ornatu, sed naturalem habet pulchritudinem : illa verò meretrici deformi et turpi, quæ fuco multo utitur, neque potest deformitatem obtegere, sed quò propiùs accedere tentat, eò magis removetur; nàm quantò magis accedit ad consortem, tantò magis ejus deformitas deprehenditur. Ne ascendentes convivas aspexeris, sed recedentes, et tunc ejus turpitudinem videbis. Illa verò alia, libera cùm sit, nihil sinit consortes obscœnum dicere; hæc autem nihil honestum, utpotè quæ meretrix et infamis sit. Hæc consortis sui utilitatem quærit; illa perniciem ejus. Hæc non permittit offendere Deum, illa non sinit non offendere. Adeamus igitur illos, indè sciemus quot simus vinculis constricti. Indè sciemus mensam apponere mille bonis plenam, jucundissimam, nullius impensæ; sollicitudine, invidiâ, livore vacuam, ab omni morbo liberam, bonâ spe refertam, multis ornatam tropæis. Nulla est ibi animi perturbatio, non morbus, non ira : omnia tranquillitas, omnia pax. Ne mihi silentium ministrorum in mensis divitum memores, sed clamores convivarum : non illum quo mutuò utuntur, licèt et hic ridiculus sit, sed interiorem, qui in animo, qui magnam affert captivitatem, cogitationum tumultum, procellam, caliginem, tempestatem, quibus omnia minuuntur et permiscentur, et nocturnæ pugnæ similis est.

Sed non talia in tabernaculis Monachorum; sed multa tranquillitas, quies multa. Et illam quidem mensam excipit somnus morti similis, hanc verò vigilantia; illam supplicium, hanc regnum cœlorum et immortalia præmia. Illam igitur insequamur, ut fructibus ejus fruamur, quos utinàm omnes consequamur, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen[1]. »

In Comparationibus non cedit Chrysostomo S. Gregorius Nazianzenus, cujus unum sufficiet referre exemplum, nempè illam quæ inter Juliani Apostatæ et Constantini imperatoris funus intercessit discrepantiam :

« Quid reliquum erat, nisi ut impii cadaver ad Romanos referretur, etiamsi ità vivis excessisset? Quoniam autem nos etiam exanime corpus habemus, hunc scilicèt, qui antè ipsum è vitâ migravit, videamus hìc quoquè, quantùm inter utrumque imperatorem discriminis fuerit : si quid hoc etiam ad defunctorum felicitatem et infelicitatem conferat. Ille igitur publicis præconiis, faustisque ominibus, ac celebri pompâ deducitur, religiosisque etiam his nostris officiis, per totam scilicèt noctem productis canticis et accensis facibus, quibus nos Christiani pium è vitâ discessum ornandum existimamus. Atque corporis elatio conjunctam cum mœrore celebritatem habet. Quòd si cui fidem narratio facit, id quoquè in multorum auribus disseminatum est, quòd cùm corpus Tauri juga superaret, ut ad patriam civitatem, hanc, inquam, illis cognominem ac celeberrimam referretur, vox quædam è summis locis à nonnullis exaudiebatur, velut psallentium et prosequentium (angelicarum opinor Virtutum :) quod pietatis illi præmium erat ac funebris remuneratio. Nàm etsi rectam fidem nonnihil luxare visus est, hoc tamen crimen

[1] S. Chrys. Homil. LXX, in Matth. n. 3-5.

importunitati procerum fideique pravitati tribuendum est, qui simplicem, parùmque in pietate firmam animam, minimèque barathra prospicientem nacti, eam, quò libuit, abduxêrunt, atque accuratioris doctrinæ prætextu, zelum in vitium vertêrunt.

» At nos, id quod communius est, tùm patrem, à quo imperatoriæ potentiæ fideique fundamenta Christianismo jacta sunt, tùm etiam fidei hæreditatem ad filium devolutam cogitantes, ejus, qui justè semper in imperio vixerat, pioque fine vitam clauserat, ac principatum nobis reliquerat, tabernaculum, ut par erat, honore complectebamur. Ut autem ad magnam et imperatoriam urbem propiùs accessit, quid totius exercitûs satellitium, et armatorum ordines sese imperatori, tanquàm vitæ usurâ fruenti, exhibentes commemorare attinet, aut splendidæ civitatis effusionem, omnium, quæ unquàm fuêrunt aut futuræ sunt, celeberrimam? At fortis ille et audax, novâque purpurâ ornatus, eâque de causâ, ut probabile est, elatus atque insolens, funeris ipse quoquè honorem ei pro parte suâ impendit, eamdem gratiam dans, vicissimque accipiens, partim vi et necessitate, partim spontè, ut fama est. Exercitus enim universus, tametsi præsenti imperio sese submitteret, majori tamen honore defunctum prosequens, (quandoquidem recentibus adhùc calamitatibus majorem quamdam benevolentiam præ nobis ferre solemus,) ac pro ingenti suo amore mœstitiâ affectus, et misericordiâ commotus, ac proindè eum minimè ut imperatorem honorari ac suscipi non ferens, Apostatam, ut exanimi corpori cum congruenti habitu obviam procedat, monent atque adeò cogunt : hoc est, ut detracto à capite diademate, demissoque, ut decebat, antè imperatorem aspectu, ità deindè eum simul cum iis, qui efferebant, ad sepulcrum nobileque illud Apostolorum fanum, qui sanctum genus,

æquos propemodùm honores carpens, et suscepêrunt et custodiunt, prosequeretur. Tale fuit imperatoris nostri funus.

» Huic contrà, cùm turpis et fæda expeditio, (exagitabatur enim à populis et urbibus, publicisque et scurrilibus vocibus, quarum nunc quoquè permulti meminêrunt,) tùm verò turpior atque ignominiosior reditus contigit. Quæ porrò hæc ignominia erat? Mimi et histriones eum ducebant, probrisque à scenâ petitis, ac ludibriis incessebant, eique fidei abjurationem, et cladem, vitæque finem exprobrantes. Quid enim ex iis non fecêrunt ac dixêrunt, quæ hujusmodi homines, qui petulantiam pro arte habent, perpetrare consuevêrunt, quoad eum tandem Tarsensis civitas excepit, haud scio quomodò, et quam ob causam, hâc contumeliâ mulctata? Hic illi fanum ignobile, tumulusque impurus, templumque execrandum, ac ne piorum quidem oculis spectabile [1]. »

Hùc sistamus gradum, nec ultrà præscriptos nobis fines procedamus. Ex allatis autem intelligere liceat nullam esse formam à profanis Oratoribus inventam, quæ non fuerit à sanctis Doctoribus solertissimè usurpata.

§ V. *De Refutatione.*

Per Argumentum veritas statuitur; per Refutationem dejicitur mendacium [2]. Ut autem prorsùs dejiciatur, vel objecta neget, vel defendat, vel transferat veritatis patronus necesse est. Quæ quidem meliùs elucidari non possunt, nisi attentè perpendendo, quâ ratione celeberrimi Doctores vulgatæ cuidam, primis Ecclesiæ temporibus, difficultati responderint. Tunc enim mala omnia, sivè

[1] S. Gregor. Theol. orat. v, n. 16-18. — [2] Quinct. Inst. Orat. lib. v, cap. 13.

bella, sivè fames, sivè cœli inclementia grassanti christianæ religioni persperàm tribuebantur. Non injucundum erit uno oculorum intuitu cernere, quomodò Tertullianus, Origenes, Cyprianus et Augustinus hanc Paganorum calumniam repulerint. Sic porrò Tertullianus :

« Cùm probi, cùm boni coëunt, cùm pii, cùm casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia. At è contrariò illis nomen factionis accommodandum est qui in odium bonorum et proborum conspirant, qui adversùm sanguinem innocentium conclamant, prætexentes sanè ad odii defensionem illam quoquè vanitatem, quòd existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit ad mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim : « Christianos ad Leonem. » Tantos ad unum? Oro vos, antè Tiberium, id est, ante Christi adventum, quantæ clades orbem et urbes cecidêrunt! Legimus Hierannapen, et Delon, et Rhodon, et Co insulas multis cùm millibus hominum pessum abiisse : memorat et Plato majorem Asiæ vel Africæ terram Atlantico mari ereptam ; sed et mare Corinthium terræ motus ebibit, et vis undarum Lucaniam Italiæ abscissam in Siciliæ nomen relegavit. Hæc utiquè non sinè injuriâ incolentium accidere potuêrunt. Ubi verò tunc, non dicam deorum vestrorum contemptores Christiani, sed ipsi dii vestri, cùm totum orbem cataclysmus abolevit? vel, ut Plato putavit, campestre solummodò? Posteriores enim illos clade diluvii contestantur ipsæ urbes in quibus nati mortuique sunt, etiam quas condidêrunt ; neque enim aliàs hodiernum manerent, nisi et ipsæ posthumæ cladis illius. Nondùm Judæum ab Ægypto examen Palæstina susceperat, nec jàm illìc christianæ sectæ origo consederat, cùm regiones ad fines

ejus Sodoma et Gomorrha igneus imber excussit: olet adhùc incendio terra, et si qua illìc arborum poma conantur oculis tenùs, cæterùm contacta cinerescunt. Sed nec Tuscia jàm tunc atque Campania de Christianis querebatur, cùm Vulsinios de cœlo, Pompeios de suo monte perfudit ignis. Nemo adhùc Romæ Deum verum adorabat, cùm Annibal apus Cannas Romanos annulos cæde suâ modio metiebatur. Omnes dii vestri ab omnibus colebantur, cùm ipsum Capitolium Senones occupavêrunt. Et benè, quòd si quid adversi urbibus accidit, eædem clades templorum quæ et mœnium fuêrunt, ut jàm hoc revincam non à deis evenire, quia et ipsis evenit. Semper humana gens malè de Deo meruit, primò quidem ut inofficiosa ejus quem, cùm intelligeret ex parte, non requisivit, sed et alios insuper sibi commentata est quos coleret; dehìnc quòd non inquirendo innocentiæ magistrum, et nocentiæ judicem et exactorem omnibus vitiis et criminibus inolevit. Cæterùm si requisisset, sequebatur ut recognosceret, et recognitum observaret, et observatum propitium magis experiretur quàm iratum. Eumdem igitur nunc quoquè scire debet iratum, quem et retrò semper, priusquàm Christiani nominarentur. Cujus bonis utebatur antè editis quàm sibi deos fingeret, cur non ab eo etiam mala intelligat evenire, cujus bona esse non sensit? Illius rea est, cujus et ingrata. Et tamen si pristinas clades comparemus, leviora nunc accidunt, ex quo Christianos à Deo orbis accepit; ex eo enim et innocentia sæculi iniquitates temperavit, et deprecatores Dei esse cœperunt. Deniquè cùm ab imbribus æstiva hiberna suspendunt, et annus in curâ est, vos quidem balneis et cauponis et lupanaribus operantibus, aquilicia Jovi immolatis, nudipedalia populo denuntiatis, cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, aversi ab ipso et Deo et

cœlo : nos verò jejuniis aridi, et omni continentiâ expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco et cinere volutantes, invidiâ cœlum tundimus, et cùm misericordiam extorserimus, Jupiter honoratur[1]. »

S. Cyprianus, in libro ad Demetrianum, diabolicum idem commentum evertere satagit. Et quidem antè omnia adversarii argumentum simpliciter enarrat : « Dixisti, inquit, per nos fieri, et quòd nobis debeant imputari omnia ista quibus nunc mundus quatitur et urgetur, quòd dii vestri à nobis non colantur. » Quo præmisso adversantis placito, respondet 1° mala illa esse mundi senectuti non Christianis imputanda : « Mundus ipse jàm loquitur et occasum suî rerum labentium probatione testatur. Non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est : non frugibus æstate torrendis solis tanta flagrantia est, nec sic vernante temperie sata sunt, nec adeò arboreis fœtibus autumna fœcunda sunt.... Putas-ne tu tantam posse substantiam rei senescentis existere, quantùm priùs potuit novellâ adhùc et vegetâ juventâ pollere ? Minuatur necesse est quidquid fine jàm proximo in occidua extrema devergit.... Christianis imputas quòd minuantur singula mundo senescente. Quid si et senes imputent Christianis quòd minùs valeant in senectute, quòd non perindè ut priùs vigeant auditu aurium, cursu pedum, oculorum acie, virium robore, succo viscerum, mole membrorum ? » Prima illa responsio ad secundum genus attinet, quo refutans debet aliquandò legitimâ uti defensione. Quod sequitur ad idem genus pertinet, cùm asserat 2° illud non modò non evertere, sed contrà stabilire christianam religionem, quia à religione christianâ fuêrunt prædicta. Sic enim pergit : « Quòd autem crebriùs bella continuant, quòd sterilitas et fames sollicitudinem cumulant, quòd sævientibus morbis valetudo fran-

[1] Tertull. Apolog. n. 40.

gitur, quòd humanum genus luis populatione vastatur, et hoc scias esse prædictum, in novissimis temporibus multiplicari mala et adversa variari. » 3° Transferens odium in adversarios reponit illos potiùs esse inculpandos quòd Deum offendentes Dei vindictam provocent : « Non enim, inquit, ista accidunt quòd Dii vestri à nobis non colantur, sed quòd à vobis non colatur Deus.... Utiquè quandò ea fiunt quæ iram Dei indignantis ostendunt, non propter nos fiunt à quibus Deus colitur, sed delictis et meritis vestris irrogantur à quibus Deus omninò nec quæritur nec timetur... Fieri enim ista vel ad disciplinam contumacium, vel ad pœnam malorum declarat in Scripturis sanctis idem Deus...» 4° Ad singula deveniens quomodò singulis delictis singula pœnalia mala conveniant, ità demonstrat : « Hostem quereris exurgere, quasi et si hostis desit, esse pax inter ipsas togas possit. Hostem quereris exurgere quasi non et si externa de barbaris arma et pericula comprimantur, ferociùs intùs et graviùs de calumniis et injuriis potentium civium domesticæ impugnationis tela grassentur. De sterilitate et fame quereris, quasi famem majorem siccitas quàm rapacitas faciat, quasi non de captatis annonarum incrementis, et pretiorum cumulis flagrantior inopiæ ardor excrescat. Quereris claudi imbribus cœlum, cùm sic horrea claudantur in terris. Quereris nunc minùs nasci, quasi quæ nata sunt indigentibus præbeantur. Pestem et luem criminaris, cùm peste ipsâ et lue vel detecta sint vel aucta crimina singulorum ; dùm nec infirmis exhibetur misericordia, et defunctis avaritia inhiat ac rapina. Iidem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarii, fugientes morientium funera, et appetentes spolia mortuorum... Prædandi dissimulatio nulla, nulla cunctatio, nulla formido est.... Peccata itaquè et delicta reputentur, conscientiæ vulnera cogitentur ; et desinet unusquisque

de Deo vel de nobis conqueri, si, quod patitur, intelligat se mereri [1].... »

Videamus nunc quomodò Beatus Augustinus, eadem à Paganis objecta diluat. 1° Quidem respondet mala illa temporalia non esse vera mala, sed verum malum non nisi in peccato consistere; 2° mala æqualia vel etiam majora Romanis accidisse eo tempore, quo deorum turba religiosiùs colebatur; 3° eorumdem gloriam non Jovi, ut putabant, sed vero Deo esse tribuendam. Illa tria quinque prioribus de Civitate Dei libris ità amplificat et evolvit, ut in illam consequentiam desinat, prospera Religioni christianæ, paganæ mala esse tribuenda [2].

S. Chrysostomus de futuris peccatorum pœnis disserens, sic vanas impiorum evertit objectiones, ut lumen simul in mentes, terroremque in corda conjiciat:

« Ac frequenter, inquit, memoriam repetamus tremendi tribunalis, fluvii ignéi, vinculorum insolubilium, tenebrarum omni luce expertium, stridoris dentium, vermis venenati. Verùm, inquies, benignus est Deus. Ergò hæc mera verba sunt, nec Dives ille, qui Lazarum contempsit, supplicio afficitur? nec Virgines illæ fatuæ ex thalamo ejiciuntur? qui Christum non aluêrunt, non abeunt in ignem paratum diabolo et angelis ejus? qui sordidis vestiebatur indumentis, manibus et pedibus ligatis, non peribit? qui centum denarios exegit, non traditus est tortoribus? Non verum est id quod de mœchis dictum fuit : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur* [3]? Sed hæ comminationes tantùm sunt? Etiam, inquies. Et quomodò, quæso, tantam rem audes pronuntiare, et ex te ipso calculum ferre? Ego enim et ab iis quæ dixit et ab iis quæ fecit

[1] S. Cypr. ad Demetrian. — [2] S. August. de Civit. Dei lib. I-V. — [3] Marc. IX, 44.

Christus, contrarium demonstrare valeo. Si enim propter futura supplicia non credis, saltem ex iis quæ jam facta sunt crede. Nàm quæ facta sunt et in opus exiêrunt, minæ non sunt et verba. Quis ergò sub Noë orbem totum inundavit, et grave illud naufragium curavit, totamque generis nostri perniciem? quis posteà fulmina illa et incendia immisit in Sodomorum terram? quis Ægyptum totam in mare demersit? quis sexcenta hominum millia in deserto consumpsit? quis Synagogam Abironis combussit? quis jussit terram os aperire, ac Core, Dathan et socios absorbere? quis septuaginta hominum millia uno temporis momento sub Davide perdidit? Dicam-ne eos qui privatim plexi sunt? Caïnum perpetuo supplicio traditum? Charmen cum toto genere suo lapidatum? Eum qui, quòd ligna in sabbato collegisset, lapidatus est? Quadraginta duos pueros illos, qui sub Elisæo, a feris devorati sunt, nec veniam ob teneram ætatem sunt consecuti?

« Quòd si post gratiam quoquè eadem ipsa videre cupis, considera quanta passi sint Judæi, quomodò mulieres infantes suos comederint, aliæ assantes, aliæ alio modo consumentes; quomodò intolerabili fami traditi, variisque bellis, priscas omnes tragœdias calamitatum suarum mole superârint. Quia enim Christus hæc illis mala intulit, audi illum hæc prædicentem et per parabolas, et clarè ac dilucidè. Per parabolas, ut cùm dicit: *Eos verò qui noluérunt me regnare, adducite hùc et occidite* [1]: ac per vineam, per nuptias. Clarè autem ac dilucidè, ut cùm comminatur: *Cadent in ore gladii, et captivi abducentur in gentes et erit anxietas in terrâ gentium, in angustiâ, resonante mari et fluctibus, arescèntibus hominibus à timore* [2]? *Et erit tribulatio qualis nunquàm*

[1] Luc. XIX, 27. — [2] Id. XXI, 24.

fuit ab initio neque erit[1]. Ananias verò et Saphira pro paucorum argenteorum furto quantas dederint pœnas, omnes nostis. Annon vides quotidianas calamitates? an neque ista contigêrunt? Non vides etiam nunc fame pereuntes? eos qui vel elephantiasi vel alio morbo detinentur? eos qui in penuriâ perpetuâ vivunt? eos qui millia intolerabilia patiuntur? Quomodò æquum fuerit alios plecti, alios non plecti? Nàm si non injustus est Deus, ut certè non est, peccatorum utiquè pœnas dabis. Quòd si utpotè benignus non puniat, neque illos puniri oportuit. Nunc autem ob talia verba nostra, multos hìc punit Deus, ut cùm comminantibus verbis non obsequamini, saltem ob illatum verè supplicium credatis. Et quia prisca illa non ità nos terrent, per ea quæ in singulis generationibus accidunt, suo tempore socordes corrigit. Et cur, inquies, non hìc omnes punit? Ut aliis spatium ad pœnitèntiam tribuat. Et cur non omnes illìc supplicio afficit? Ne hìnc plerique ejus providentiæ non credant. Quot latrones capti sunt, quot hìnc migrârunt, non datis pœnis? Ubi est ergò Dei benignitas, ubi justum judicium? Meum namquè fuerit jàm abs te sciscitari. Nàm si nemo prorsùs supplicio afficeretur, posses illò confugere; cùm verò alii dent pœnas, alii non, etsi graviùs peccaverint, quomodò rationi consonum esse possit, ut pro iisdem sceleribus, non eædem pœnæ infligantur? Quomodò non videbuntur injustè puniri ii qui plectuntur? Cur ergò non omnes hìc puniuntur? Audi ipsum Christum his de rebus respondentem. Quia enim quidam ex turri delapsâ interierant, hâc de re quærentibus dixit: *Putatis quòd hi peccatores plùs quàm omnes erant? Non, dico vobis; sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*[2]; adhortans nos, ut ne fiduciam habeamus, cùm, cæteris pœnas dantibus, nos

[1] Matth. XXIV, 21. — [2] Luc. XIII, 4.

qui multa peccata admisimus, pœnas non damus; nisi enim immutemur, puniemur haud dubiè. Et cur, inquies, in æternum punimur, cùm hìc brevi tempore peccaverimus? Quo pacto homo, qui hìc brevissimo tempore cædem patravit, in perpetuum ad metalla damnatur? At Deus, inquies, res hujusmodi non facit. Cur itaquè paralyticum triginta octo annis in tantâ pœnâ detinuit? Quòd enim peccatorum causâ illum punierit, audi quid dicat : *Ecce sanus factus es, noli ampliùs peccare, ne tibi quid deterius contingat* [1]. Attamen, inquies, solutionem invenit. Illìc verò non ità se res habebunt. Quòd enim finem non habitura sint, audi illum dicentem : *Vermis eorum non morietur, ignis non extinguetur* [2]; et, *Ibunt hi in vitam æternam, et isti in supplicium æternum* [3]. Si ergò vita æterna est, supplicium est æternum. Non vides quanta comminatus est Judæis? An illa evenêrunt, aut verba tantùm data fuêre? *Non manebit lapis super lapidem* [4]. Nùm mansit? Quid verò quandò dixit : *Erit tribulatio qualis non fuit* [5]? Annon id evenit? Lege historiam Josephi, et vix respirare poteris, si solùm audias quæ illi his de causis passi sunt. Hæc dico, non ut mœrore afficiam, sed ut cautiores reddam, ne superfluè vos demulcens ad graviora patienda deducam. Nàm cur, quæso, non dignus es supplicio cùm peccas? Annon omnia tibi prædixit? Nonne minatus est? nonne terruit? nonne innumera pro salute tuâ fecit? nonne lavacrum regenerationis dedit, et priora omnia condonavit? nonne post remissionem et lavacrum, pœnitentiæ opem tibi peccanti dedit? nonne etiam posteà facilem tibi viam fecit ad remissionem peccatorum?

» Audi igitur quæ præceperit : *Si dimittas proximo*

[1] Joan. v, 14. — [2] Marc. IX, 44. — [3] Matth. XXV, 46. — [4] Luc. XXI, 6. — [5] Matth. XXIV, 21.

dimittam tibi et ego[1]. Quam habet hoc difficultatem? *Judicate pupillo et justificate viduam, et venite, et disceptemus*, inquit, *et si fuerint peccata tua sicut Phœniceum, ut nivem dealbabo*[2]. Quid in hâc re laboris? *Dic tu peccata tua ut justificeris*[3]. Quam hoc habet difficultatem? *Peccata tua eleemosynis redime*[4]. Quid hâc in re sudoris? Dixit Publicanus : *Propitius esto mihi peccatori, et descendit justificatus*[5]. Quis labor fuerit Publicanum imitari? Sed post hæc tanta non vis credere, quòd sit pœna et supplicium. Ergò, ne diabolum quidem puniri dixeris : *Ite*, inquit, *in ignem paratum diabolo et angelis ejus*[6]. Nàm si gehenna non esset, neque ille puniretur : quòd si ille puniatur, palàm est et nos, qui ejus opera patramus, puniendos esse. Nàm et nos inobedientes fuimus, etsi non iisdem in rebus. Quomodò non times cùm audacter loqueris? Cùm enim dicis : « Benignus est Deus, nec puniet; » si puniat, non benignus secundùm te deprehendetur. Vides-ne in quæ verba proferenda vos diabolus impellat? Quid autem, an monachi, qui montes occupârunt, et mille modis pietatem exercent, sinè coronâ abibunt? Nàm si mali non puniuntur, nullaque est retributio, dicet fortassè alius, neque bonos coronari. Nequaquàm, inquies : hoc Deo congruens est, ut regnum sit solummodò, et non gehenna. Ergò scortator, et mœchus, et qui mille mala patravit, iisdem fruetur bonis, quibus ii qui castitate et sanctitate floruêrunt : et Paulus cum Nerone stabit, imò diabolus cum Paulo. Si enim non est gehenna, et tamen resurrectio est, improbi iisdem fruentur bonis quibus justi. Ecquis vel admodùm insanus homo hoc dixerit? imò quis dæmonum hoc protulerit? nàm et illi gehennam esse fatentur. Quapropter clamabant,

[1] Matth. VI, 14. — [2] Isaï. I, 18. — [3] Id. XLIII, 26. — [4] Dan. IV, 24. — [5] Luc. XVIII, 13, 14. — [6] Matth. XXV, 41.

dicentes : *Venisti hùc antè tempus torquere nos* [1] ? Quomodò non times et exhorrescis, cùm, dæmonibus fatentibus, tu negas? quomodò non intelligis quis sit horum magister malorum dogmatum? Nàm is qui ab initio hominem decepit, qui bonâ propositâ spe, quæ in manu ejus erant bona excussit : hic est qui etiam nunc hæc dicere et sentire suggerit. Ideòque aliquibus suadet ut suspicentur non esse gehennam, ut in gehennam conjiciat. Quemadmodùm contrà Deus minatur gehennam, et præparavit gehennam, ut edoctus ità viveres, ut non incideres in gehennam. Atqui si cùm gehenna sit, diabolus tibi hæc suadet, quomodò dæmones, si non fuisset, esse illam confessi fuissent, qui admodùm curant, ut nos nihil tale suspicemur esse, ut hìnc ignaviores facti, cum illis in ignem incidamus. Quomodò ergò, inquies, tunc confitebantur? Necessitatem instantem non ferentes. Hæc itaquè omnia cogitantes, desinant ii qui talia dicunt et se et alios decipere. Nàm verborum hujusmodi pœnas dabunt, terribilia illa traducentes, et multos qui suî curam gerere vellent, avertentes, neque barbaros Ninivitas imitati. Illi namquè, etiamsi omnium imperiti, audientes quòd civitas sua subvertenda esset, non modò non fidem negârunt, sed etiam ingemuêrunt : sacco se præcinxêrunt, et admodùm demissi sunt, nec finem fecêrunt hæc omnia præstandi, donec iram Dei placarent : tu verò qui tantam habes rerum experientiam, verbis hæc quæ dicta sunt contemnis? Itaquè contraria tibi contingent. Quemadmodùm enim illi dicta timentes, reipsà supplicium non experti sunt; sic et tu verba minacia contemnens, reipsà pœnas experieris. Et si nunc hæc dicta tibi fabula esse videntur, sed secùs cùm res ipsæ tunc tibi fidem facient. Non vides quid et hìc fecerit Christus? quomodò duobus latronibus præsen-

[1] Matth. VIII, 29.

tibus, non iisdem utrumque dignàtus sit, sed alium in regnum induxerit, alium in gehennam miserit? Ecquid dico latronem et homicidam? Neque enim apostolo pepercit, quia proditor factus est. Sed cùm videret eum ad laqueum tendere, seseque strangulare, ac medium disrumpi : *Nàm crepuit medius, et effusa sunt omnia viscera ejus* [1]; attamen cùm hæc omnia præsciret, permisit eum hæc omnia pati, à præsentibus, de futuris etiam omnibus tibi fidem faciens. Ne igitur vos ipsos decipiatis, diabolo obtemperantes : hæc enim sunt ejus consilia. Nàm si et judices, et domini et præceptores, etiamsi barbari sint, bonos honorant et malos puniunt; quomodò consentaneum fuerit Deum contraria facere, et iisdem dignari bonum et improbum? Quandonàm ergò à malitiâ liberi erimus? Nàm qui nunc supplicium expectant, et inter tot versantur timores, à judicibus, à legibus, nec tamen à malitiâ desistunt; cùm eò venerint ut hunc timorem deponant, quòd non solùm in gehennam non delapsuri sint, sed quòd etiam regnum sint adepturi, quandonàm à nequitiâ desistent? An hoc, quæso, benignitatis fuerit, malitiam fovere, et nequitiæ præmium statuere? iisdem dignari bonis castum et lascivum, fidelem et impium, Paulum et diabolum? At quousquè nos nugabimur? Quamobrem obsecro et oro, ab hâc insaniâ liberi, et ad vos ipsos redeuntes, animæ vestræ persuadeatis ut timeat et tremat; ut et à futurâ gehennâ liberetur, et hâc vitâ temperanter actâ, futura bona assequatur, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi cum quo Patri et unà Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen [2]. »

Habes autem in aliâ ejusdem Homiliâ undè repellantur vani prætextus, simulque ostendatur, quomodò exhortari

[1] Act. I, 18. — [2] S. Chrys. Epist. ad Roman. Homil. XXV, n. 4-6.

oporteat, absentium occasione, præsentes, ut suis rursùm monitis ad sermonem adducant eos, qui verbum Dei contemnentes declinant :

« Nihil, ut videtur, nobis profuit, quòd sermonem benè longum nuper habuerimus, ut vestrum ad collectas veniendi studium excitaremus. Rursùs enim vobis filiis suis Ecclesia destituta est : quo fit, ut rursùs etiam gravis ac molestus videri cogar, sivè dùm præsentes castigo, sivè dùm absentes reprehendo : illos quidem, quòd pigritiam non excusserint, vos verò quòd salutem fratrum non curetis. Gravis ac molestus videri cogor, non meâ vel mearum possessionum, sed vestrâ salutisque vestræ causâ, quâ mihi nihil est antiquius. Ægrè ferat, qui volet, importunum impudentemque appellet; ego verò semper hâc de causâ molestiam exhibere non desinam ; nihil enim hâc impudentiâ mihi fructuosius esse potest. Fortassè namquè, fortassè, si minùs alterius rei, saltem hujus vos pudebit, ut ne semper eamdem ob causam molestia vobis exhibeatur, et curam fratres vestros juvandi suscipietis. Quid enim mihi laudes prosunt, cùm vos in virtute facere progressus non videam? Quod verò mihi damnum oritur ex silentio auditorum, cùm vestram augeri conspiciam pietatem? Laus quippè dicentis est, non applausus, sed auditorum in pietate zelus ac studium ; non tumultus excitatus, quo tempore sermo auditur, sed studium et diligentia quæ omni tempore exhibetur : applausus ex ore simul egreditur et in aërem diffusus interit ; quòd autem meliores fiant auditores, incorruptam et immortalem cùm dicenti, tùm obtemperantibus mercedem affert. Clamoris vestri commendatio illustriorem oratorem hìc reddit : at animæ vestræ pietas multam apud tribunal Christi doctori fiduciam acquirit. Itaquè si quis eos qui sermonem habent, diligat, non applausus, sed uti-

litatem diligat auditorum. Non mediocre malum est fratrum curam non gerere, sed extremum supplicium est, et inevitabilis pœna : quod ipsum is qui talentum defoderat indicavit. Sanè nihil ei vitio vertebatur, quòd invitè peccâsset, neque mali quidquam in depositi custodiâ commiserat : integrum enim illud restituit : sed tamen in depositi negotiatione malè se gesserat. Non enim id quod creditum fuerat duplicârat ; quam ob causam etiam pœnas dabat. Undè manifestum evadit, licèt studiosi simus et instructi, licèt ad sacram audiendam Scipturam multâ cupiditate exardescamus, id tamen ad nostram salutem non sufficere. Duplicandum namquè depositum est : porrò duplum fit, quandò cum salute nostrâ curam aliorum quoquè suscipimus ; nàm et ipse dixit, *Ecce salvum habes, quod tuum est*[1], sed hoc ad excusationem illi satis non fuit. *Oportuit enim*, inquit, *te committere numulariis, quod tibi commissum est*[2]. At tu mihi, quàm levia sint Domini mandata considera. Homines enim eos, qui pecunias heriles dant fœnori, etiam repetitioni reddunt obnoxios. Tu commisisti, tu, inquit, repete : nullum mihi cum eo qui recepit, negotium est. Deus verò non ità, sed committere jubet tantùm, at non item repetitioni nos reddit obnoxios. Quippè in potestate oratoris est, ut consulat, non ut persuadeat. Quapropter ad committendum solùm te obligo, non item ad repetendum. Quid hoc levius est ? Attamen durum appellabat tàm mitem ac benignum dominum servus. Ea quippè improborum et inertium est consuetudo servorum : peccatorum suorum culpam semper in dominos suos rejiciunt. Idcircò cruciatus et compedibus vinctus ille in tenebras exteriores ejiciebatur. Quod ne nobis etiam accidat, doctrinam fratribus committamus, sivè persuadeantur, sivè non persuadeantur. Si enim per-

[1] Matt. xxv, 27. — [2] Id. ibid. 25.

snasi fuerint, et de seipsis et de nobis benè merebuntur : si non fuerint persuasi supplicium sibi accersent inevitabile, nobis autem ne tantillùm quidem nocere poterunt. Quod enim nostri muneris fuit, præstitimus, cùm consilium dederimus : quod si persuasi non fuerint, nihil indè possumus capere detrimenti. Siquidem crimen est, non si minimè persuaseris, sed si minimè consilium dederis : ubi verò cohortatione consilioque continuo frequentique perfuncti fuerimus, non jàm à nobis, sed ab illis rationem Deus exiget. Vellem equidem evidenter nosse vos illos assiduè cohortanho perseverare, et nùm in eâdem semper illi negligentiâ persistant, nec unqàm vobis molestiam exhiberem : jàm vero timeo ne inertiæ incuriæque vestræ vitio maneant incorrecti. Neque enim fieri potest, ut qui cohortatione doctrinâque frequenter fruatur, melior studiosiorque non fiat. Ac vulgare quidem est illud proverbium, quod dicturus sum, verumtamen hoc ipsum testatur. Stillula enim, inquit, mollis aquæ saxum assiduo cavat ictu. Tametsi quid aquâ mollius? quid saxo durius? attamen assiduitas naturam vincit. Quòd si naturam vincit assiduitas, multò magis voluntatem poterit superare. Non ludus est Christianismus, Dilecti, nec res supervacanea. Continuò ista dicimus, et nihil proficimus.

» Quantum mihi censetis dolorem inuri, cùm recordor festis quidem diebus vasta maris æquora collectarum turbas imitari, jàm verò ne quotamvis quidem partem hìc illius multitudinis congregari? Ubi nunc sunt, qui nobis in solemnitatibus molestiam exhibent? Illos requiro, et illorum causâ lugeo, dùm mihi venit in mentem, quanta pereat eorum multitudo, qui salvi erant, quantam faciam fratrum jacturam, quàm exiguum in numerum rediganter, qui salutem adipiscuntur, ut major pars corporis Ecclesiæ mortuo et immobili corpori assimiletur. Quid illud

ad nos attinet, dicet aliquis? Ad vos quidem certè maximè attinet, qui non eos curatis, non adhortamini, non consilio juvatis, ad vos qui necessitatem non imponitis, neque vi pertrahitis, et ab illâ summâ negligentiâ revocatis. Non enim tantùm nobis prodesse nos debere, sed et multis, ostendit Christus, cùm salem nos, ac fermentum, et lucem vocavit. Hæc enim aliis utilia sunt et commoda. Nàm lucerna non sibi lucet, at aliis qui sedent in tenebris : et tu lucerna es, non ut lumine solus fruaris, sed ut illum errantem reducas. Quid namquè prodest lucerna quandò in tenebris sedenti non lucet? quæ porrò utilitas Christiani, quandò neminem lucratur, nec ad virtutem reducit? Rursùs non seipsum astringit sal tantum, sed et corpora quæ corrumpuntur cohibet, neque diffluere ac perire permittit. Sic tu quoquè, quandoquidem spiritualem te salem Deus effecit, membra corrupta, hoc est desides fratres, et qui mechanicas exercent artes astringe et colliga, desidiâque tanquàm ulcere quopiam putrido liberatum cum reliquo Ecclesiæ corpore copulato. Propterea te fermentum appellavit : siquidem fermentum etiam non se ipsum fermentat, sed reliquam massam, ingentem licèt et immensam, ipsum parvum cùm sit et breve. Sic nimirùm vos quoquè quanquàm numero pauci estis, multi tamen ac potentes estote fide ac studio ergà cultum Dei. Ut igitur fermentum propter exiguitatem imbecille non est, sed propter insitum à naturâ calorem ac virtutem qualitatis exuperat : sic vos nimirùm multò plures poteritis ad eumdem fervorem ac studium reducere, si velitis. Quòd si æstatem obtendant; siquidem hoc quoquè illos audio dicentes: Vehemens nunc æstus est, atque intolerandi calores ; non possumus coarctari et in tantâ turbâ comprimi, undiquè sudore diffluentes, æstu gravati et in angustias redacti. Pudet me illorum, mihi credite; sunt

enim muliebres isti prætextus, vel potiùs ne illis quidem ad obtinendam veniam excusationes istæ sufficerent, quibus molliora sunt corpora et imbecillior natura. Quanquàm autem ejusmodi defensionem responsione diluere turpe videbitur, necessarium est tamen. Si enim illi has obtendere excusationes non erubescunt, multò magis nos pudere non debet hæc refellere. Quid ergò hæc obtendentibus opponemus? Trium puerorum illis memoriam volo refricare, qui cùm in fornace, ac mediis flammis versarentur, cùm undiquè se cernerent ignibus obsideri, qui in os, in oculos, in anhelitum ipsum incurrerent, sacrum illum et mysticum hymnum cum creaturis Deo canere non cessârunt, sed alacriùs, quam si prato versati fuissent, tùm in medio rogo stantes communi Domino universorum laudes offerebant: et cum tribus his pueris, leonum in Babylone, Danielis et lacûs. Neque verò tantùm hujus, sed et alterius lacûs, ac prophetæ, lutique quo ad collum usquè suffocabatur Jeremias, ut recordentur, illos obsecro. Et ex lacubus istis ascendens, in carcerem introducere istos volo, qui calores obtendunt, Paulumque monstrare ac Silam compedibus illìc præpeditos, vestigiis verberum plenos, quibus totum corpus vulneribus plagarumque fuerat multitudine laceratum, mediâ nocte Deum laudantes et sacras illas vigilias celebrantes. At non enim absurdum est sanctos quidem illos, cum in fornace, et igne, et lacu, et belluis, et luto, et carcere, et compedibus, et plagis, et ergastutis, et intolerandis versarentur malis, nihil unquàm horum culpare, sed multâ cùm animi contentione et ardore perpetuo precibus et hymnis sacris operam dare; nos qui non ullam exiguam, non magnam ex illis, quæ enumeratæ sunt, passionibus toleravimus, ad æstum et calorem modicum ac sudorem, nostræ ipsorum salutis curam deponere, ac relictis collectis foris vagari, nosque cœ-

tibus depravandos immiscere, in quibus nihil nisi vitiosum est et corruptum? Tantus sacrorum Eloquiorum est ros, et æstum objicis? *Aqua, quam ego dabo ei,* ait Christus, *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* [1]: et rursùs, *Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* [2]. An tu quæso, cùm intùs fontes habeas et flumina spiritualia, sensibilem calorem times? At in foro, quæso, ubi tantus est strepitus, tot augustiæ, ac multus æstus, quî fit ut calores et solis ardorem non obtendas? Non enim, opinor, id dicere potes, illìc frigidiore licere aëris aurâ frui, hìc verò totum nobis collectum calorem sævire: quin potiùs contrarium penitùs, hìc quidem ubi crustis lapideis solum constratum est, et ob reliquam ædis sacræ fabricam, siquidem in immensam assurgit altitudinem, levior et frigidior est aër: at illìc multus undiquè sol irradiat, multæ angustiæ, fumus, pulvis, et alia plura, quæ majorem istis molestiam exhibent. Ex quo intelligitur inertiæ et mollitiei animi, qui Spiritûs sancti flammâ sit destitutus, has ineptas excusationes esse tribuendas.

» Hæc non tàm ad illos à me dicta diriguntur, quàm ad vos, qui non illos pertrahitis, qui non ab inertiâ revocatis, et ad salutarem hanc mensam adducitis. Ac servi quidem cùm commune ministerium obituri sunt, advocant suos conservos: vos verò à quibus hoc spirituale obsequium exhibendum est, conservos sinitis vestros hoc quæstu privari. Qnid si nolint ipsi, dicet aliquis? Effice assiduè instando, ut velint. Si enim urgentes nos viderint, omninò volent. At enim prætextus hæc sunt et fictæ excusationes. Quàm multi namquè hìc sunt patres, qui secum stantes non habent filios? nùm etiam liberos hùc pertrahere non poteras? Ex quo apparet cæteros quoquè non ob inertiam

[1] Joan. IV, 14. — [2] Id. VII, 38.

tantum suam, sed et ob vestram incuriam foris manere. At licèt non priùs, nunc saltem excitamini, et cum membro suo quisque in ecclesiam ingrediatur, et pater filium, et genitorem filius, et viri uxores, et viros uxores, et servum herus, et frater fratrem, et amicus amicum excitet, et ad hunc conventum frequentandum instiget: imò verò non amicos tantùm, sed inimicos etiam ad communem hunc bonorum thesaurum invitemus. Si curam viderit tuam inimicus, odium planè deponet. Dic illi: Non verecundaris, nec erubescis Judæos, qui tantâ cum diligentiâ sabbatum custodiunt, atque ab ipsâ jàm vesperâ ab omni opere abstinent? Quòd si die Parasceves solem videant ad occasum vergentem, et pacta rescindunt, et emptiones interrumpunt. Quòd si quis, cùm antè vesperam emisset, vesperè veniens pretium afferat, non sustinent accipere, nec pecuniam admittunt. Quid dico pretium rerum venalium, et pacta? quamvis thesaurum accipere liceret, lucrum illud mallent amittere, quàm legem violare. Ergò-ne Judæi, tametsi legem intempestivè custodiant, ità sunt accuratè diligentes, et ità studiosi sunt observationis, quæ nihil eis prodest, imò etiam nocet: tu, qui jàm umbræ superior es, cui solem justitiæ videre concessum est, qui jàm ad cœlorum municipatum pertines, ne eamdem quidem cum iis, qui vitio intempestivè adhærent, sollicitudinem ac studium exhibes, tu, cui veritas ipsa est credita: sed ad modicam diei partem hùc vocatus, ne eam quidem sacrorum Eloquiorum auditioni dignaris impendere, quam tandem veniam, quæso, mereri queas? quam vero poteris legitimam et justam excusationem afferre. Non potest fieri, planè non potest, ut qui tàm negligens sit ac piger unquàm veniâ dignus habeatur, licèt millies sæcularium negotiorum occupationes obtendat. Nescis, si hùc veniens Deum adoraveris, et conventûs istius particeps

fueris, ea quæ præ manibus sunt negotia facilia tibi et expedita reddi? Sæcularibus curis premeris? earum igitur causâ hùc ventita, ut, cùm tibi Dei benevolentiam conciliaveris, quòd hìc versatus fueris, ità cum securitate discedas; ut illum habeas adjutorem, ut cœlestis manûs auxilio septus, dæmonibus fias invictus. Si paternis precibus fruaris, si communis orationis particeps fias, si Eloquia sacra audiveris, si Dei tibi auxilium comparaveris, si his armis communitus egressus fueris, ne diabolus quidem ipse contrà te deinceps oculos audebit attollere, nedùm homines improbi, quibus studio esse solet, ut contumeliis cæteros et calumniis persequantur. Quòd si ex ædibus in forum egressus, ejusmodi nudatus armis offendaris, omnium qui te contumeliis infestabunt facilè vincendus patebis incursibus. Idcircò et in privatis et in publicis nostris negotiis nequaquàm ex animi sententiâ nobis multa succedunt, quòd spiritualia non priùs studiosè accuraverimus, ac deindè sæcularia, sed ordinem inverterimus. Idcircò negotiorum quoquè series ac rectus ordo invertitur, et omnia planè turbantur. Quantum mihi dolorem ac molestiam inuri putatis, cùm cogito, veniente quidem festo ac solemnitate, licèt nullus sit qui vocet, totam concurrere civitatem: ubi verò festum solemnitasque transierit, toto licèt die perseveremus nos disrumpentes et vos advocantes, nullum tamen esse qui attendat? Hæc enim sæpenumerò cùm mente versarem, graviter ingemui, et hæc apud me verba faciebam: Quid cohortatione vel consilio est opus, cùm vos consuetudine tantùm cuncta faciatis, nec ullius nostræ doctrinæ operâ promptiores reddamini? Cùm enim festis quidem diebus nostrâ cohortatione nihil indigeatis, postquàm autem illi præterierint, nullam ex doctrinâ utilitatem percipiatis, nonne quantùm quidem in vobis situm est,

inutilem ac supervacaneam orationem nostram redditis?

» Fortè multi, qui hæc audiunt, dolent. Sed negligentes ità non sentiunt : alioquin incuriam suam deponerent, ut nos qui quotidiè de rebus vestris solliciti sumus. Quod tantum ex negotiis sæcularibus lucrum colligis, quantum tibi damnum accersis? Fieri nequit, ut ex alio congressu conventuve tantùm lucrum reportes, quantum ex eo quòd hìc verseris : sivè judiciale forum commemores, sivè curiam, sivè ipsam regiam. Non enim gentium urbiumque regimen, neque ducatum exercituum his qui hùc ingrediuntur committimus, sed alium principatum augustiorem ipso regno : vel potiùs non committimus nos, sed Spiritûs gratia. Quisnam igitur regiâ potestate augustior principatus, quem adipiscuntur, qui hùc ingrediuntur? Docentur absurdis passionibus imperare, pravas libidines regere, iram moderari, invidiam subigere, inanem gloriam in servitutem redigere. Non perindè veneratione dignus est imperator in regio considens solio et diademate redimitus, atque homo, qui rationem in solium dominatûs servilium passionum subvehit, et imperio, quod in illas exercet, tanquàm splendido quodam revinctum caput habet diademate. Quid enim, quæso, prodest purpura, aureæ vestes, et corona gemmata, quandò passionum captiva fuerit anima? Quod ex istâ externâ libertate lucrum obvenit, quandò id quod in nobis potissimum est, turpi hâc miserabili subjacet servituti? Nàm quemadmodùm cùm febris ad interiora penetrat, et viscera omnia incendit, nihil nobis prodest, si superior corporis superficies nihil tale patiatur : ità dùm nobis anima interioribus distrahitur passionibus, nihil externus principatus juvat, ne ipsum quidem regium solium, cùm animus violento admodùm impetu à passionibus de throno regio devolvatur et ultrò se submittat, earumque rebelles insul-

tus pertimescat? Quod ne fiat, undiquè prophetæ concurrunt et apostoli, passiones nostras reprimunt, omnem appetitûs rationis expertis feritatem à nobis amandant, et multò augustiorem regno principatum nobis committunt. Hâc de causâ dicebam eos, qui hâc sollicitudine se privant, lethale sibi vulnus infligere, ac tantum capere detrimentum, quantum ullâ aliâ ex parte capere nequeunt: quandoquidem et qui hùc ingressi fuerint, ejusmodi quæstum faciunt, qualem aliundè facere nullo modo possent : quod et ipsa sermonis series demonstravit. *Non apparebis in conspectu Domini vacuus*[1], agebat lex: hoc est, absque sacrificiis non introeas. Quod si absquè sacrificiis in domum Dei non est ingrediendum, multò magis ad collectas cum fratribus non est intrandum : quippè sacrificium istud illo melius est, et oblatio, cùm amicum tecum accipiens ingressus fueris. Non videtis columbas, quæ instructæ fuêrunt, quo pacto reliquas egressæ pelliciant et venentur? hoc nos quoquè faciamus. Quænam enim tandem excusatio reliqua erit, cùm rationis expertes animantes alias ejusdem generis venari possint, nos autem ratione tantâque sapientiâ exornati talem capturam negligamus. Superiori concione vos in hæc verba cohortatus sum : Unusquisque vestrûm ad proximi domum pergite, exeuntes præstolamini, prehendite, atque ad communem matrem adducite : illosque qui in spectacula theatrorum insaniunt imitamini, qui summo studio, quasi composito inter se agmine, cum primâ luce ad nefarium illud spectaculum contuendum expectant. At nihil illâ nostrâ cohortatione promovimus; idcircò rursùs dico, neque dicere desinam, donec persuasero : Nihil prodest auscultatio, nisi illam actio comitetur; imò verò graviorem nobis pœnam accersit, cùm eadem frequenter au-

[1] Exod. xxiii, 15.

dientes, nihil eorum præstamus, quæ dicuntur. Et verò majus supplicium imminère, audi quo pacto Christus indicet : *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo*[1]. Et Apostolus : *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*[2]. Atque ad auditores quidem ista dicuntur : volens autem concionatorem ipsum docere, ne ipsi quidem ullam ex doctrinâ, quam communicat, utilitatem esse obventuram, si conversationem cum doctrinâ non habeat copulatam, et vitam convenientem orationi, audi quo pacto Apostolus et Propheta in illum invehantur. Nàm hic quidem sic ait : *Peccatori autem dixit Deus : Quarè tu enarras justitias meas ; et assumis testamentum meum per os tuum ; tu verò odisti disciplinam*[3]? Apostolus autem cùm in eosdem istos rursùs invehitur, qui ob doctrinam magnificè de se sentiunt, ità loquitur : *Confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium. Qui ergò alium doces, te ipsum non doces*[4]? Quandò igitur neque mihi qui dico, prodesse potest, quòd verba faciam, nisi paream iis quæ dicuntur, sed et me condemnat magis : ne solâ auditione tenùs studium exhibeamus, sed operibus etiam ea quæ dicuntur observemus. Bonum quidem est assiduam sacrorum Eloquiorum auditioni operam dare, sed et hoc bonum inutile redditur, si conjunctam utilitatem non habeat, quæ ex obedientiâ nascitur. Ne igitur hìc frustrà conveniatis; omni studio, quod à vobis precibus sæpè contendi, neque contendere desinam, fratres nobis adducite, cohortamini errantes, consilium date non verbo tantùm, sed etiam opere. Major est ista doctrina quæ moribus,

[1] Joan. xv, 22. — [2] Rom. ii, 13. — [3] Psal. xlix, 16. — [4] Rom. ii, 19-21.

quæ conversatione profertur. Etsi nihil dicas, si tantùm exeas è collectâ, et externâ specie, aspectu, voce, incessu, et totâ reliquâ modestâ corporis compositione lucrum, quod hinc egressus tecum retulisti, ostendas hominibus, qui collectæ non interfuêrunt, ad cohortationem et consilium id sufficit. Sic enim egredi nos hinc oportet, quasi ex sacris adytis, quasi de cœlo delapsos, modestiores redditos, philosophantes, moderatè ac temperatè cuncta facientes ac dicentes; et uxor maritum à collectâ recedentem videns, et filium pater, et patrem filius, et dominum servus, et amicum amicus, et inimicum inimicus, omnes utilitatis sensum capiant, quam ex hoc conventu reportavimus : capient autem, si mitiores, si patientiores, si religiosiores vos factos animadvertant. Cogita quibus mysteriis interesse tibi datum sit, qui initiatus es, cum quibus mysticum illum cantum offeras, cum quibus ter sanctum hymnum pronunties. Doce profanos, tecum seraphim choreas agitâsse, te ad cœlestem populum pertinere, te in chorum angelorum ascriptum esse, te cum Domino collocutum esse, te cum Christo esse congressum. Si nos ità composuerimus, nihil oratione opus erit ergà illos, qui non interfuêrunt, sed ex profectu nostro jacturam suam animadvertent, et confestim accurrent, ut iisdem commodis perfruantur. Cùm enim animæ vestræ pulchritudinem ex ipsis sensibus viderint relucentem, licèt omnium sint stupidissimi, ad cupiditatem eximii vestri decoris exardescent. Si enim forma corporis excitat intuentes, multò magis animæ pulchritudo spectatorem potest commovere, atque ad similem zelum hortari. Interiorem igitur hominem nostrum exornemus, et eorum, quæ hìc dicta fuerint, foris recordemur : illìc enim ut maximè memores simus tempus exigit, et quemadmodùm athleta, quæ in palæstrâ didicerit, eorum in certaminibus specimen edit,

sic nos etiam quæ hìc audimus, in externis negotiis oportet ostendere [1]. »

Adjiciamus ad hæc insuper facundam illam Confutationem, quâ S. Gregorius Nazianzenus funditùs evertit vanas differendi Baptismatis allatas à peccatoribus ratiocinationes :

« At metuis, inquit, ne gratiam corrumpas, ac proindè purgationi moram producis, utpotè nullam alteram jàm ultrà habens? Quid autem? non vereris, ne persecutionis tempore in periculum adducaris, ac Christo, possessione omnium, quas habes, præstantissimâ spolieris? Nùm igitur ob hanc causam à suscipiendo Christianismo refugies? absit. Non est sani hominis hic metus : desipientis est hæc cogitatio. O incautam, ut ità loquar, cautionem! ô ingentes pravi illius versutias! Verè ille caligo est, et lucem ementitur. Cùm aperto Marte nihil perficit, insidias obscurè tendit; et cùm pravus sit, quasi humanus ac benè affectus, consilium dat, ut alterutro certè modo superior omninò discedat, nec ullâ ratione ipsius insidias effugiamus. Id quod hìc quoquè perspicuè molitur. Nàm cùm tibi in animum inducere nequeat, ut Baptismum palàm apertèque contemnas ac pro nihilo ducas, per fictam cautionem te eo mulctat, ut in eam fraudem, quam metuis, imprudens per metum incidas; et dùm times, ne donum corrumpas, eâ ipsâ de causâ ab hoc prorsùs excidas. Atque ille quidem hoc ingenio est, nec unquàm versutiæ suæ finem statuet, quandiù nos ad cœlum properantes videbit, undè ipse dejectus est. Tu autem, ô homo Dei, fac adversarii insidias cognitas habeas. Etenim adversùs habentem, et de rebus maximis, certamen initur. Ne hostem in consilium adhibeas : ne fidelis fieri ac nominari parvipendas. Quandiù in catechumenorum numero es, in pietatis

[1] S. Chrys. in illud : *Si esurierit inimicus*, n. 1-5.

vestibulo versaris. Intrare te oportet, atrium pertransire, sancta contueri, in Sancta sanctorum prospicere, cum Trinitate conjungi. Magna sunt ea, ob quæ oppugnaris; magno quoquè præsidio opus habes. Quocircà fidei clypeum adversùs eum objice. Timet te cum armis dimicantem; ac propterea te charismate spoliat, ut inermem et incautum faciliùs opprimat. Omnes ætatum gradus, omnia vitæ genera et instituta attingit. Quarè omni studio propulsetur.

» Juvenis es? Contrà pravos affectus, in acie cum subsidio sta, in Dei phalange nomen profitere, adversùs Goliath strenuè pugna, mille vel decies totidem hostes cape, ac tibi subjice. Ità flore ætatis fruere; nec tuam juventutem marcescere sustine, imperfectâ fide mortuam et extinctam. Senilem ætatem agis, nec à necessariè præstituto die longè abes? Canos reverere; prudentiam, quæ à te requiritur, pro eâ, quâ nunc teneris, infirmitate præsta; paucis his diebus, quos reliquos habes, succurre; purgationem senectuti committe. Quid in effœtâ senectute atque extremo vitæ spiritu, juvenilis ætatis vitia pertimescis? an tu etiam expectas, dùm mortuus, non jàm misericordiam magis, quàm tuî odium movens, abluaris? an voluptatum reliquias in his vitæ reliquiis expetis? Turpe est, cùm ætate consenueris ac defluxeris, libidine tamen te minimè consenuisse; sed, vel eâ affici, vel eam certè opinionem, per Baptismi dilationem, hominibus præbere. Infans tibi est? Ne occasionem improbitas arripiat: ab infantiâ sanctificetur, ab ipsis unguiculis Spiritui consecretur. At propter naturæ imbecillitatem sigillum metuis? Quàm imbecillis animi mater es pusillæque fidei! Anna verò Samuëlem, priùs etiam quàm procreatus esset, Deo vovit [1]; atque in lucem editum statim consecravit, ac

[1] 1 Reg. 1, 10.

cum sacerdotali stolâ educavit, nihil humani verita, sed Deo fidem habens. Nihil tibi amuletis, nec incantamentis opus est, quibuscum pravus ille in leviorum hominum animos simul irrepit, venerationem Deo debitam furtim ad se transferens. Trinitatem ipsi da, magnum, inquam, illud et pulchrum amuletum.

» Quid præterea? virginitatem colis? Baptismo consignare : hunc tibi vitæ socium et familiarem ascisce. Hic tibi et vitam, et verba moderetur, omnia membra, omnes animi motus, omnes sensus. Honore eum complectere, ut te ornet, *capitique tuo gratiarum coronam nectat* [1], et coronâ deliciarum te protegat. Matrimonii vinculis astrictus es? Baptismo quoquè constringere : hunc tibi contubernalem adjunge pudicitiæ custodem, innumeris eunuchis et janitoribus tutiorem. Nondùm carni copulatus es? Ne Baptismi perfectionem extimescas. Purus ac mundus es, inito etiam matrimonio : in me hoc periculum recipio, ego harum nuptiarum conglutinator, ego auspex. Nec enim, quia honoratior est virginitas, idcircò turpe et ignominiosum est matrimonium. Christum imitabor, purum, inquam, illum pronubum et sponsum, qui, et miraculum in nuptiis edit [2], et conjugium præsentiâ suâ honestat. In id tantùm incumbe, ut purum sit matrimonium, atque ab obscœnarum cupiditatum contagione liberum. Hoc unum posco; à dono securitatem accipe, ac vicissim istud dono repende, ut certo tempore, quandiù scilicèt assignatum fuerit orationi tempus, omni negotio præstabilius, à re uxoriâ abstineas, idque ex communi pacto et consensu. Non enim legem sancimus, sed consilium damus; ac quidpiam eorum, quæ tua sunt, ad utilitatem tuam, communemque utriusque vestrûm securitatem accipere volumus. Ut autem in summâ dicam,

[1] Eccli. XXXII, 3. — [2] Joan. II, 1. et seqq.

nullum vitæ genus est, nullum studium et institutum, cui non hoc conducibilius sit. Qui conditione liberâ gaudes[1], frenum accipe; qui servili premeris, æqualem honoris gradum; qui in mœrore versaris, solatium; qui læto atque hilari es animo, disciplinam; qui rerum inopiâ laboras, opes tutas, nec direptioni obnoxias; qui divitiis affluis, præclaram facultatum tuarum administrationem. Nihil adversùs animæ tuæ salutem captiosè comminiscere, nihil machinare. Nàm licèt aliis fucum faciamus, nobis quidem ipsis nunquàm poterimus. Ac profectò adversùs seipsum ludere, admodùm periculosum et stolidum est.

» At in mediâ hominum frequentiâ versaris, ac publicarum rerum curâ et administratione inquinaris : atque idcircò metuis, ne misericordia, quam per Baptismum consecutus es, depereat? Simplici oratione tecum agam. Forum quoquè ipsum, si fieri potest, cum pulchro comitatu fuge, aquilæ, vel, ut magis appositè dicam, columbæ pennis tibi ipsi impositis; (quid enim tibi cum Cæsare, aut Cæsaris rebus?) atque ità fuge, ut non antè conquiescas, quàm eò perveneris, ubi nec peccatum est, nec infuscatio, nec serpens in viâ mordens, piosque tuos gressus impediens. Abripe animam tuam ex hoc mundo; fuge Sodomam; incendium fuge; irretorto oculo gradere, ne in salis lapidem concrescas. In montem salutis causâ te confer, ne simul corripiaris. Quòd si jàm occupatus es, ac necessariis vinculis astrictus, ità tecum ipse disputa, vel ego potiùs tecum disputabo. Præstat quidem, et bonum consequi, et purgationem tueri ac conservare : verùm si utrumque non datur, illud certè præstat, in rerum publicarum administratione nonnihil interdùm sordium contraxisse, quàm omnino à gratiâ excidere : quemadmo-

[1] Galat. III, 28.

dùm scilicèt à patre et hero quandoquè objurgari satius est, quàm domo ejici : et exiguo splendore perstringi, quàm prorsùs obscurari. Prudentum porrò et cordatorum virorum est, ut in bonis meliora et excellentiora, ità in malis minora et leviora eligere. Quocircà ne tantoperè purgationem formides. Ea enim, quæ rectè et cum laude gerimus, à justo et benigno rerum nostrarum judice semper ad vitæ nostræ studia atque instituta, tanquàm ad amussim quamdam, exiguntur. Atque ità plerumquè accidit, ut qui in civili vitâ et in medio positâ aliquid honèstè et ex virtute fecerit, in meliori causâ sit, quàm qui à publicis muneribus feriatus, officio suo non usquequaquè perfunctus fuerit : quemadmodùm, ut mea fert opinio, mirabilius est hominem compedibus vinctum nonnihil progredi, quàm nullo onere impeditum, currere : mirabilius item, eum, qui per cœnum incedat, leviter aspergi, quàm eum, qui purâ viâ iter faciat, purum ab omni maculâ manere. Argumento est Rahab meretrix, cui, alioqui parùm laudatæ, hospitalitas sola justitiæ laudem attulit; et Publicanus, quem una tantùm humilitas extulit, nullo alio nomine commendatum ; ut tibi documento sit, ne de tuâ salute temerè desperes.

» Verùm, dicet quispiam, quid mihi ex eâ re accesserit, si per Baptismum præoccupatus fuero, atque omnes vitæ suavitates mihi ipsi ob hujusmodi celeritatem præclusero, cùm voluptatibus interim indulgere liceat, atque ità demùm gratiam assequi? Neque enim, qui *priores in vineâ laborárunt* [1], meliori idcircò conditione fuêrunt, æquâ nempè mercede postremis quoquè persolutâ. Negotio me liberâsti, quisquis tandem es, qui talia profers, dùm procrastinationis istius arcanum ægrè tandem extulisti : et quamvis consilii tui perversitatem improbem, eo tamen

[1] Matth. xx, 1, et seqq.

nomine te laudo, quòd eam apertè confessus es. Verùm adesdum, et parabolæ expositionem accipe, ne ex hoc Scripturæ loco per imperitiam in fraudem incidas. Primùm hic de Baptismo non agitur, sed de his, qui aliis atque aliis temporibus fidem amplectuntur, atque in pulchram vineam,hoc est, Ecclesiam, ingrediuntur. Nàm ex quâ die atque horâ ad fidem quisque accessit, ab eâdem quoquè hoc ab eo exigitur, ut operi manum admoveat. Deindè, tametsi quantùm ad laboris modum, plus contulerint, qui priores ingressi sunt, non tamen, quantùm ad bonæ voluntatis mensuram. Eâ etiam ratione, postremis fortassè amplior merces debebatur, etsi quodammodò absurdum videri possit, quod dico. Nàm quòd posteriùs ingressi sint, ea causa fuit, quia posteriores ad vitis excolendæ operam vocati sunt. In cæteris autem rebus quantùm aliàs antecelluerint, videamus. Illi quidem non priùs credidêrunt, nec ingressi sunt, quàm ipsis ex conventu merces constituta fuisset : hi autem nullâ condictâ mercede ad laborem accessêrunt, quod quidem majoris fidei argumentum est. Prætereà, illi invidæ et ad murmurandum proclivis naturæ esse inventi sunt: his nihil tale objicitur. Tùm etiam, illis merces erat quod dabatur, etiamsi improbis et malignis : his gratia. Quamobrem stoliditatis etiam et amentiæ damnati, ampliori mercede meritò privati sunt. Quid autem et iis qui tardè venerant factum sit, consideremus. Certè æqualem ipsi mercedem accepêrunt. Quâ igitur fronte operarum conductorem criminantur, velut in æquæ mercedis persolutione ab æquitate recedentem? Hæc omnia sudoris gratiam primis subtrahunt, etiamsi priores labore fatigati sint. Ex eoque efficitur, ut æquali huic mercedis distributioni æquitas sua constet, nimirùm animi voluntate cum labore compensatâ.

» Sed demus, lavacri quoquè vim et facultatem, juxtà

hanc expositionem tuam, parabolâ designari; quid prohibet, quominùs ipse, et prior ingressus, et diei æstum perpessus, postremis non invideas, ut humanitate quoquè ipsâ, et animi facilitate ac benignitate superior sis, atque remunerationem, non beneficii et gratiæ, sed debiti loco accipias? Hùc etiam accedit, quod ità demùm operarios mercedem accipere vult parabola, si in vineam ingressi fuerint, ac non ab eâ aberraverint; quod quidem tibi periculum imminet. Quamobrem si tibi exploratum esset fore, ut ità sentiens, ac de labore aliquid malitiosè subtrahens, Baptismum consequereris, ignoscendum tibi esset ad hujusmodi rationes confugienti, ac nonnihil lucri ex Domini benignitate facere cupienti; ut illud non dicam, hoc ipsum ampliùs laborare, amplioris mercedis loco habendum esse, his quidem certè, qui animo sunt non omninò illiberali et sordido. Cùm autem periculum tibi sit, ne, dùm hujusmodi lucra consectaris, à vineâ prorsùs excidas, et dùm parva et exigua obiter colligis, sorte ipsâ mulcteris; age, verbis meis obtempera, pravisque hisce interpretationibus et oppositionibus missis factis, simplici animo, et citrà argumentationem, ad donum accede, ne antequàm spei tuæ compos fias, ex hâc vitâ abripiaris, atque imprudens in perniciem tuam hujusmodi captiones et argutias comminiscaris.

» Quid autem? nonne, inquies, benignus et facilis est Deus? nàm et cogitationes humanas cognoscit, et animi nostri desiderium explorat, Baptismique votum pro Baptismo ducit. Ænigmati simile quiddam narras, si apud Deum, propter ipsius benignitatem, is pro illuminato habetur, qui luminis expers est, aut etiam intrà regnum cœlorum est, qui eo frui expetit, cùm interim ea minimè faciat, quæ ad cœleste regnum iter aperiunt. Ego verò, quid de his rebus sentiam, liberè dicam; ac futurum ar-

bitror, ut prudentes viri sententiæ meæ calculum suum addant. Eorum, qui donum consecuti sunt, alii quidem priùs à Deo et salute suâ prorsùs aversi erant, qui videlicèt per omnia flagitiorum genera grassabantur, et de industriâ vitium amplexabantur. Alii quodam modo semimali, ac medio inter virtutem et vitium loco positi; ii nempè, qui tametsi malum perpetrarent, id tamen, quod perpetrabant, minimè probabant quemadmodùm nec morbum suum qui febri divexantur. Alii etiam antè lustricam initiationem honestè et cum laude vivebant; illi quidem ex bonâ indole, isti verò quòd ad Baptismum se ipsos sedulò ac studiosè præpurgarent : qui etiam post Baptismum præstantiùs adhùc cautiùsque vitam instituunt : illud, ut bonum consequerentur; hoc, ut tueantur atque conservent. In his porrò, ut meliores illi judicandi sunt, qui de improbitate quidpiam remisêrunt, quàm qui omninò improbi et scelerati fuêrunt; ità iis, qui non omninò effrenatè ac prostitutè peccârunt, illi præferri debent, qui virtutem coluêrunt, ac seipsos antè Baptismum velut scopis quibusdam purgârunt; (habent enim quiddam præter cæteros, nimirùm superioris vitæ studia et labores; non enim, quemadmodùm lavacrum hanc vim habet, ut peccata deleat, ità etiam rectè facta extinguit.) Atque his rursùs anteponendi sunt, qui et gratiam excolunt, et se ipsos ad omnem virtutis elegantiam quàm maximè expoliunt.

» De iis autem, qui baptismum non assequuntur, alii quidem pecudum omninò, vel ferarum vitam imitantur, prout vel amentiâ, vel animi pravitate laborant; qui scilicèt ad cætera mala hoc quoquè adjunxêrunt, ut nec Baptismum ipsum, ut opinor, magnoperè venerentur, eoque sint animo, ut, si quidem detur, eum non gravatim accipiant; si verò non detur, susquedequè ferant. Alii donum quidem agnoscunt, atque honore prosequun-

tur; verùm moras producunt, illi ob ignaviam, isti ob infinita et irrita desideria. Alii ne accipere quidem possunt, vel propter infantiam fortassè, vel propter inopinatum prorsùs et violentum aliquem casum, quo efficitur ut ne cupientibus quidem gratiâ potiri liceat. Quemadmodùm igitur in illis permagnum discrimen invenimus, ità etiam inter istos. Nàm qui planè Baptismum aspernantur, sceleratiores sunt iis, qui ob infinita ac irrita desideria, vel ob socordiam, à Baptismo suscipiendo retardantur. Atque hi rursùs in graviori crimine sunt, quàm illi qui per ignorantiam ac tyrannidem à Baptismo excidêrunt. Tyrannis enim nihil aliud est, quàm rei alicujus consequendæ inopinatò erepta facultas. Ac futurum existimo, ut primi quidem, cùm aliorum scelerum, tùm etiam Baptismi contempti pœnas luant : alii autem pœnas quidem, leviores tamen pendant, ut qui non tàm animi pravitate, quàm stultitiâ, à Baptismo aberrârint : postremi deniquè, nec cœlesti gloriâ, nec suppliciis à justo judice afficiantur, utpotè qui licèt signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potiùs fuerint, quàm fecerint. Neque enim quisquis dignus supplicio non est, protinùs honorem quoquè meretur; quemadmodùm ne quisquis honore indignus est, statim etiam pœnam promeretur. Quin ad hunc quoquè modum rem expendo. Si eum, qui animo tantùm et voluntate, non autem reipsà, cædem perpetravit, cædis damnandum putas, sit sanè is quoquè apud te pro baptizato, qui Baptismum citrà Baptismi susceptionem expetivit : sin autem illud non admittis, quonam pacto hoc admittas, haud sanè perspicio. Aut, si magis placet, hoc modo agamus. Si ad vim Baptismi obtinendam, ipsius desiderio teneri satis esse censes, ac propterea de gloriâ contendis, tibi quoquè ad gloriam, gloriæ desiderium sufficiat. Quid enim tuâ

interfuerit, eâ carere, modò eam habere concupiscas? » Ergò, postquàm hos sermones audivistis, *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur* [1], Baptismum videlicèt non assecutæ. Atque illuminationem suscipite, quandiù per tempus licet, *Ne vos* à Baptismo disjunctos *tenebræ comprehendant* [2]. *Venit nox, quandò nemo potest operari* [3], nimirùm post discessum ex hâc vitâ. Illa Davidis vox est; hæc veræ illius lucis, *Quæ omnem hominem in mundum venientem illuminat* [4]. Existimate Salomonis his verbis inertiam ac socordiam vestram acriter insectari : *Quousquè tandem piger jacebis? quandò consurges à somno* [5]? Hoc et illud causaris, atque *Excusas excusationes in peccatis* [6]. Luminum diem expecto : Paschatis festum pluris facio : Pentecostem expectabo. Cum Christo in resurrectionis die in vitam redire : Spiritûs adventum honorare. Quid posteà? veniet repentè vitæ finis in die, quam non expectas, et in horâ, quam ignoras : ac tùm adveniet, quasi malus viator, gratiæ inopia, atque in tantis bonitatis opibus fame laborabis. Sed faciendum tibi est, ut contraria per contraria colligas, messem nempè per diligentiam et industriam, sitisque restinctionem per fontem, atque, *instar cervi* [7] gravissimâ siti laborantis, magnâ celeritate ad fontes accurras, contractamque currendo fatigationem aquâ extinguas, non autem, ut Ismaëli accidit, aquæ inopiâ exarescas; aut, quod poëtæ fabulantur, in medio fonte siti crucieris. Miserum est, cùm nundinæ effluxerint, tùm demùm negotiationem quærere. Miserum est, cùm manna præterierit, tùm cibum appetere. Miserum est, serum consilium capere, ac tùm damni sensu affici, cùm nullâ jàm ratione acceptum incommodum sar-

[1] Psal. XXXIII, 6. — [2] Joan. XII, 7. — [3] Id. IX, 4. — [4] Id. I, 9. — [5] Prov. VI, 9. — [6] Psal. CXL, 4. — [7] Id. XLI, 2.

ciri potest, hoc est, postquàm hìnc excesserimus, acerbèque conclusa fuerint, quæ quisque in hâc vitâ gessit, atque, et scelerati homines, supplicio, et qui animos purgârint, splendore affecti fuerint. Quocircà vobis providendum est, ne ad gratiam cunctanter accedatis; verùm summam celeritatem adhibeatis, ne latro vobis antevertat; ne adulter vos prætereat; ne avarus superiori conditione sit; ne sicarius bonum illud præripiat; ne publicanus, ne scortator, ne deniquè quisquam ex iis, qui *per vim in regnum irrumpunt, illudque rapiunt* [1]. Ultrò enim vim patitur, ac propter bonitatem tyrannidem suffert.

» Enimverò, si mihi auscultandum putabis, ad scelus quidem et fraudem tardus eris, celer autem ad salutem. Pari enim in vitio sunt, promptitudo ad vitium, et segnities ad virtutem. Si ad commessationem vocatus fueris, ne festines; si ad fidei abjurationem, fac pedem retrò celerrimè referas; si tibi flagitiosorum ac perditorum hominum sodalitium dixerit: *Veni nobiscum, particeps esto sanguinis, virum justum injustè in terram abscondamus* [2]; ne auribus quidem hos sermones admitte. Ità duas maximas utilitates consequeris: nàm et illis peccatum suum indicabis, et te ipsum à pravâ societate eximes. At si tibi magnus David dicat: *Venite, exultemus Domino* [3]; si alius Propheta: *Venite ascendamus in montem Domini* [4]; si ipse salutis nostræ Vindex: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego vos reficiam* [5]: aut, *Surgite, abeamus hìnc* [6], *nive splendidiùs effulgentes, et super lac coagulati, et super sapphirum collustrati* [7]; ne in contrarium nitamur, ne moram faciamus. Petrum et Joannem æmulemur: ad Baptismum, ut illi ad sepulcrum et resurrectionem [8], omni

[1] Matth. XI, 12. — [2] Prov. I, 11. — [3] Psal. XCIV, 1. — [4] Mich. IV, 2. — [5] Matth. XI, 28. — [6] Joan. XIV, 31. — [7] Thren. IV, 7. — [8] Joan. XX, 3.

festinatione properemus, simul currentes, certatim currentes, omni contentione in id incumbentes, ut hoc bonum priores occupemus. Ne dixeris : Abi et redi, et cras baptizabor, cùm hodiè beneficio affici queas. Adsit mihi mater, adsit mihi pater, fratres, uxor, liberi, amici atque omnes quos caros habeo, et tùm salutem accipiam : nunc autem nondùm mihi splendidum fieri vacat. Verendum enim est, ne luctûs socios accipias, quos te lætitiæ socios habiturum speraveras. Quamobrem, siquidem adsint, pulchrè tecum agi puta; sin autem absint, ne eos expectes. Turpe est enim dicere : Ubi est munus, quod propter Baptismum afferam? ubi splendida vestis, in quâ explendescam? ubi ea, quæ ad initiatores meos excipiendos requiruntur, ut in his quoquè rebus nominis celebritatem consequar? Valdè enim, uti vides, hæc necessaria sunt; ac propterea gratia imminuetur. Ne in magnis rebus minuta et levicula in rationem mittas : ne turpi aliquo et abjecto affectu te duci patiaris. Istud mysterium sublimius est rebus iis, quæ in oculorum aspectum cadunt. Te ipsum offer, Christum indue, honestâ et laudabili vitâ me ale : sic ego excipi lætor; sic etiam Deus, qui maxima quoquè beneficia nobis elargitur. Nihil apud Deum magnum est, quod non pauper quoquè donare possit, ut ne hâc quoquè in re tenuiores propellantur; cùm siquidem non habeant, quomodò cum locupletibus certent. Etenim in cæteris quidem rebus inter divitias et paupertatem interest : hìc autem, qui promptior atque alacrior est, idem quoquè ditior evadit.

» Nihil progressum tuum inhibeat; nihil animi alacritatem reprimat. Quandiù vehemens est desiderium, id, quod desideras, arripe. Quandiù calet ferrum, frigidâ obduretur, ne quid interim accidat, quod animi cupiditatem infringat. Philippus sum : esto Candaces. Dic ipse

quoquè : *Ecce aqua, quid me prohibet baptizari*[1]? Temporis occasionem arripe : ob bonum lætitiam concipe : atque hæc locutus, baptizare; baptizatus, salutem accipe; et quamvis corpore Æthiopus sis, animo dealbare. Salutem consequere, quâ nihil sublimius præstantiusque est, apud eos certè qui mente præditi sunt. Ne dicas : Baptizet me episcopus, atque is metropolitanus, aut Hierosolymitanus; (non enim locorum est gratia, sed Spiritûs;) isque etiam sit claro et nobili genere ortus; grave enim fuerit nobilitati meæ ob ejus, qui baptizat obscuritatem, labem ac dedecus inferri; aut si presbyter, saltem qui cælebs sit, qui continentiæ laude atque angelicâ vivendi ratione floreat; grave enim fuerit, si in purgationis tempore inficiar atque commaculer. Ne concionatoris aut baptizantis auctoritatem inquiras. Alius horum judex est, ac rerum obscurarum explorator : quandoquidem *Homo faciem, Deus autem cor intuetur*[2]. Tibi autem quivis ad purgationem satis idoneus est, modò inter probatos censeatur, ac non apertè condemnatus sit, atque ab Ecclesiâ alienus. Qui curatione indiges, in judices judicium ne arripe; nec eorum, à quibus purgaris, dignitates excute, nec inter genitores delectum habe. Est quidem alius alio præstantior, vel inferior : te autem quivis est superior. Sic tecum reputa. Sint duo annuli, alter aureus, alter ferreus, atque ambo eamdem imperatoris imaginem insculptam habeant, ac deindè ceram imprimant. Quid tandem hoc signum ab illo signo differet? nihil. Materiam in cerâ internosce, quamlibèt singulari solertiâ sis? Dic, utrum è duobus signis, aureo scilicèt annulo, an ferreo expressum sit, et quomodò unum idemque signum existat? Discrimen enim in materiâ est, non in signo. Sic tibi quoquè omnes, qui baptizandi munere funguntnr, idonei habean-

[1] Act. VIII, 36. — [2] I Reg. XVI, 7.

tur. Quamvis enim alius alium vitæ probitate antecellat, eadem tamen Baptismi vis est; ac quivis tibi initiatior sit, qui modò eâdem fide informatus est.

» Ne tuâ dignitate alienum putes, simul cum paupere baptizari, qui dives es, patricius cum ignobili, herus cum eo qui hactenùs tibi servus extitit. Nondùm tantùm te demittes, quantùm Christus, cui hodierno die baptizaris, qui salutis tuæ causâ servilem quoquè formam accepit. Ex quo die per Baptismum immutaris, veteres omnes notæ cessêrunt : una forma omnibus Christus impositus est. Ne peccatum tuum confiteri grave ducas, sciens quo pacto Joannes baptizaverit, ut per hujus vitæ pudorem, futuri sæculi pudorem ignominiamque fugias; (nàm hoc quoquè sempiterni illius supplicii pars est;) ac perspicuum facias, te seriò atque ex animo peccatum odisse ac detestari, dùm illud tanquàm contumeliâ dignum traducis, ac velut ludibrio exponis, de eoque triumphum agis. Ne exorcismi medicinam respuas, nec ob illius prolixitatem animo concidas. Nàm id quoquè velut lapis quidam Lydius est, ad quem exploratur quàm sincero quisque pectore ad Baptismum accedat. Ecquandò tantùm laboris susceperis, quantùm *Æthiopum regina, quæ ab extremis terræ finibus perrexit, ut Salomonis sapientiam videret? Et ecce plus quàm Salomon hìc* [1], saltem apud eos, qui rem perfectè considerant. Ne viæ longinquitatem reformides, nec maris spatia, nec ignem, si adhibeatur, nec aliud quodcumque impedimentum, quo gratiam consequaris. Cùm autem tibi, nec labore ullo, nec operâ ullâ susceptâ, rei expetitæ compotem fieri liceat, quæ tandem stultitia est, donum in aliud tempus rejicere? *Sitientes*, inquit, *venite ad aquam*, (sic te hortatur Isaïas;) *Et qui non habetis argentum, ite et emite, ac vinum, nullo per-*

[1] 3 Reg. x, 1-3, et Matth. xii, 42.

soluto pretio, bibite [1]. O ingentem benignitatis celeritatem! ô facilem contrahendi rationem! Hoc bonum solâ voluntate venale tibi proponitur; ipsum animi desiderium Deus ingentis pretii loco habet. Sitit sitiri : bibere volentibus potum præbet : cùm ab eo beneficium petitur, ipse beneficio afficitur : in promptu est ipsius munificentia ac liberalitas : jucundiùs dat, quàm alii accipiant. Hoc unum caveamus, ne jejuni ac minuti animi notam subeamus, parva Deique munificentiâ parùm digna postulantes. Beatus ille, à quo, ut ab illâ Samaritanâ, potum Christus poscit, *Fontemque dat aquæ in vitam æternam salientis* [2]. *Beatus qui seminat super omnem aquam* [3], et omnem animam, crastino die aratro perstringendam et irrigandam, quam hodiè bos et asinus calcant, utpotè vastam, incultam et aridam, ac brutâ stoliditate laborantem. Beatus, qui licèt *juncorum torrens sit, de domo tamen Domini rigatur* [4], atque ex juncifero frumenti ferax efficitur, pastumque eum, qui hominibus aptus sit, profert, non autem asperum et inutilem. Ac proindè omni curâ et studio nobis est providendum, ne communi hâc gratiâ careamus [5]. »

Multa alia possint exscribi beatorum Doctorum loca sivè Paganos, sive Hæreticos confutantium; sed nulla invenietur Refutatio quæ non possit ad tria illa reduci, ut vel objecta negent, vel admissa defendant, vel nec negata nec admissa in adversarios transferant.

§ VI. *De Peroratione.*

Peroratio duobus concluditur, Epilogo videlicèt, quo singula prædicta in unum collecta repræsentantur, et

[1] Isaï. IV, 1.— [2] Joan. IV, 7, et seqq.— [3] Isaï. XXXII, 20. — [4] Joël. III, 18. — [5] S. Gregor. Theolog. Orat. XL, n. 16-27.

Motibus quibus auditoris assensus quodam modo rapitur.

Licèt autem duo illa distinguamus, non tamen semper et ubiquè distincta reperiuntur apud sanctos Patres; et reverà multæ possunt excogitari Orationes quæ ultimâ illâ collectione non indigeant, sed exhortatione statim cum antecedentibus concatenatâ concludendæ meliùs videantur.

Porrò quàm grandis nobilisque illa beati Cypriani *de Mortalitate* conclusio, ubi, cùm de Morte à Christiano non timendâ disserat, hæc deniquè in verba desinit :

« Considerandum est, Fratres carissimi, et identidem cogitandum, renuntiâsse nos mundo, et tanquàm hospites et peregrinos istìc interim degere. Amplectamur diem qui assignat singulos domicilio suo; qui nos istìnc ereptos, et laqueis sæcularibus exolutos paradiso restituit et regno cœlesti. Quis non peregrè constitutus properaret in patriam regredi? quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidiùs optaret, ut velociter caros liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computemus; parentes patriarchas habere jàm cœpimus; quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illìc nos carorum numerus expectat; parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, jàm de suâ immortalitate secura, et adhùc de nostrâ salute sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in commune lætitia est? qualis illìc cœlestium regnorum voluptas sinè timore moriendi, et cum æternitate vivendi? quàm summa et perpetua felicitas? Illìc apostolorum gloriosus chorus; illìc prophetarum exultantium numerus; illìc martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis gloriam coronatus: triumphantes illìc virgines, quæ concupiscentiam carnis et corporis, continentiæ robore subegêrunt; remunerati mi-

sericordes qui alimentis et largitionibus pauperum justitiæ opera fecêrunt : qui dominica præcepta servantes ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulêrunt. Ad hos, Fratres dilectissimi, avidâ cupiditate properemus ; ut cum his citò esse, ut citò ad Christum venire contingat optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat ; hoc propositum mentis et fidei Dominus Christus aspiciat, daturus eis gloriæ suæ ampliora præmia, quorum circà se fuerint desideria majora [1]. »

Non miranda minùs occurrit ejusdem de Exhortatione martyrii Peroratio :

« *Non sunt,* inquit Apostolus, *condignæ passiones hujus temporis ad superventuram claritatem, quæ revelabitur in nobis* [2]. Quis ergò non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Christo statim gaudeat? ut post tormenta et supplicia terrena, præmia divina percipiat? Si militibus sæcularibus gloriosum est, ut, hoste devicto, redeant in patriam triumphantes ; quantò potior et major est gloria, victo diabolo, ad paradisum triumphantem redire, et undè Adam peccator ejectus est, illùc, prostrato eo qui antè dejecerat, trophæa victricia reportare? offerre Deo acceptissimum munus, incorruptam fidem, et virtutem mentis incolumem, laudem devotionis illustrem? lateri ejus assistere cùm sederit judicaturus? cohæredem Christi fieri, angelis adæquari, cum patriarchis, cum apostolis, cum prophetis cœlestis regni possessione lætari? Has cogitationes quæ persecutio potest vincere, quæ possunt tormenta superare? Durat fortis et stabilis religiosis meditationibus fundata mens, et adversùs omnes diaboli terrores et minas mundi animus immobilis perstat, quem futurorum fides certa et solida corroborat : clauduntur in per-

[1] S. Cypr. de Mortal. — [2] Rom. VIII, 18.

secutionibus terræ, sed patet cœlum; minatur antichristus, sed Christus tuetur; mors infertur, sed immortale sequitur; occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur; vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas et quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras et angustias gloriosum? claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus? Tàm feliciter migrandi quanta velocitas? Terris repentè subtraheris, ut in regnis cœlestibus reponaris. Hæc oportet mente et cogitatione complecti, hæc die et nocte meditari. Si talem invenerit persecutio Dei militem, vinci non poterit virtus ad prælium prompta; vel si accersitio antè prævenerit, sinè præmio non erit fides, quæ erat ad martyrium præparata. Sinè damno temporis merces, judice Deo, redditur; in persecutione militia, in pace conscientia coronatur [1]. »

Hæc autem licèt suspicienda cuique et laudanda magnoperè videantur, obscurari tamen quodam modo dixerim tam celebri illâ Peroratione, quâ libro de Spectaculis finem imponit Tertullianus :

« Odisse debemus istos conventus et cœtus ethnicorum, vel quòd illìc nomen Dei blasphematur, illìc in nos quotidiani leones expostulantur, indè persecutiones decernuntur, indè tentationes emittuntur...Quid facies in illo suffragiorum impiorum æstuario deprehensus? non quasi aliquid illìc pati possis ab hominibus : nemo te cognoscit Christianum. Sed recogita quid de te fiat in cœlo. Dubitas enim illo momento, quo diabolus in Ecclesiam furit, omnes angelos prospicere de cœlo, et singulos denotare, quis blasphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures diabolo adversùs Deum ministraverit? Non

[1] S. Cypr. de Exhort. Martyr.

ergò fugies sedilia hostium Christi, illam cathedram pestilentiarum, ipsumque aërem, qui desuper incubat, scelestis vocibus constupratum? Sint dulcia licèt, et grata, et simplicia, etiam honesta quædam; nemo venenum temperat felle et elleboro, sed conditis pulmentis et benè soporatis, plurimùm dulcibus id mali injicit : ità et diabolus letale quod conficit rebus Dei gratissimis et acceptissimis imbuit. Omnia illìc seu fortia, seu honesta, seu sonora, seu canora, seu subtilia, proindè habe ac si stillicidia mellis de ranunculo venenato : nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per suavitatem. Saginentur ejusmodi dulcibus convivæ sui... Nostræ cœnæ, nostræ nuptiæ nondùm sunt : non possumus cum illis discumbere, quia nec illi nobiscum; vicibus disposita res est. Nunc illi lætantur, nos conflictamur : *Sæculum*, inquit, *gaudebit, vos tristes eritis*[1]. Lugeamus ergò dùm Ethnici gaudent, ut cùm lugere cœperint gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoquè pariter lugeamus. Delicatus es, Christiane, si et in sæculo voluptatem concupiscis, imò nimiùm stultus, si hoc existimas voluptatem. Philosophi quidam hoc nomen quieti et tranquillitati dedêrunt; in eâ gaudent, in eâ avocantur, in eâ etiam gloriantur. Tu mihi metas, et scenas, et pulverem, et arenam suspiras? Dicas velim : non possumus vivere sinè voluptate, qui mori cum voluptate debemus? Nàm quod est aliud votum nostrum, quàm quod et Apostoli, exire de sæculo, et recipi apud Dominum? Hìc voluptas, ubi et votum. Jàm nunc puta delectamentis exigere spatium hoc. Cur tàm ingratus es ut tot et tales voluptates à Deo contributas tibi satis non habeas, neque recognoscas? Quid enim jucundius, quàm Dei Patris et Domini reconciliatio, quàm veritatis revelatio, quàm errorum recognitio, quàm tantorum retrò

[1] Joan. XVI, 10.

criminum venia? quæ major voluptas, quàm fastidium ipsius voluptatis, quàm sæculi totius contemptus, quàm vera libertas, quàm conscientia integra, quàm vita sufficiens, quàm mortis timor nullus, quòd calcas deos nationum, quòd dæmonia expellis, quòd medicinas facis, quod revelationes petis, quòd Deo vivis? Hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita; in his tibi circenses ludos interpretare; cursus sæculi intuere; tempora labentia, spatia dinumera; metas consummationis expecta; societates ecclesiarum defende; ad signum Dei suscitare; ad tubam angeli erigere, ad martyrum palmas gloriare. Si scientiæ, doctrinæ delectant, satis nobis litterarum est, satis versuum est, satis sententiarum, satis etiam canticorum, satis vocum : nec fabulæ sed veritates, nec strophæ, sed simplicitates. Vis et pugillatus et luctatus? Præstò sunt non pauca simul : aspice impudicitiam dejectam à castitate, perfidiam cæsam à fide, sævitiam à misericordiâ contusam, petulantiam à modestiâ adumbratam. Et tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur. Vis autem et sanguinis aliquid? habes Christi. Quale autem spectaculum in proximo est, adventus Domini jàm indubitati, jàm superbi, jàm triumphantis? Quæ illa exultatio angelorum? quæ gloria resurgentium sanctorum? quale regnum exindè justorum? qualis civitas nova Hierusalem? Atenim supersunt alia spectacula : ille ultimus et perpetuus judicii dies, ille nationibus insperatus, ille derisus, cùm tanta sæculi vetustas et tot ejus nativitates uno igne haurientur. Quæ tunc spectaculi latitudo? quid admirer? quid rideam? ubi gaudeam? ubi exultem? tot spectans reges, qui in cœlum recepti nuntiabantur, cum ipso Jove et ipsis suis testibus in imis tenebris congemiscentes. Item præsides, persecutores dominici nominis, sævioribus quàm ipsi contrà Christianos sæviêrunt

flammis insultantibus liquescentes; prætereà sapientes illos philosophos coràm discipulis suis unà conflagrantibus erubescentes, quibus nihil ad Deum pertinere suadebant, quibus animas aut nullas, aut non in pristina corpora redituras affirmabant; etiam poëtas, non ad Rhadamanti, nec ad Minois, sed ad inopinati Christi tribunal palpitantes. Tunc magis tragœdi audiendi, magis scilicèt vocales in suâ propriâ calamitate; tunc histriones cognoscendi solutiores multò per ignem; tunc spectandus auriga, in flammeâ rotâ totus ruber; tunc Xystici contemplandi non in gymnasiis, sed in igne jaculati; nisi quòd nec tunc quidem illos velim visos, ut qui malim ad eos potiùs conspectum insatiabilem conferre, qui in Dominum desæviêrunt. Hic est ille, dicam, fabri aut quæstuariæ filius, sabbati destructor, Samarites, et dæmonium habens. Hic est quem à Judâ redemistis; hic est ille arundine et colaphis diverberatus, sputamentis dedecoratus, felle et aceto potatus; hic est quem clàm discentes subripuêrunt, ut resurrexisse dicatur, vel hortulanus detraxit, ne lactucæ suæ frequentiâ commeantium allæderentur. Ut talia spectes, ut talibus exultes, quis tibi prætor, aut consul, aut quæstor, aut sacerdos de suâ liberalitate præstabit? Et tamen hæc jàm quodam modo habemus per fidem spiritu imaginante repræsentatæ. Cæterùm qualia illa sunt quæ *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendérunt*[1]? Credo, circo, et utrâque caveâ, et omni studio gratiora [2]. »

Inter multas autem alias referenda certè et illa S. Ambrosii Peroratio de Bono mortis :

« Intrepidè igitur pergamus ad redemptorem nostrum Jesum; intrepidè ad patriarcharum concilium, intrepidè ad patrem nostrum Abraham, cùm dies advenerit, pro-

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Tertul. de Spect. n. 26-30.

ficiscamur : intrepidè pergamus ad illum sanctorum cœtum, justorumque conventum. Ibimus enim ad patres nostros, ibimus ad illos fidei nostræ præceptores, ut etiamsi opera desint, fides opituletur, defendatur hæreditas; ibimus et ubi sinum suum Abraham sanctus expandit, ut suscipiat pauperes, sicut suscepit et Lazarum : in quo sinu requiescunt, qui in hoc sæculo gravia atque aspera pertulêrunt. Sed nunc, Pater, etiam atque etiam extende ad suscipiendum hunc pauperem manus tuas; aperi gremium tuum, expande sinus tuos, ut plures suscipias, quia plurimi in Dominum credidêrunt... Ibimus ad eos qui recumbent in regno Dei,.. ubi nullæ nubes, nulla tonitrua, nullæ coruscationes, nulla ventorum procella, neque tenebræ, neque vesper, neque æstas, neque hyems vices variabunt temporum. Non frigus, non grando, non pluviæ, non solis istius erit usus, aut lunæ, neque stellarum globi, sed sola Dei fulgebit claritas... Sequimur te, Domine Jesu : sed ut sequamur, accersi, quia sinè te nullus ascendit. *Tu* enim *via es, veritas, vita* [1], possibilitas, fides, præmium. Suscipe nos quasi *via*, confirma quasi *veritas*, vivifica quasi *vita*... Pande illud verè bonum tuum,.. in quo est requies pura, lux immortalis, gratia perpetua, hæreditas animarum, pia et secura tranquillitas, non morti subjecta, sed erepta de morte, ubi nullæ lacrymæ, nullus est fletus, undè enim illic fletus, ubi nullus est lapsus? ubi sunt sancti tui erroribus et sollicitudinibus, insipientiâ atque ignorantiâ, timore ac metu, cupiditatibus atque corporeis colluvionibus et passionibus absoluti, ubi regio viventium est. Et ut assertioni huic adjungamus auctoritatem, de hoc bono Propheta dicit : *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, quoniam eripuit ani-*

[1] Joan. XIV, 6.

mam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. Placebo Domino in regione vivorum [1]... Nos (ergò Jesum) in temporum fine quæramus, et complectamur pedes ejus, et adoremus eum, ut dicat et nobis : *Nolite timere* [2], id est, nolite timere à peccatis sæculi, nolite timere ab iniquitatibus mundi, nolite timere à fluctibus corporalium passionum; ego sum peccatorum remissio : nolite timere à tenebris, ego sum lux : nolite timere à morte, ego sum vita. Quicumque ad me venit, mortem non videbit in æternum [3]. »

Hic sanè sistendi gradus, nisi tanta emergeret Perorationum utilitas, ut totus concionis successus in illis concludi videatur. Mediocris enim sermo, si vehementiori motu finis illi imponatur, minùs contemnetur propter tractatûs mediocritatem, quàm propter vehementiam Perorationis extolletur; perfectior autem concio, si jàm in fine debilis infirmaque deficiat, contemptum potiùs quàm plausus inveniet. Seriùs igitur investigandum superest quæ fuerint in hâc parte sanctorum Patrum ars et methodus. Quod sapienter incipiendo perfecêrunt, hoc et terminando minimè prætereuntes, modò temporis opportunitatem, modò personarum circumstantias, modò varias variorum argumentorum facies, attendere curârunt, nunc felicia hominibus exoptantes, nunc à Deo prospera postulantes.

I. Quidem ad temporis opportunitatem perorando respiciebat S. Gregorius Nazianzenus, cùm in novam Dominicam loquens, veris jucunditatem, solertiam apûm, natalemque martyris Mamantis diem fidelium turmas sub dio retinentem, amœnitate religioni consociatâ, sic depingere gestiebat :

« Sed jàm ad ea, quæ temporis sunt, celebranda, nos

[1] Psal. CXIV, 7 et seq. — [2] Matth. XXVIII, 5. — [3] S. Ambros. de Bono Mortis, n. 52-57.

conferamus. Commodùm enim omnia ad hoc festum concurrunt, simulque lætantur. Vide enim qualia sint, quæ oculis offeruntur. Princeps anni pars principi dierum pompam peragit, ac quidquid pulcherrimum et suavissimum habet, à se ipsâ tribuit. Nunc cœlum splendidius; nunc sol sublimior, aureoque nitore rutilantior; nunc lunæ orbis clarior, et siderum chorus purior. Nunc et fluctus cum littoribus, et nubes cum sole, et venti cum aëre, et terra cum stirpibus, et stirpes cum oculis in gratiam redeunt. Nunc fontes limpidiùs fluunt, nunc flumina uberiùs, nimirùm hybernis vinculis soluta. Nunc, et pratum suaviter olet, plantæ pullulant, et herba detondetur, et in virentibus arvis agni saltitant. Nunc navis cum celeusmatibus, iisque ut plurimùm piis ac religiosis, è portu solvit, veloque, tanquàm pennis, cingitur; ac per gyrum assultat etiam delphinus, jucundissimum quoddam insufflans, seseque in altum evehens, et gaudio gestiens vectores prosequitur. Nunc aratrum agricola compingit, oculos in altum tollens, frugumque datorem invocans, ac bovi aratori jugum innectit; dulcemque sulcum proscindit, ac spes lætas fovet. Nunc pastor et bubulcus fistulas aptant, ac pastorale carmen inspirant, atque inter plantas et petras vernum tempus transigunt. Nunc plantarum cultor plantam curat, et auceps calamos construit, ac ramos suspectat, et pennam avium studiosè explorat. Nunc piscator profundum aquæ perspicit, ac rete suum repurgat, et petris insidet.

» Nunc sedulæ apes, solutis pennis, et relictis alvearibus, sapientiæ suæ documentum præbent, atque ad prata convolant, floresque diripiunt: et aliæ quidem cellulas elaborant, sexangulas et inter se oppositas fistulas attexentes, rectasque lineas angularibus alternantes, non minùs ad operis elegantiam, quàm ad securitatem: aliæ

verò mel in horrea recondunt, atque hospiti suo dulcem fructum et inaratum proferunt. Utinàm nos quoquè, qui Christi aspiarium sumus, ac tale tùm sapientiæ, tùm industriæ et laboris exemplum accepimus, eas imitemur. Jàm avis nidum construit, atque alia quidem redit, alia immigrat, alia circumvolat, ac nemus cantu suo implet, hominemque garritu demulcet. Omnia Deum laudant, et vocibus multis concelebrant. Propter omnia enim gratiæ Deo per me habentur; atque ità illorum laudatio, mea efficitur nimirùm à quibus ego laudis argumentum capio. Nunc quidem omne animantium genus ridet, atque omnibus sensibus pascimur. Nunc etiam superbus equus, et jubam arrigens, stabulum fastidit, ac, perfractis vinculis, per campos lasciviùs fertur, atque in fluminibus gestit, seseque ostentat.

» Quid cætera commemorem? Nunc Martyres sub dio populum retinent, ac pompam agunt, splendidisque sedibus piam plebem et Christi amantem convocant, ac certamina sua in publicum proponunt. Quo è numero unus quoquè est meus ille laureatus, (meus enim, etsi non apud me, facessat invidia, scientibus loquor,) Mamas ille insignis, et pastor, et Martyr; qui priùs quidem cervas mulgebat, ad sanctum virum novo et inusitato lacte alendum certatim properantes; nunc autem metropolis plebem pascit, hodièque multis hominum millibus undecumquè accurrentibus ver innovat, tùm virtutis pulchritudine varium, tùm pastoribus dignum, tùm sermonibus in ipsius triumphi laudem consecratis. Atque ut paucioribus adhùc verbis rem complectar, nunc ver mundanum, ver spirituale, ver animis, ver corporibus, ver visibile, ver invisibile: quo utinàm in altero ævo participes efficiamur, præclarè in hâc vitâ mutati, ac novi ad novam vitam transmittamur in Christo Jesu Domino nos-

tro, cui gloria, honor et imperium cum sancto Spiritu ad gloriam Dei Patris. Amen[1]. »

II. Idem ex præsidentis Personâ perorationis depromebat argumentum, cùm sermone habito coràm patre tacente propter plagam grandinis, in hæc verba desinebat :

« Hæc nobiscum philosophare, Vir divine et sacrosancte, quique longo temporis spatio ingentem rerum usum, ex quo sapientia nascitur, collegisti. His populum tuum instrue. Doce *panem esurienti frangere*[2], et pauperes tecto carentes colligere, et nuditatem tegere, nec consanguineos despicere ; ac nunc præsertim, ut bonum nostrum ex penuriâ sit, non ex abundantiâ : quo munere Deus, magis quàm multis oblationibus, magnisque largitionibus delectatur. Post hæc, imò antè hæc, esto mihi hodierno die Moyses et Phinees[3]. *Sta* pro nobis, *et placa ; et cesset quassatio*[4], sivè per spirituale sacrificium, sivè per orationem ac rationalem intercessionem. Domini iracundiam interventu tuo reprime : plagas deinceps sequentes compesce. Patris canitie pro filiis obsecrantis permoveri solet. Pro præteritâ improbitate ora : meliora in posterum de nobis pollicere. Offer populum calamitate ac metu purgatum. Corpoream alimoniam pete : angelicam etiam è cœlo descendentem priùs pete. Hoc si feceris, Deum nobis conciliabis, cœlum mitigabis, *Matutinam et serotinam pluviam reddes*[5]. *Dominus dabit benignitatem et terra nostra dabit fructum suum*[6] : hæc, inquam, inferior, quotidianum ; carnis autem nostræ terra, sempiternum, quem divinis horreis per te, et nos et munera nostra offerentem, imponemus, in Christo Jesu Domino nostro, cui sit gloria in sæcula. Amen[7]. »

[1] S. Gregor. Theol. Orat. XLIV, n. 10-12. — [2] Isaï LVIII, 7. — [3] Exod. XXXII, 11. — [4] Psal. CV, 23 et 30. — [5] Joël. II, 23. — [6] Psal. LXXXIV, 13. — [7] S. Gregor. Theol. Orat. XVI, n. 20.

Jàm idem illud sermonem concludendi genus præcedenti quâdam oratione priùs usurpaverat sanctus Doctor, cùm ob monachorum reconciliationem diceret, patre præsente, sicque finem loquendi faciebat :

« Quæ cùm cognita et explorata habeamus, Fratres, complectamur nos mutuò, et exosculemur, unum verè efficiamur, et eum, *Qui medium maceriæ parietem solvit*[1], ac *per sanguinem suum omnia conciliavit, et pacavit*[2], imitemur. Dicamus communi huic patri, venerabili canitiei, mansueto et placido pastori : Vides moderationis tuæ præmia? *Tolle per circuitum oculos tuos, et collectos filios tuos vide*[3], quemadmodùm cupiebas, quodque unum ut tibi contingeret, noctes diesque postulabas, ùt in senectute bonâ peregrinationis tuæ dies concluderes. En omnes ad te venêrunt, ac sub pennis tuis requiescunt, suumque altare cingunt, cum lacrymis illi quidem egressi, cum gaudio autem recurrentes. Gaude et oblectare, patrum optime ac filiorum amantissime, quoniam his omnibus, non secùs ac sponsa mundo suo, indutus et amictus es. Loquere tu quoquè ad nos : *Ecce ego, et pueri mei, quos dedit mihi Dominus*[4]. Adde aliam quoquè Domini vocem valdè congruentem : *Quos dedisti mihi custodivi, et non perdidi ex eis quemquam*[5].

» Atque utinàm nemo pereat, *Sed omnes in uno spiritu maneamus, unâ mente collaborantes fidei Evangelii, unanimes, unum idemque sentientes, fidei clypeo armati, succincti lumbos* in veritate[6], solum unum istud bellum scientes, quod adversùs pravum illum, et eos, qui ipsius ductu et auspiciis pugnant, geritur : *Non eos timentes, qui corporis quidem necandi potestatem habent, cæterùm animam arripere nequeunt ;*

[1] Ephes. II, 14. — [2] Coloss. I, 19. — [3] Isai. LX, 4. — [4] Id. VIII, 18. — [5] Joan. XVII, 12. — [6] Philip. I, 27, et Ephes. VI, 16.

sed eum, cui in corpora animasque nostras jus et imperium est, formidantes[1] : præclarum depositum, *Quod à patribus nostris accepimus, custodientes*[2] ; adorantes Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum ; in Filio Patrem, in Spiritu Filium cognoscentes, in quorum nomine baptismi aquâ tincti sumus, in quos credidimus, quibus nomen dedimus, priùs eos dividentes, quàm conjunxerimus, priùsque conjungentes, quàm distinxerimus, nec tria tanquàm unum accipientes ; (neque enim ejusmodi sunt hæc nomina, ut per se non subsistant, aut de unâ tantùm personâ prædicentur, quasi opes nostræ in nominibus, non autem in rebus sitæ sint,) et tria unum esse credentes. Unum enim sunt, non Personæ, sed Divinitatis ratione. Unitas in Trinitate adorata, et Trinitas in Unitatem collecta, tota adoranda, tota regia, ejusdem throni et gloriæ, mundo sublimior, tempore superior, increata, invisibilis, tactûs et comprehensionis expers, secundùm verò ordinem, qui in se est, sibi soli cognita, nobis tamen ex æquo veneranda et adoranda, sola etiam in Sancta sanctorum penetrans, res autem omnes conditas foris relinquens, alias primo velo, alias secundo interclusas atque diremptas : primo nimirùm, cœlestes et angelicas à Deitate, altero verò, naturam nostram à cœlestibus. Hæc, Fratres, agamus, hoc animo simus ; eosque, qui aliter sentiunt, ut veritatis labem et corruptelam, quoad quidem licebit, assumamus atque curemus ; incurabili autem morbo laborantes aversemur : ne alioqui morbum eorum antè contrahamus quàm illis sanitatem nostram impertiamus. Ac, *Deus pacis*[3], illius, inquam, pacis, *Quæ intellectum omnem exuperat*[4], nobiscum erit, in Christo Jesu Domino nostro. Amen[5]. »

[1] Matth. x, 28. — [2] 2 Tim. i, 14. — [3] 2 Cor. xiii, 11. — [4] 2 Philip. iv, 7. — [5] S. Gregor. Theol. Orat. vi, n. 21, 22.

Ità pariter alibi Eulalium Doarensium episcopum, in cujus consecratione sermonem ad populum habebat, finiendo alloquitur :

« Ac nunc, ô pastorum optime et præstantissime, adesdum, ac nobiscum, imò antè nos populum tuum accipe, quem Spiritus sanctus tibi commisit, quem angeli offerunt, quem et vita, et morum probitas, fidei tuæ credidit. Quòd si per tentationes et impedimenta throni hæreditatem consequeris, non est cur tibi hoc mirum videri debeat. Nulla res magna probationis et anxietatis est expers. Naturâ enim ità comparatum est, ut res humiles et abjectæ facili negotio parentur, res autem sublimes et excelsæ, non nisi summo studio et difficultate. Audîsti Paulum dicentem *Oportere nos per multas tribulationes introire in regnum cœlorum*[1]. Dic ipse quoquè : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium*[2]. O insigne miraculum ! *Advesperam demoratus est fletus, et ad matutinum lætitia*[3]. Sine eos, qui bellum gerunt, nugari atque ineptire, ac diducto rictu hiare, ut canes frustrà oblatrantes : nos autem ne bello vexemur. Doce adorare Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, in tribus Personis, in unâ gloriâ et splendore. *Quod periit, exquire : quod infirmum est corrobora : quod firmum est, serva*[4]. Tantam à te in spiritualibus rebus laudem nominisque gloriam efflagitamus, quantam in terrenis negotiis cognovimus. Perfectiorem armaturam à majoribus ducibus accipies, per quam poteris *Ignita diaboli tela extinguere*[5], ac, *Sistere Domino plebem peculiarem, gentem sanctam, regale sacerdotium*[6], in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen[7]. »

[1] Act. XIV, 21. — [2] Psal. XV, 12. — [3] Id. XXIX, 6. — [4] Ezech. XXXIV, 4. — [5] Ephes. VI, 16. — [6] 1 Petr. II, 9. — [7] S. Gregor. Theol. Orat. XLII, n. 4.

III. De Personâ, circà cujus encomium versatur oratio, sic elegantem deducebat conclusionem, cùm mortui Cæsarii fratris laudes concinens, hinc è terrenâ vanitate ad cœlestem felicitatem se convertendi ansam assumebat dicens :

« Utinàm, *Membra, quæ super terram sunt, mortificem*[1] ! utinàm omnia per Spiritum absumam, *Arctâ viâ, et quâ pauci gradiuntur*[2], non autem *latâ* et facili incedens ! Magna enim profectò et luculenta sunt ea, quæ posteà sequuntur, ac spes meritum nostrum et dignitatem excedit. *Quid est homo, quòd memor es ejus*[3]? Quodnam hoc novum circùm me mysterium ? Parvus sum et magnus, humilis et excelsus, mortalis et immortalis, terrenus et cœlestis. Illa cum inferiori hoc mundo ; hæc cum Deo ; illa cum carne, hæc cum spiritu. Oportet me cum Christo sepeliri, cum Christo resurgere, Christi cohæredem esse, filium Dei fieri, atque adeò Deum ipsum. Videte quò nos oratio progrediens tandem evexerit. Parùm abest, quin calamitati gratias etiam habeam, in cujus gratiam hæc disserui, et quæ mihi majus ex hâc vitâ migrandi desiderium injecit. Hoc nobis magnum illud mysterium designat : hoc nobis Deus, qui nostrâ causâ humanitatem suscepit, ac pauper factus est, ut jacentem carnem erigeret, et incolumitatem imagini afferret, hominemque instauraret, ut, *Omnes unum efficiamur in Christo*[4], qui perfectè factus est in omnibus nobis omnia quæcumque ipse est ; ut jàm non simus, *Masculus et fœmina, barbarus et Scytha, servus et liber*[5], quæ sunt carnis insignia et discrimina, sed solam Dei, à quo et ob quem creati sumus, notam in nobis geramus,

[1] Coloss. III, 5. — [2] Matth. VII, 13. — [3] Psal. VIII, 5. — [4] Gal. III, 28. — [5] 1 Cor. XII, 7.

tantùm ab eo informati et impressi, ut ex ipso solo agnoscamur.

» Atque utinàm quidem simus quod speramus, secundùm magnam munifici Dei benignitatem; qui parva petens, maxima iis, qui sincero animi affectu eum amant, et nunc et in futuro ævo largitur; pro nostrâ ergà ipsum charitate et spe, *Omnia ferentes, omnia sustinentes*[1]; propter omnia, tàm dextra, quàm sinistra, hoc est, tàm læta, quàm tristia, gratias agentes, (quandoquidem hæc quoquè persæpè salutis arma esse verbum novit,) nostras, et eorum, qui, tanquàm in communi viâ, paratiores, ad hospitium priùs pervenêrunt, animas ipsi commendantes. Quo quidem officio nos functi, finem dicendi, ut et vos quoquè lacrymandi, faciemus, jàm ad sepulcrum vestrum properantes, quod solum ac triste donum Cæsarius à vobis habet, parentibus quidem et senectuti opportunè paratum, filio autem ac juvenili ætati donatum, præposterè quidem, at non absurdè apud eum, qui res nostras administrat. O omnium Domine, et effector, ac præcipuè hujus figmenti! ô Deus, tuorum hominum et pater, ac gubernator! ô vitæ et mortis arbiter! ô nostrarum animarum custos et benefactor! *O qui omnia facis*[1], et tempestivè, atque, ut ipse pro sapientiæ tuæ et administrationis altitudine nosti, artifice Verbo transmutas, nunc quidem Cæsarium, discessûs nostri primitias, quæso, suscipe. Quòd si postremum natu, primum tuis rationibus, quibus omnia reguntur, cedimus: nos verò post quoquè opportuno tempore suscipe, tandiù carne vitam nostram moderatus, quandiù conducibile fuerit: et quidem suscipe, ob metum tuum, *Paratos et non turbatos*[2], neque in extremo die terga vertentes, atque invito animo, quemadmodùm solent qui mundo et carni ad-

[1] Amos. v, 8. — [2] Psal. cxviii, 60.

dicti sunt, hinc abstractos et avulsos; sed promptè et alacriter ad beatam illam et longævam vitam proficiscentes, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen[1]. »

IV. Nec Personæ tantùm, de quâ sermo, mentionem adhibet sanctus Doctor, sed et illam aliquandò licèt mortuam interpellat, ut videre est in funebri Gorgoniæ sororis Oratione, ad quam, narratâ ejusdem felici morte, ultima demùm verba dirigit :

« Sic illa solvitur, aut, ut meliùs loquar, assumitur, aut avolat, aut transmigrat, aut paululùm antè corpus abscedit. Verumenimverò qualis ipsius laus mihi propemodùm excidit! Fortassè autem ne tu quidem id passus fuisses, ô spiritualis illius pater, qui etiam miraculum istud accuratè observâsti, nobisque indicâsti : magnum sanè, ut ipsi ad gloriam, ità nobis ad virtutis monimentum atque ejusdem dissolutionis desiderium. Ac mihi horror quidam subit, lacrymæque simul, hoc miraculum recordanti. Jàm solvebatur, atque extremos spiritus efflabat, ac circùm eam tùm propinquorum, tùm exterorum chorus erat, prosecutionis officia ipsi præstantium; et vetulæ matris observatio, animæque distortio exitum zelotypià prosequentis, et mirus omnium amor anxietate permixtus, quorum alii, ad exsuscitandam in eorum animis ipsius memoriam, aliquid audire gestiebant, alii verò loqui cupiebant, nec tamen audebant. Ac mutæ lacrymæ, mœrorque incurabilis, (nec enim pium videbatur, eam, quæ ità discederet, luctu prosequi,) altumque silentium erat, ac mors illius sacræ cujusdam cæremoniæ speciem habebat. Illa autem, quantùm quidem ex aspectu conjici poterat, nec spirabat, nec movebatur, nec sonum ullum edebat, silentiumque illud fracti et dissoluti corporis opi-

[1] S. Gregor. Theolog. Orat. VII, n. 23, 24.

nionem omnibus afferebat; perindè videlicèt atque vocis instrumenta, ob animæ, quâ movebantur, excessum, jàm oppressa et extincta essent. At cùm pastor ille, qui propter miraculum, quod omnibus rebus elucebat, facta dictaque illius omnia diligenter observabat, labia ipsius leniter moveri sensisset, auremque propiùs admovisset, (fidentem enim eum, cùm sui mores, tùm commiseratio ipsa faciebat,) quin tu ipse hujus silentii mysterium exponis? Nemo quippè tibi narranti fidem abrogabit. Psalmodia erat, id quod submussitabat, ac psalmodiæ verba ad exitum pertinentia: et, si verè loquendum est, libertatis illius ac fiduciæ, cum quâ hìnc excedebat, testimonium. Ac beatus ille, qui cum verbis illis extremum vitæ spiritum claudet! *In pace in idipsum dormiam et requiescam*[1]. Hæc, et à te, ô mulierum præstantissima, canebantur, et tibi contingebant; ac psalmodia, id erat, quod fiebat, conjunctumque cum discessu epitaphium erat: quippè quæ mentem à vitiosis permotionibus ritè pacatam habueris, ac præter communem soporem, debitum quoquè Deo charis hominibus somnum acceperis, quemadmodùm eam par erat, quæ in pietatis verbis, et vixerat, et abscesserat.

» Equidem non dubito, quin iis, quæ oculis cernuntur, multò præstantiora sint ea, quibus nunc frueris, nempè, *Sonus epulantium*[2], angelorum chorea, cœlestis ordo, gloriæ contemplatio, cùm alterius, tùm supremæ Trinitatis purior et perfectior illuminatio, non jàm vinctam mentem ac per sensus diffusam suffugientis, sed totam sese toti menti contemplandam et tenendam præbentis, totoque divinitatis lumine animis nostris affulgentis. Omninò, inquam, his fruàris quorum, etiam dùm adhùc in terrâ esses, ob sinceram ad ea mentis erectio-

[1] Psal. IV, 10. — [2] Id. XLI, 5.

nem, rivulos habebas. Quòd si quid eos quoquè, qui tibi à nobis habentur, honores curas, atque hoc præmii sanctis animis divinitùs contingit, ut ista sentiant, nostram quoquè orationem pro multis, ac præ multis funebribus donis accipias velim, quam Cæsario antè te, et tibi post illum persolvimus, quandoquidem fratrum funeribus orationе prosequendis sumus reservati. An verò nos quoquè post vos pari honore quispiam affecturus sit, dicere haud queo : cæterùm eo duntaxàt honore, qui Deo gratus sit, afficiamur, tùm peregrinantes, tùm habitantes, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et Patri cum Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen[1]. »

Nec ab hâc Peroratione dissentit illa invocatio quâ sancti Athanasii Encomium idem absolvit :

« Cùm autem eum vitæ cursum tenuisset, atque ità institutus fuisset, aliosque instituisset, ut et vita ipsius morumque ratio episcopatûs norma esset, et ipsius dogmata pro fidei orthodoxæ lege haberentur, quod tandem pietatis præmium capit? Neque enim hoc neglectim transmittendum est. In bonâ senectute vitam claudit, patribusque suis, Patriarchis, et Prophetis, et Apostolis, ac Martyribus, qui pro veritate dimicaverant, adjungitur. Atque, ut epitaphium quoddam paucis complectar, excellentiori honore in discessu afficitur, quàm quo in civitatis ingressibus ornatus fuerat; multas quidem lacrymas excitavit, majorem autem iis rebus, quæ in aspectum cadunt, nominis sui gloriam in omnium animis recondidit. At, ô charum et sacrum caput, tu, inquam, qui præter cæteras tuas laudes sermonis et silentii modum eximiè coluisti, orationi quidem nostræ finem hìc constitue, quæ, si virtutum tuarum præstantiam haudquaquàm assecuta sit, at viribus certè nostris minimè inferior est. Nos autem

1 S. Gregor. Theclog. Orat. VIII, n. 21-23.

utinàm ipse benignus desuper et placidus aspicias, atque hunc populum gubernes, perfectum perfectæ Trinitatis, quæ in Patre et Filio, et Spiritu sancto intelligitur et colitur, adoratorem: meque, siquidem res pacatæ fuſuræ sint, in vitâ teneas, gregemque mecum pascas; sin autem Ecclesia bellis flagratura est, reducas, aut assumas, tecumque, et cum tuî similibus colloces, tametsi magnum sit quod postulo, in ipso Christo Domino nostro, cui omnis gloria, honor, et imperium in sæcula. Amen[1]. »

Adsit etiam illa ejusdem de beato Cypriano elegans Peroratio:

« Habes, Vir divine et sacrosancte, meorum sermonum primitias. Habes tùm doctrinæ, tùm certaminis præmium; non olivam Olympicam, nec poma, Delphicas nugas, aut Isthmicam pinum, aut Nemæum apium, quibus miseri adolescentes olim ornabantur; verùm orationem, quâ nihil est quod verbi cultoribus magis conveniat; quæ si certaminum tuorum doctrinæque meritum assecuta est, Verbo id acceptum fero. At tu nos è cœlo benignus aspicias, sermonesque nostros et vitam gubernes, sacrumque hunc gregem pascas, aut pascentem adjuves, tùm in cæteris rebus, quoad ejus fieri poterit, eum ad optima quæque dirigens, tùm graves lupos, syllabarum et verborum captatores amoliens; sanctæque Trinitatis, cui nunc astas, pleniorem clarioremque splendorem nobis concilians, quam adoramus, quam celebramus, pro quâ unâ militamus, in Filio Patrem, in Spiritu sancto Filium adorantes, cui utinàm etiam post confectum hujus vitæ curriculum puri, et ab omni offendiculo liberi, astemus, eâque perfectè fruamur, in ipso Christo Domino nostro, cui omnis gloria, honor, et imperium in sæcula sæculorum. Amen[2]. »

[1] S. Gregor. Theol. Orat. XXI, n. 37. — [2] Id. Orat XXIV, n. 19.

Ad quod accedit etiam illa ignoti Auctoris, quanquàm evidenter orientalis, Peroratio, quâ S. Gregorii Illuminatoris sic claudit encomium :

« Jamverò Beati laudes, pro ipsius meritis, encomio prosequi penès me non est, licèt id mihi maximè sit in votis. Dicam igitur quàm brevissimè ea quæ posteà profectò consecutus est.

« Fidelem servum suum sic allocutus est Creator : Euge serve bone et fidelis : ne quid sollicitus sis de tuâ seminis in terras projectione. Tu plantâsti, Paule alter ; ego autem incrementum do. Veni, intra in gaudium Domini tui. Ne timeas, Moses alter, quòd tibi non nisi recèns crediderint populi : tu enim me magis quàm corpus tuum dilexisti. Veni, requiesce à laboribus tuis, nove Daniel.

» Nuptialem ingredere thalamum, quem tibi anteà pollicitus eram. Veni, sedem accipe inter Apostolos, Apostole alter, qui verbum veritatis genti superbæ annuntiâsti. Inter Angelorum agmina colloceris, qui vitam illorum in terris æmulatus es. Veni, et cum Patriarchis princeps esto. Planteris ut palma sancta in domo Domini, et in atriis Dei floreas. Veni, coronaberis cum Martyribus, lætaberisque cum iis qui pro me tormenta passi sunt, veni in aulam nuptiarum mearum. Veni, gaudio, inter cœnobitarum choros, exultabis qui non modò dilexisti montes et deserta, sed cruci etiam jugiter confixus fuisti mecum ; idcircò Angelorum meorum ad te mittam agmina, teque ad me recipiam. Et quia portâsti jugiter crucem tuam et venisti post me, ego introducam te in paradisum, in quem Latro per crucem suam introivit.

» Beatus es tu, inter Ecclesiæ Patriarchas, Pater sancte. Olim angelus in corpore, nunc incorporeus inter incorporeos versaris. Beatus, optime Præsul, qui oves regis

tui perditas, et quæ sinè ovili erant, repetiisti, adduxisti, et in atria ejus collegisti.

» Beatus es tu, qui luporum destruxisti secessus, et belluas disperdidisti mactatrices, qui, illius ipsius virtute lapidis è monte præcisi sinè manibus, vallâsti muro gregis tui ovile, illudque divinorum sepe mandatorum cinxisti, quique effecisti ut regis tui oves multiplicarentur.

» Beatus es tu, qui apostoli nomine vocaris; Filii enim Dei Evangelium prædicâsti : Incarnationis mysterio gentem alienam (à Christo) erudiisti, quæ, te docente, Patris, Filii et Spiritûs sancti Trinitatem individuam et unam divinitatem adoravit.

» Beatus es tu, fidelis Christi Martyr, qui de eo testimonium velut Petrus reddidisti, affirmans eum Filium esse Dei vivi, individuum à sinu Patris. Beatus es tu, qui in te tormenta suscepisti pro eo qui pro te supplicia perpessus est. Beatus tu deniquè, qui per annos quinque et decem in puteo patienter degisti. Spiritum sanctum laudibus etiam extollo quem cum Patre et Filio ejusdem essentiæ esse prædicabas, cui honor et fortitudo in sæcula sæculorum. Amen[1]. »

V. Non autem sacra, ut ait, capita solummodò alloquitur, sed laïcos etiam temporalesque præsides, ut patet ex hâc Oratione, quâ sermocinans coràm præfecto irato, populoque metu perculso, sic offensi magistratûs furorem lenire attentabat :

« Adhùc paululùm, et mundus transibit, et hoc tabernaculum dissolvetur. Temporis commoditate ad quæstum utamur : fluxis et fragilibus æterna coëamus. Unusquisque nostrûm in corruptione est; ac lutea hæc massa plurimùm æris alieni secum circumfert. Alienis ergò peccatis veniam demus, ut nostris impetremus : remittamus, ut

[1] Encomium S. Gregor. Illuminat. apud S. Chrysost.

vicissim nobis remitti postulemus. Vides in Evangelio quemadmodùm *quidam multorum talentorum debitor* [1] adducatur, ac debito liberetur; ad bonum enim et facilem dominum accesserat. At non, ut ei debitum remissum fuerat, ità ipse quoquè remittit; nàm animi etiam proposito servus erat; nec misericordiam, quam in majori pecuniæ summâ consecutus fuerat, in minori pecuniâ conservo suo impertitur, nec, si nihil aliud, propositum sibi certè liberalis ergà alios animi exemplum sequitur. Quam ob causam dominus irâ commovetur. Nàm quæ posteà sequuntur, silentio præteribo. Tantùm hoc dicam conducibilius omninò esse, ut priusquàm in altero sæculo vitæ rationes referamus, hujus vitæ benignitatem impendamus.

» Quid ais? Nùm te his sermonibus captum tenemus, quorum te amore inflammari sæpè confessus es, præfectorum optime, atque, utinàm addere liceat, clementissime? nùm tibi prætereà supplicis cujusdam libelli loco canities hæc offerenda erit, atque annorum numerus, diuturnumque et labis expers hoc sacerdotium, quod ipsi quoquè angeli, puri purissimi Dei cultores, tanquàm ipsorum cultui minimè impar, fortassè veneratione prosequuntur. Nùm hæc te permovent? an majus aliquid audendum erit? audacem autem me dolor efficit. Christum tibi offero, Christi pro nobis inanitionem, et impatibilis passiones, et crucem, et clavos, quibus peccato solutus sum, et sanguinem, et sepulturam, et resurrectionem, et ascensionem, atque adeò mensam hanc, ad quam communiter accedimus, salutisque meæ typos, quos eodem ore perago, quo hanc ad te deprecationem obeo, hoc, inquam, sacrosanctum atque in cœlum nos evehens mysterium.

» Quòd si non propter unum ex his, saltem propter

[1] Matth. xviii, 23.

omnia, da hanc gratiam, et nobis, et tibi ipsi, et domesticæ ecclesiæ tuæ, atque huic pulchro Christi cœtui; de quo ità velim existimes, eum tibi nobiscum supplicem esse, tametsi obeundæ legationis munere nobis cedat, ut majorem apud te, ob sacerdotii dignitatem, quâ à Deo ornati sumus, auctoritatem habituris; ne illud etiam dicam, quòd imperii lege prohibetur. Hâc unâ re pulchrè vincaris; benignitate nos supera. En tibi, coràm Deo et angelis, et regno cœlorum, illiusque vitæ præmiis, supplices meos offero. Fidem meam honora, quam mihi commissam aliis commisi : ità fiet, ut et tua quoquè in majoribus et perfectioribus honorètur. Atque, ut uno verbo rem complectar, dominum ipse quoquè in cœlo habes. Hunc tibi talem ergà te judicem experiri contingat, qualem te his qui imperio tuo subsunt, præstiteris. Utinàm autem nobis, et in hâc vitâ mitia et benigna cuncta contingant, et in altero sæculo leviora, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium, et honor, et regnum cum Patre et sancto Spiritu, sicut erat, et erit, et nunc est, in sæcula sæculorum. Amen [1]. »

Ad similem recurrit artem in alterâ oratione cùm præsente Juliano tributorum exactore verba faciens, illum flectere nititur, ut Monachis sacrisque Virginibus parcere velit :

« Quid ad hæc dicis? quid scribis, amicorum et æqualium optime, atque iisdem nobiscum use magistris et disciplinis? Tametsi nunc præstantiori gradu atque ordine, (vereor enim dicere graviori,) nos Deus collocavit, ut vos, qui magistratum geritis, ista doceamus. O tu, qui piâ patriâ et familiâ ortus es, ô sancta sanctorum parentum planta, ô sanctiorum liberorum radix! quo pacto nunc sermones meos excipis? numquid te flectunt? an

[1] S. Gregor. Theol. Orat. XVII, n. 12.

longiori oratioue mihi deliniendus ac velut incantandus eris? Equidem te jamdiù sermonibus meis correptum teneri, non conjecturâ quâdam assequor, sed certum et exploratum habeo; fretus quidem, si nullâ aliâ re, litteris certè ipsis et doctrinâ, quæ te facilè semper ad optima quæque ducit, vel tuâ ipsius sponte incedentem, vel alios sequentem, hoc enim est, quo sapientes vulgus superant. Ego verò nonnihil etiam ad ea quæ jàm dixi, adjiciam. Tu quidem orationi meæ mercedem persolvisti, quamcumque tandem persolvisti : at illa tibi dono pauperes offert, totum sacerdotum chorum ac philosophorum cœtum, qui nullo vinculo humi tenentur, qui sola corpora, ac ne ea quidem tota, possident : qui Cæsari nihil habent, Deo omnia tribuunt, hymnos, preces, vigilias, lacrymas, opes, quæ manibus arripi nequeunt, mundo emori, Christo vivere, carnem macerare, animam à corpore abstrahere. His parcens, aut etiam omninò Deo reddens divini numinis famulos et mysteriorum conscios, cœlestiumque rerum inspectores, has, inquam, generis nostri primitias, hæc columîna, has fidei coronas, has pretiosas margaritas, hos templi illius, præclari, inquam, Ecclesiæ cœtûs lapides, cujus fundamentum et lapis angularis est Christus : pulcherrimè utiquè, et ipsis, et tibi, et nobis omnibus consulueris. Ac tibi has potiùs à nōbis divitias optârim, quàm magnos auri atque argenti thesauros, qui nunc existunt, ac paulò post non erunt.

» Habetis orationis meæ munus, si spe vestrâ inferius, at certè quale offerre potuimus. Vos verò mihi pro hâc meâ erogatione, quod majus est, rependite, nempè tractabiles et obsequentes animos. Sic ad alia commoda hoc quoquè accedat, ut sermonibus meis minus opus habeatis, nimirùm mutuò vos ipsos considerantes *ad provocatio-*

nem charitatis, et bonorum operum [1]; atque ità tandem in cœlis facilem et benignam in illo ævo descriptionem consecuti, et circùm omnium regem tripudiantes, (quod unum agunt qui illìc descripti sunt,) laudem Deo ministremus, unam et eamdem Patris, et Filii, et Spiritûs sancti divinitatis gloriam et splendorem intuentes, laudibusque exaltantes, cui gloria, et honor, et adoratio in sæcula sæculorum. Amen [2]. »

VI. Nonnullæ insuper orationes occurrunt, ubi non uni personæ viventi aut defunctæ, sed defunctis simul et vivis exoptationes, vel vota, vel allocutiones offeruntur. Hanc præsertim congeriem miraberis in oratione funebri, quâ S. Gregorius Nazianzenus Patrem mortuum prosecutus est. Incipit à loci descriptione, nempè splendidi illius templi, à venerabili hoc episcopo ædificati, transit deindè ad ejusdem invocationem, et desinit alloquendo simul et magnum Basilium, sermonis sui judicem, et Matrem charissimam, cujus viduitatem consolari nititur. Sic autem se habet insignis illa Peroratio :

« Quoniam autem magnanimitatis ipsius monimentum quoquè posteris relinqui oportebat, quidnam aliud potiùs conveniebat, quàm hoc templum, quod Deo et nobis extruxit, populi sanè largitione nonnihil adjutus, majorem autem partem è suo impendens? Opus profectò haud silentio dignum, cùm magnitudine quidem plurima, pulchritudine verò cætera omnia penè superet. Nàm et octo æquilateris rectis in se occurrit, et columnarum ac porticuum duplex tabulatum habentium elegantiâ, sublimi culmine assurgens, et quidem impositis statuis, quæ nec naturæ cedant; cœlo autem desuper collùstratur, uberrimisque lucis fontibus spectantium oculis irradiat, ut verè lucis domicilium. Adhùc etiam circumjectis æquian-

[1] Hebr. x, 24. — [2] S. Gregor. Theolog. Orat. XIX, n. 16, 17.

gulis splendidissimæ materiæ ambulacris, atque ingentem in medio locum ambientibus cingitur, ac portarum et vestibulorum venustate prælucet, atque accedentes eminùs excipit. Nondùm de externo ornatu loquor, de quadrati lapidis, atque trifariam concinnati pulchritudine et magnitudine, tàm qui marmoreus est, nempè in basibus et capitellis, quibus anguli intercipiuntur, quàm qui patrius, nullâ in re extero cedens. Nondùm de variis et multiplicibus zonis, à fundamentis ad cacumen usquè protensis et intextis, quod spectatorem damno afficit, visum circumscribens. Quonam modo sermo, paucis quidem, tanti temporis et laboris, tantæque manûs opificium exornare poterit? An hoc dixisse satis fuerit, quod cùm multa opera, tùm privata, tùm publica, urbibus aliis ornamento sint, hoc, vel solum, eam vim habuit, ut nos apud complures claros et celebres redderet? Ac templum quidem ad hunc modum se habet. Quoniam autem sacerdote etiam opus erat, hunc quoquè ex suo largitur; templo-ne dignum, dicere haud queo, sed tamen largitur. Quandoquidem autem victimæ quoquè requirebantur, has etiam adjungit, nempè filii calamitates, atque in rebus acerbis patientiam, ut Deus ab eo rationale holocaustum habeat, victimam spiritualem, quæ legalis victimæ loco pulchrè consumatur.

» Quid ais, ô Pater? hæc-ne sufficiunt, atque hanc laudationem, quæ vel te prosequatur, vel funus tuum ornet, ità accipis, quasi laborum eorum, quos ob mea doctrinæ studia suscepisti, fructum tuleris? Nùm, pro veteri more, pacem orationi tribuis, eique, ne modum excedat, finem præscribis? an potiùs aliquid uberius desideras? Sed haud dubiè præscribis; satis enim longam orationem habuimus. Hoc verò mihi, pace tuâ, adjicere liceat. Fac sciamus, quânam in gloriâ sis, quod lumen te circumstet; atque uxorem tuam aliquantò post, et liberos, quorum

funus deduxisti, ac me quoquè, aut nihil adhùc, aut certè parùm hujus vitæ malis afflictum, iisdem tabernaculis excipe : atque antè tabernacula, hoc dulci lapide, quem ambobus nobis statuisti, videlicèt hìc quoquè sacerdotem tuum et cognominem honore afficiens, et sermoni prætermisso, et in tuî gratiam assumpto, ignosce : ac deniquè, cùm gregem universum, et pontifices omnes, quorum pater vocatus es, tùm me præsertim, paternè ac spiritualiter coactum, periculi securos guberna, ne vim mihi abs te illatam usquequaquè accusem.

» At tu, quid censes, ô sermonum meorum et agitationum judex? si hæc sat commodè et copiosè, atque ut cupiditate tuâ dignum erat, dicta sunt, hoc calculo tuo confirma, et accipiemus. Nàm profectò Dei calculus, tuus calculus est. Sin autem longè infrà ipsius gloriam et spem tuam substitimus, in promptu est qui suppetias ferat. Vocem tuam, opportunæ pluviæ instar expetìtam, illius laudibus immitte. Ac sanè ipse maximis te nominibus sibi obnoxium et obstrictum habet, nempè et ut pastor pastorem, et ut pater filium, quod quidem ad gratiam attinet. Quid verò mirandum, si, qui terrarum orbi per te intonuit, idem nunc fructum quoquè aliquem ex tuâ voce capiat? Restat jàm, ut cum spirituali Sarâ, magni nostri patris Abrahæ conjuge, atque ejusdem ætatis, de iis, quæ ad funus spectent, disseram.

» Non est, ô Mater, eadem Dei et hominum natura; aut, ut in genere loquar, superorum et terrestrium. Apud illos enim constans et immortale est, tùm ipsum esse, tùm quæcumque ad illud pertinent. Firmorum enim res firmæ sunt. Res autem nostræ quo pacto se habent? Fluunt et corrumpuntur, atque aliàs aliam mutationem capiunt. Vita quippè et mors, quod dicitur, tametsi plurimùm inter se dissidere videantur, inter se tamen quo-

dammodò immeant, atque altera in alterius locum subit. Illa enim à corruptione, matre nostrâ, incipiens, ac per corruptionem, hoc est, perpetuum ejus, quod præsens est, excessum gradiens, in corruptionem tandem, hoc est, in hujus vitæ finem desinit; hæc autem, quæ præsentibus malis liberat, atque etiam sæpè ad supernam vitam traducit, haud scio an propriè mors appellari queat, utpotè nomine magis quàm re formidabilis. Atque absurdè quodam modo, et præposterè affecti esse videmur, qui ea, quæ minimè horrenda sunt, extimemus, quæ autem metuenda sunt, ut optabiliora, complectimur. Una vita est, ad vitam respicere. Una mors, peccatum; est enim animæ interitus. Alia autem, ob quæ nonnulli animis efferuntur, insomniorum visio sunt, veris rebus illudens, et fallacia animæ spectra. Si hâc mente fuerimus, ô Mater, nec ob vitam animos attollemus, nec ob mortem nimiùm angemur. Quid igitur grave nobis accidit, si hinc ad veram vitam migravimus? si vicissitudinibus, fallaciis, fastidiis, ac turpi illâ tributi exactione liberati, cum stabilibus rebus, minimèque fluxis et caducis, parva lumina futuri sumus, circùm lumen illud magnum tripudiantes?

» At disjunctio te angit? spes te oblectet. At gravis res est viduitas? sed illi non gravis. Ubi porrò charitatis bonum erit, si faciliora quispiam sibi ipsi dans, asperiora proximo tribuat? imò quid est omninò, quod ei, quæ paulò post dissolvenda est, grave videri debeat? Instat præstitutus dies; diuturna molestia non erit. Ne committamus, ut ignavis cogitationibus res levissimas oneremus. Magnis rebus privati sumus; at etiam iis nobis frui contigit. Privari porrò omnium est; frui paucorum. Quarè ne mentem nostram illud dejiciat, verùm hoc potiùs consoletur. Æquius enim est, ut, quod melius est, vincat. Filiorum amissionem, qui florentes adhùc ætate, longiorem

vitam acturi videbantur, fortissimè ac sapientissimè tulisti; age, senilis etiam corporis, jàm vivendo defatigati, depositionem feras, etiamsi animi vigor integerrimos ipsi sensus conservârit. At deest, qui tuî curam gerat? Ubinàm ergò hic tuus Isaac, quem tibi ille, omnium instar, reliquit? Parva illa ab eo pete, nempè ut te manu ducat, tibique serviat : majora repende, hoc est, maternam benedictionem, orationes, atque illius ævi libertatem. Moneri te indignaris? Id verò laudo : nàm multos ipsa monuisti, nimirùm eos omnes, qui in tàm longo temporis spatio ad tuam prudentiam sese contulêrunt. Quare ad te fœminam inprimis sapientem, nihil hæc oratio pertinet : sit autem mœrentibus communis solatii medicina, ut sciant mortales, se mortalium funus deducere [1]. »

Cui eidem generi referenda non immeritò videtur præclara conclusio orationis illius, quâ coràm centum quinquaginta episcopis habitâ, Constantinopolitanæ ecclesiæ, quæ Anastasia vocabatur, omnibusque ut ità dicam, terrestribus et cœlestibus supremum dicit vale, his verbis :

« Vale, Anastasia, nomen à pietate habens. Tu enim nobis fidei doctrinam, quæ adhùc contemptui erat, excitâsti. Vale, inquam, communis victoriæ sedes, *nova Silo* [2], in quâ primùm arcam fiximus, quadraginta annis in deserto circumactam incertisque sedibus vagantem. Vale, tu quoquè, ô magnum hoc et nobile Templum, nova hæreditas, quod magnitudinem, quam nunc habes, à Verbo suscepisti, quodque nos, cùm priùs Jebus esses, Jerusalem effecimus. Valete, vos etiam aliæ sacræ Ædes, huic dignitate proximæ, aliæ aliam quamdam urbis partem complectentes, quasi vincula quædam et compages, propinqua etiam loca connectentes; quas cum hâc corporis

[1] S. Gregor. Theolog. Orat. XVIII, n. 39-43. — [2] Josuë. XVIII, 1.

imbecillitate, *Non nos, sed Dei gratia nobiscum*[1], qui pro perditis ac desperatis habebamur, implevit. Valete, Apostoli, præclara colonia, certaminis mei magistri, etsi minùs sæpè festa vestra celebravi, fortassè *Pauli vestri satanam*[2] ad utilitatem meam in corpore circumferens, ob quem nunc à vobis abscedo. Vale, Cathedra, invidiosum hoc et periculosum fastigium, pontificum concilium, sacerdotum non minùs majestate quàm ætate ornatum, et quicumque tandem alii circà sacrosanctam mensam Deo ministratis, atque ad appropinquantem Deum appropinquatis. Valete, Nazaræorum chori, psalmodiarum consentus, nocturnæ stationes, virginum sanctimonia, mulierum modestia, viduarum et orphanorum cœtus, pauperum oculi, in Deum et in nos intuentes. Valete, domus hospitales, et Christi amantes, infirmitatisque meæ adjutrices. Valete, sermonum meorum amatores, et cursus, et concursiones, et styli, tàm perspicui, quàm occulti, atque hujus suggesti cancelli, à multitudine compressi hominum audiendi studio sese mutuò protrudentium. Valete, imperatores, et palatia, omnesque imperatoris famuli et cubicularii : siquidem imperatori fideles, haudquaquàm certum habeo; Deo autem magnâ ex parte infidi. Manibus plaudite, acutè clamate, rhetorem vestrum in sublime tollite. Siluit vobis improba et loquax lingua; nec tamen omninò silebit. Pugnabit enim manu et atramento. Cæterùm in præsentia consiluimus.

» Vale, civitas magna, et Christi amore prædita; (vera enim testabor, etsi *Non secundùm scientiam hic zelus est*[3]; benigniores nos disjunctio reddidit.) Ad veritatem accedite; ad meliorem frugem tandem aliquandò vos convertite. Deum, ampliùs quàm consuevistis, colite. Non turpe est sententiam mutare; sed in malo perseve-

[1] 1 Cor. xv, 10. — [2] 2 Cor. xii, 7. — [3] Rom. x, 2.

rare, funestum et exitiosum. Vale, Oriens et Occidens, pro quibus et à quibus oppugnamur; testis ille est, qui pacatos vos reddet, si nonnulli secessionem meam imitentur. Non enim Dei quoquè jacturam facient, qui thronis cesserint; sed supernam cathedram habebunt, his multò sublimiorem et tutiorem. Præter omnia, et antè omnia, clamabo : Valete, Angeli, hujus ecclesiæ præsides, meæque præsentiæ ac peregrinationis, si modò in manu Dei res nostræ sunt. Vale, Trinitas, meditatio mea, et decus meum. His velim serveris, et hos serves, meum hunc populum; (meus enim est, etiamsi aliter gubernemur;) atque audiam te quotidiè, tùm sermone, tùm vitâ et moribus augeri, et in sublime attolli. Filioli, *Depositum, quæso, custodite* [1] : *memores estote lapidationum mearum* [2]. Gratia Domini nostri Jesu-Christi sit cum omnibus vobis. Amen [3]. »

VII. Illæ autem sæpiùs usurpatæ sunt à sanctis Patribus Perorationes, quæ circà ipsum argumentum, id est circà morum regulas versantur. Totus est ferè semper magnus Ecclesiæ orator Chrysostomus in destruendis vitiis, excitandisque virtutibus. Non injucundum erit sanè legentibus hìc uno intuitu collectas cernere insigniores tantorum magistrorum circà vitia virtutesque Perorationes.

1° Sic divus Chrysostomus auditores exhortatur ad peccatorum veniam Pœnitentiâ promerendam :

« Vis discere quàm bonus sit Dominus noster? Ascendit Publicanus, mille malis onustus, et cùm dixisset tantùm : *Propitius esto mihi, descendit justificatus* [4]. Per Prophetam quoquè dicit Deus : *Propter peccatum parùm illum constristavi, et vidi quòd dolore esset affectus, et iret tristis, et sanavi vias ejus* [5]. Quid huic humani-

[1] 2 Tim. VI, 20. — [2] Coloss. IV, 18. — [3] S. Gregor. Theolog. Orat. XLII, n. 26, 27. — [4] Luc. XVIII, 13. — [5] Isaï. LVII, 17.

tati par est? Ut solùm esset tristis, inquit, remisi peccata. Nos autem ne hoc quidem facimus : ideò maximè Deum ad iram provocamus. Qui enim per parva gesta propitius factus est, quandò ea non fuerit assecutus, jure indignatur, et extremum de nobis sumit supplicium : est enim hoc summi contemptûs. Quis enim unquàm mœrore affectus fuit propter peccatum? quis ingemuit? quis pectus percussit? quis sollicitus fuit? ego puto neminem. Sed innumeris diebus lugent homines pro famulis mortuis, pro pecuniæ jacturâ. Cùm autem animam quotidiè perdamus, id ne cogitamus quidem. Quomodò ergò poteris Deum tibi propitium reddere, cùm ne quidem scias te peccavisse? Etiam, inquies, peccavi. Etiam linguâ quidem profers; dic mihi et mente, et cùm dixeris, ingemisce; ut sis semper bono animo. Etenim si doleremus propter peccata, si pro delictis ingemisceremus, nihil aliud nos dolore afficeret, hoc dolore omnem animi ægritudinem expellente. Quamobrem aliud quoquè lucraremur cum confessione, nempè quòd non immergeremur in hujus vitæ calamitates, neque in rebus prosperis ac præclaris inflaremur. Et hâc ratione rursùm magis Deum placaremus, ut jàm per gesta nostra ad iram provocamus. Dic enim mihi; si quem habeas famulum, qui multa passus à conservis, de aliis quidem nullam habeat rationem : sed unam rem curet ut ne herum suum ad iram concitet; annon hinc solùm poterit iram tuam sedare? Quid autem si eorum quæ in te deliquit, nullam curam habeat, curet autem ea quæ in conservos deliquit, nonne majus inferes supplicium? Ità etiam facit Deus. Cùm ejus iram non curamus, illam infert vehementiorem; cùm autem eam curamus, mitiorem. Imò ne deinceps quidem illam infert. Vult enim ut nos ipsi peccatorum pœnas à nobis exigamus; ille verò non ultrà à nobis exigit. Ideò namquè

comminatur supplicium, ut metu contemptum auferat. Cùm autem ex solâ comminatione deterremur, non sinit ut ejus periculum faciamus. Vide namquè quid Jeremiæ dicat : *Non vides quid illi faciunt? Patres eorum ignem accendunt; filii eorum colligunt ligna : mulieres eorum ferunt adipem* [1].

» Timendum est ne de nobis quidpiam simile dicatur : Non vides quid illi faciunt? Nemo quæ Christi sunt quærit; sed omnes quæ sua sunt. Filii eorum ad libidinem currunt : patres eorum ad avaritiam et rapinam : uxores eorum ad sæcularem fastum; quæ viros suos non modò non sedant, sed etiam provocant. Sta igitur in foro : interroga euntes et redeuntes, et neminem videbis pro re spirituali festinantem, sed omnes pro carnalibus currentes. Quousquè non resipiscimus? quousquè in profundum somnum dejicimur? annon malorum nos cepit satietas? Atqui etiam absque verbis ipsa rerum experientia satis est ad docendos nos, nihil esse res præsentes et prava esse omnia. Homines certè qui externam sapientiam exercebant, et nihil futurorum noverant, cùm deprehendissent magnam præsentium rerum vilitatem, ideò tantùm abscesserunt. Quam ergò tu consequeris veniam, qui humi repis nec despicis parva hæc quæ transeunt, nec deseris, pro iis quæ magna sunt atque æterna, qui ipsum Deum audis hoc tibi monstrantem, et ab ipso tales habes promissiones? Quòd enim hæc non satis sint ad detinendum hominem, ostendêrunt ii qui absque majorum rerum promissione ab eis abstinuêrunt. Quas enim divitias expectantes, ad paupertatem venêrunt? nullas : sed quod benè scirent talem paupertatem esse divitiis meliorem. Quam sperantes vitam delicias reliquêrunt, et asperæ vitæ se dedidêrunt? nullas; sed ipsam rerum naturam edocti, et

[1] Jerem. VII, 17.

scientes hoc aptius esse et ad animæ philosophiam, et ad corporis valetudinem. Hæc igitur nos animo reputantes, et futura bona assiduè in nobis versantes, à rebus præsentibus abscedamus, ut illa futura consequamur, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, unàque Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen [1]. »

2° Sic alibi Avaros insectatur :

« Nihil enim ità inconsideratum est ut peccatum, nihil ità insipiens, stultum et violentum. Omnia evertit, et confundit, et perdit, quocumquè insilierit, visu deforme, grave et molestum. Et si quis ipsum pictor effingeret, non aberrare mihi videretur, si sic ipsum efformaret : mulierem nempè quamdam formâ belluinâ, barbaram, ignem spirantem, injucundam, nigram, quales externi poëtæ Scyllas depingunt. Innumeris enim manibus cogitationes nostras apprehendit, atque ex improviso ingreditur, omniaque discerpit et dilacerat, sicut canes clanculùm mordentes. Imò quid opus nobis est picturâ, cùm liceat eos qui illud perpetrant in medium adducere? Quem itaquè vultis primum describamus? Avarum et raptorem? Ecquid est oculis illis impudentius? quid magis inverecundum? quid magis caninum? non enim canis ità impudens stat ut hic, quandò omnium bona rapit. Quid manibus illius detestabilius? quid ore petulantius ejus qui omnia devorat, et nunquàm satiatur? Ne ejus vultum et oculos intuearis, quòd sint hominis. Non enim sic aspiciunt humani oculi. Non aspicit ille homines tanquàm homines. Non aspicit cœlum tanquàm cœlum : ad Dominum non nutu suo tendit; sed omnia pecunias esse existimat. Humani oculi solent afflictos homines intueri et frangi. Rapacium oculi pauperes vident, et efferantur.

[1] S. Chrysost. in Epist. 1, ad Cor. Homil. VIII, n. 5.

« Sit quispiam qui multas cupiat divitias, alius qui nullas. Quid melius, dic mihi, quid honestius? sed hoc quidem mittatur : in confesso enim est, quòd hic postremus sit illo honestior : neque de hâc re quæstio jàm est; sed uter faciliorem et suaviorem ducat vitam. Avarus certè ne iis quidem quæ habet fruitur; nàm quod amat non impendere voluerit; sed libentiùs se ipsum consciderit, et carnes projecerit, quàm aurum; qui autem pecunias despicit, hoc interim lucratur, quòd iis quæ habet liberè ac securè fruatur, seque illis præferat. Quid ergò suavius est liberè frui bonis, aut sub dominis divitiis viventem, nihil suorum contingere audere? Perindè enim mihi videtur esse ac si viri quidam duas habentes uxores, et admodùm ipsas amantes, non eodem modo ipsis utantur; sed alteri quidem uxorem contingere et cum illâ versari, alteri verò ne propè quidem liceat accedere. Dicam et aliud, quo alterius voluptatem, alterius mœrorem commonstrem. Avarus nunquàm sistet hanc cupiditatem, non modò quòd nequeat omnium bona invadere, sed etiam quòd quantacumque possederit, se nihil habere putet. Qui verò pecunias despicit, superflua omnia existimabit, neque infinitis cupiditatibus animam cruciabit. Nihil enim est quod supplicii rationem ità habeat, ut concupiscentia usu et fructu privata, id quod maximè perversam exhibet mentem. Considera autem : qui pecunias cupit et multas possidet, ità affectus est, ac si nihil haberet. Hoccine morbo perplexius quid esse potest? Neque hoc solùm grave est; sed etiam quòd qui habet, ea ipsa quæ tenet non habere videatur; etiamsi omnium bona acceperit, magis cruciatur : etiamsi centum talenta possideat, quòd mille non habeat dolet; si mille habeat, quòd decies mille non habeat mordetur; si decies mille acceperit, quòd non decies plura obtinuerit angitur : majorque acquisitio fit

illi paupertatis accessio : nàm quantò plura acceperit, tantò plura desiderat : ergò quantò plura acceperit, tantò magis pauper evadit : qui enim plura desiderat, magis pauper est. Cùm igitur centum talenta habuerit, nondùm tàm mendicus est, nàm mille desiderat ; cùm mille acceperit, tunc magis pauper evadit, non jàm enim mille ut priùs quærit, sed decies millium sibi opus esse dicit. Quòd si concupiscere et non consequi, voluptatem esse dicas, voluptatis naturam mihi admodùm ignorare videris. Quod enim hoc non voluptas, sed supplicium sit, ad aliud rursùs adducentes examinemms. Quandò sitimus, non ideò delectamur bibentes quòd sitim sedemus, et ideò voluptas est potus, quòd à magno nos liberet cruciatu, à cupiditate bibendi nempè ; hoc cuivis perspicuum est. Quòd si in tali appetitu semper mansuri essemus, non meliori conditione essemus quàm dives ille, qui Lazari non misertus est, quantùm scilicèt ad supplicii rationem : nàm et illi hoc supplicium et punitio erat, quòd cùm stillam parvam cuperet, non assecutus sit. Id quod mihi Avari perpetuò pati videntur, et illi similes esse qui rogabat ut stillâ frueretur, neque assecutus est. Imò magis Avarorum, quàm divitis illius, anima comburitur ; et pulchrè dixit quispiam Avaros esse hydropicos : quemadmodùm enim illi multam in corpore gestantes aquam, magis exuruntur ; sic et Avari multas circumferentes pecunias, plures concupiscunt. Causa autem hæc est : neque illi in congruentibus locis aquas habent, neque isti in congruentibus cogitationibus concupiscentiam. Fugiamus ergò nunc alienum et inanem morbum : fugiamus radicem malorum ; fugiamus præsentem gehennam ; gehenna enim est eorum cupiditas. Explica ergò cujusque animam, et ejus qui pecunias despicit, et ejus qui non despicit ; et videbis hunc quidem furentibus esse similem, qui nihil vel videre vel audire velit ;

hunc verò portui à fluctibus libero : hic omnium est amicus, ut ille hostis. Nàm etsi quis accepit, non illum afficit molestiâ ; si quis rursùm ipsi dederit, non inflavit ; sed est quædam apud illum libertas omnem habens securitatem. Et hic quidem omnibus adulari cum dissimulatione cogitur ; ille autem nemini. Si ergò et pauper est Avarus, et timidus, simulator et hypocrita, ac terroribus plenus, cruciatu atque supplicio : qui verò pecunias despicit, contrariis fruitur omnibus, annon palàm est virtutem esse suaviorem ? Ac reliqua etiam insectaremur mala, per ea, queis ostenditur, nihil quòd malum sit habere voluptatem, nisi jàm multa à nobis superiùs dicta fuissent. Hæc ergò cùm sciamus, eligamus virtutem, ut et hìc voluptate fruamur, et futura consequamur bona, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto imperium, honor et gloria, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen [1]. »

3° Quòd si Avaritiæ bella movet, non molliùs agit cum his qui sacrilegâ Jurandi consuetudine tenebantur, quosque ità exagitat :

« Primùm igitur ei persuadeamus, ut à Juramentorum fugâ mutationem incìpiat : etsi enim heri et nudius tertius de hâc vobis locutus sum materiâ, neque tamen hodiè desistam, neque cras, neque perendiè eadem monere. Et quid dico crastinam aut tertiam diem ? donec vos correctos videam, non absistam : si enim legem prævaricantes non erubescunt, multò magis nos jubentes, ne prævaricemini, de frequenti admonitione non erubescere par est. De iisdem enim continuè commonefacere, non dicentis, sed audientium est crìmen, diuturnâ super simplicibus et facilibus præceptis indigentium disciplinâ. Quid enim facilius quàm non jurare ? consuetudinis tan-

[1] S. Chrysost. in Epist. I ad Cor. Homil. XIV, n. 5.

tùm opus est : non est corporis labor, non est pecuniarum impendium. Vis discere quomodò vitium superari possit? quomodò ab improbâ consuetudine liberari liceat? ego te quemdam docebo modum : quem si tenueris, superabis omninò. Cùm videris te ipsum, vel alium quemque, vel servum, vel filium, vel uxorem hoc malo captos, et continuè commonefactos, neque correctos, jube non cœnatos cubare, et hanc tibique et illis damnationem impone, damnationem non damnum, sed lucrum ferentem. Talia enim sunt spiritualia : et lucrum ferunt, et celerrimam correctionem : lingua enim assiduè cruciata, vel nemine commonente, sufficientem capit admonitionem, à siti compressa, à fame angustiata, et licèt omnium simus stolidissimi, totâ die hujus tormenti magnitudine commoniti, alio consilio et admonitione non indigebimus. Laudâstis dicta, verùm et factis laudem demonstrate. Quod enim alioqui hujus concionis emolumentum? si quotidiè puerulus ad scholam pergat, posteà nil discat : nùm ad excusationem sufficiat nobis, ipsum illùc quotidiè pergere? non hoc ipsum maximum ducemus crimen, quòd per singulos dies illùc pergens, hoc frustrà faciat? Hoc et in nobis ipsis cogitemus, et intrà nos ipsos dicamus : Tantùm temporis ad ecclesiam occurrentes, terribilissimâ fruentes synaxi, ipsâque multum lucrum habente, si tales rursùm discedamus, quales advenimus, nullum defectuum nostrorum corrigentes, quæ nobis erit hujus profectionis utilitas? etenim multa non propter se fiunt, sed propter ea quæ ex ipsis eveniunt. Quale illud est : Seminans non ideò seminat, ut tantùm seminet, sed ut et metat : quòd nisi hoc fieret, et damnum sementis pateretur, seminibus incassùm putrefactis. Mercator non propter hoc navigat, ut tantùm naviget, sed ut peregrinando auctiorem faciat rem : quòd nisi hoc adsit, et damnum

accidet extremum, et damnosa mercatorum peregrinatio. Hoc idem et in nobis ipsis ratiocinemur : etenim et nos in ecclesiam convenimus, non propter hoc ipsum solum, ut hìc immoremur, sed ut aliquid magnum et spirituale lucrati discedamus. Si igitur inanes et nihil adepti abeamus, condemnationem nobis hoc studium accerset. Quod ne fiat, utque tantum damnum evitemus, abeuntes hinc inter seşe amici, cum filiis patres, cum servis domini meditamini, et laborate quo modo imperatum expediatis : ut postquàm iterùm reversi fueritis, et de eisdem nos suadentes audieritis, non pudore afficiamini, mordente vos conscientiâ : sed gaudeatis, et lætemini admonitionis majorem vobis partem expletam conspicientes. Hæc non tantùm hìc philosophemur : non enim hæc momentanea admonitio totum eradicare potest, verùm et domi vir ab uxore hæc audiat, et uxor à conjuge : et æmulatio quædam fiat omnibus ad hujus legis impletionem pervenire studentibus, et qui priùs impleverit deficienti exprobret ut ipsum magis excitet : qui deficit, et nondùm implevit, prævenientem spectet, et ad ipsum celeriter pervenire contendat. Si hæc meditemur, si hæc curemus, brevi nobis et alia prosperè negotia dirigentur. Tu quæ Dei sunt meditare, et ipse tuis providebit. Nec mihi dicas : Quid verò, si quis jurandi necessitatem nobis imponat? quid si non credat? Sanè verò, ubi lex violanda, necessitatis meminisse non oportet. Una est enim inevitabilis necessitas, Deum non offendere. Verumtamen interim illud præsta, superflua reeide Juramenta, temerè et sinè necessitate domi, cum amicis, cum servis prolata : si hæc sustuleris, in illis meî nihil ampliùs indigebis : ipsum enim os in hoc exercitatum, ut jurandi frequentiam timeat et fugiat, neque si quis millies coëgerit, in illam ampliùs cadere consuedinem admittet : sed ut nunc multo

labore et infinitâ interturbatione, terrentes, minantes, admonentes, consulentes, vix potuimus in aliam ipsum consuetudinem transmutare : sic et tunc quidem, licèt infinitam quis inferat necessitatem, hanc transgredi legem non poterit persuadere. Sed sicut venenum quodpiam nunquàm gustare quis vellet, etiam instante necessitate : sic neque Juramenta admittere. Hoc autem si fiat, vobis solamen erit, et hortamentum ad reliquas virtutis partes attingendas. Qui enim nihil præstitit, torpescit, et citò concidit animo : qui verò sibi conscius est, quòd vel unum expleverit mandatum, ex hoc benè sperare doctus, majori cum studio ad reliqua procedet : posteà aliud capiens ad aliud celeriter veniet, nec priùs desistet, quàm ad ipsum culmen perveniat. Si enim in pecuniis quantò quis plures comparaverit, tantò plures cupit : multò magis in officiis spiritualibus hoc contingere videas. Propterea festino, et urgeo, ut res principium capiat, et in animis vestris virtutis fundamentum jaciatur; et precamur, et supplicamus, ut non tantùm horâ præsenti horum sitis verborum memores, verùm et domi, et in foro, et ubicumquè commoremini. Utinàm mihi dari posset, ut vobiscum conversarer, non hoc longo mihi sermone fuisset opus : nunc verò cùm hoc non liceat, vos me absente verborum memores estote meorum, et ad mensam sedentes ingredi me putate, et astare, et omnia quæ nunc vobis hìc dico, insonare : et ubicumquè vobis de me habebitur sermo, præ omnibus hujus mementote mandati, et hanc mihi amoris in vos mei retributionem reddite : si hoc vos implesse videro, totum recepi, dignam laborum cepi mercedem. Ut igitur et nos reddatis promptiores, et vos bonæ spei efficiamini, et majorem ad reliqua mandata facilitatem paretis, multo hanc legem studio in animis vestris reponite, et tunc admonitionis

utilitatem scietis. Quoniam et aureum vestimentum, etsi pulchrum videtur, multò pulchrius autem nobis videbitur nostro circumpositum corpori : sic et Dei mandata pulchra quidem sunt, etiam cùm laudantur, multò autem pulchriora, cùm et explentur, apparent. Etenim nunc brevi temporis momento dicta nostra laudatis : si verò res impleatis, per omnem diem et per omne tempus, et nos et vos ipsos laudabitis. Nec hoc est magnum, quòd invicem nos laudabimus, sed quòd et Deus nos suscipiet : nec tantùm suscipiet, sed et magnis illis remunerabitur et ineffabilibus donis, quæ nos omnes assequi contingat gratiâ Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unà cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen[1]. »

Cùm autem fœcundus ille Orator animadvertisset sua monita non satis auditores commovisse, idem argumentum in sequenti oratione adorsus est, sicque contrà Jurantes peroravit :

« Sed consolationis satis : jàm nobis deinceps tempus est ad fugiendorum monitionem Juramentorum transeundi, et tollendi excusationem, quæ jurantibus esse videtur, frigidam et inutilem. Etenim cùm ipsos accusamus, alios nobis idem facientes objiciunt, et dicunt : Ille et ille jurant. Dicamus igitur ipsis : Sed ille non jurat. Deus autem eorum qui rectè egêrunt, comparationem inter judicandum profert : nàm peccatores, eos qui peccant, delictorum communicatione non juvant : qui verò rectè vivunt, peccatores condemnant. Etenim qui Christum non cibaverant, neque potaverant, multi erant ; sed nihil sibi invicem profuêrunt : sicut neque Virgines quinque altera ab alterâ ullam invenêrunt veniam, sed præ iis, qui rectè se gessêrunt, et eæ et illi condemnati et puniti sunt. Ab

[1] S. Chrysost. ad Antioch. Homil. v, n. 7.

hâc igitur frigidâ excusatione liberati, ne lapsos respiciamus, sed rectè se gerentes, et studeamus præsentis jejunii monumentum referre. Et sicut sæpenumerò vestimentum adepti, vel servum, vel vas pretiosum, temporis reminiscimur, et mutuò dicimus: Servum illum tali solemnitate emi, vestimentum hoc tali comparavi tempore: ità quoquè si legem hanc impleverimus, dicemus: Juramentum hâc correxi quadragesimâ; hactenùs enim jurabam, et solâ admonitione auditâ, peccato abstinui. Sed res est correctu difficilis consuetudo. Novi et ego, et propterea festino vos in aliam consuetudinem bonam et lucrum habentem inducere. Cùm enim dixeris: Difficilè à consuetudine desisto: propterea desistere labora, certò sciens, quòd si tibi aliam non jurandi consuetudinem indixeris, nullius laboris ampliùs indigebis. Quid difficilius non jurare, an per totum diem inediam pati, et aquæ potu et tenui victu siccari? Certum est hoc illo gravius esse: sed tamen consuetudo res est tàm facilis et expedita, ut adveniente jejunio, etsi millies quis exhortetur et cogat vinum delibare, vel aliud quid jejunii lege non concessum gustare, omnia quis mallet pati, quàm prohibitum sumere nutrimentum: et hoc cùm non illibenter ergà mensam affecti simus, tamen propter consuetudinem, ex conscientiâ, omnia generosè ferimus laborando. Hoc nimirùm et in Juramentis erit: et sicut nunc, si quis etiam maximam necessitatem imponat, permanes consuetudinem servans: sic et tunc, si quis etiam millies exhortetur, à consuetudine non absistes.

» Domum igitur profectus, omnibus hæc domesticis loquere: et sicut sæpè multi ex prato recedentes, rosam, vel violam, vel quempiam talium florum capiunt, et digitis circumferentes recedunt: alii verò ex viridario domum abeuntes, arborum ramos fructus habentes repor-

tant : alii rursùm à lautis cœnis, mensæ reliquias necessariis suis referunt : sic utiquè et tu hìnc recedens, admonitionem reporta filiis, uxori, necessariis omnibus. Hæc enim admonitio, et prato, et viridario, et mensâ utilior est : hæ nunquàm rosæ marcescunt, hi nunquàm defluunt fructus, hæc nunquàm fercula corrumpuntur : et ex illis quidem temporalis delectatio, ex his verò continua utilitas, non tantùm postquàm adimpleta fuerint, sed etiam dùm adimplentur. Cogita enim quale est reliquis omnibus omissis publicis et privatis, de divinis semper legibus disserere, et ad mensam, et in foro, et in aliis conventiculis. Si his vacemus, nihil dicemus periculosum, nihil noxium, nec inviti peccabimus : sed et imminente tristitiâ sermocinationi, de his vacantes, animam liberare poterimus : missâ curâ illâ, quâ solliciti mutuò sciscitabamur : Numquid gesta Imperator audivit? an irritatus est? quid verò sententiæ pronuntiavit? numquid ipsum quispiam exoravit? numquid verò feret ipse tàm magnam et populosam funditùs civitatem perdere? Hæc quidem, et omnia talia in Deum projicientes, ipsius tantùm mandata curemus : sic enim et illa omnia dissolvemus, et si vel decem tantùm in nobis rectè egerint, brevi illi decem viginti fient : viginti, quinquaginta : quinquaginta, centum : centum, mille : mille, tota civitas. Et sicut decem accensis lucernis, omnem domum lumine facilè quis implere poterit : sic et in officiis spiritualibus, si decem soli rectè egerint, pyram per totam civitatem incendemus habentem lumen, et securitatem nobis afferentem. Non enim sic flammæ natura, in materiam delapsa, vicina semper ligna incendit, sicut virtutis zelus in paucas lapsus animas, sensim procedendo omnem implere civitatem poterit. Date itaquè mihi ut de vobis gloriar, et in præsenti vitâ, et in futuro die, quo talenta habentes credita introducentur : sufficiens

mihi laborum merces, vestra claritas : et si vos cum pietate viventes videro, totum recepi. Facite igitur quod et heri admonui, et hodiè dicam, nec dicens quiescam : contrà jurantes mulctam definientes, mulctam lucrum, non damnum habentem : præparamini jàm tanquàm nobis profectûs probationem daturi. Conabor etenim apud quemque vestrûm longum protrahere sermonem dimissâ hâc concione, ut in verborum longitudine emendatos inveniam : et si quem jurantem videro, omnibus emendatis ipsum declarem, ut increpantes, arguentes, corrigentes, brevi ipsum malâ liberemus consuetudine. Melius est etenim hìc exprobratum corrigi, quàm die illâ palàm, præsente toto mundo, confundi atque puniri, peccatis nostris sub omnium aspectu revelatis. Sed absit, ut quisquam ex hâc honestâ concione talia patiens illìc appareat, verùm sanctorum Patrum precibus peccata corrigentes omnia, multumque virtutis fructum exhibentes, cum multâ hìnc fiduciâ migremus, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unà cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen [1]. »

4° Quem vidimus contrà Juramenta sermocinantem, audiamus jàm contrà falsam peccati Voluptatem acriùs adhùc omnes ingenii vires evolventem :

« Ambos (nempè Virtutis aut Libidinis amatores) interrogemus ; utrius vita dulcior ; et audies illum quidem gloriantem et exultantem de victoriâ quam contrà libidinem reportavit ; hunc verò... imò non expectandum est ut ab illo quid ediscamus : videbis enim illum, etiamsi id millies negaverit, miserabiliùs quàm ii qui sunt in vinculis affectum. Nàm omnes timet et suspectos habet, et uxorem suam et adulteræ virum, ipsamque adulteram, familiares, amicos, cognatos, parietes, umbras, se ipsum ; et quod est om-

[1] S. Chrysost. ad Antioch. Homil. VI, n. 6, 7.

nium gravissimum, conscientiam habet reclamantem, et quotidiè laborantem. Si verò Dei tribunal in mentem venerit, ne stare quidem poterit. Et Voluptas quidem brevis est; dolor autem hinc partus perpetuus. Nàm et vesperè et in nocte, in solitudine, in civitate et ubiquè accusator sequitur, gladium monstrans acutum et intolerabilia supplicia, metu consumens illum. Ille verò temperans, his omnibus vacuus, in libertate est, et securè uxorem suam videt, filios, amicos, et liberis oculis aspicit omnia. Si autem is qui amat, et tamen se continet, tantâ fruitur Voluptate: qui non amat, sed purè temperans est, quo portu, quâ tranquillitate, non dulciorem et placidiorem possidebit animam? Ideò certè adulteros videris paucos, temperantes autem plures. Quòd si hoc dulcius esset, hoc ipsum multi eligerent. Nec mihi dicas legum timorem, neque enim hic illos continet, sed absurditatis magnitudo, et quòd plura ibi sint tristia quàm suavia, et conscientiæ quoquè calculus. Et adulter quidem talis est. Si placet autem, avarum quoquè adducamus in medium, alium rursùs iniquum amorem detegentes. Etenim ipsum etiam videbimus eadem formidantem, nec valentem purâ frui Voluptate. Mente namquè versans eos qui injuriâ afficiuntur, et eos qui commiseratione ducuntur, et communem omnium de illo calculum, mille agitatur ipse fluctibus. Neque hoc solum molestum ipsi est; sed neque dilectâ suâ frui potest. Talis enim est avarorum mos. Habent, non ut fruantur, sed ut non fruantur. Quòd si hoc tibi ænigma esse videtur, quod adhùc pejus et magis perplexum est audi; ipsos nempè non ideò solùm Voluptate privari quòd non audeant bonis frui ut velint, sed etiam quòd nunquàm impleantur, ac semper in siti versentur, quo quid molestius et gravius fuerit? At justus non est talis, sed tremore, odio, metu et hâc incurabili siti liber

est. Ac quemadmodùm illum omnes execrantur, ità huic omnes benè precantur; ac sicut ille nullum habet amicum, sic iste nullum inimicum. Quid igitur, hæc in confesso cùm sint, aut nequitiâ injucundius, aut virtute suavius fuerit? Imò verò etiamsi innumera dixerimus, nemo vel vitii mœrorem, vel virtutis Voluptatem verbis exprimere possit, donec illâ fruamur. Tunc enim et felle amarius inveniemus vitium, cùm mel virtutis degustabimus. Est enim etiam nunc vitium, injucundum, onerosum et molestum; quod neque illi negant, qui ipsi famulantur. Cùm autem ab illo abscesserimus, tùm illius acerba jussa accuratiùs sentiemus. Quòd si multi ad illud accurrant, nihil mirum; quandoquidem et pueri sæpè, minùs dulcia eligentes, ea quæ magis delectant despiciunt, et ægroti pro fluxâ brevique gratiâ, perpetuam tutioremque lætitiam amisêrunt. Hoc autem ex amantium imbecillitate et stultitiâ provenit, non ex ipsâ rerum naturâ. Qui enim cum Voluptate vivit, is est qui virtutem sectatur; hic verè dives et verè liber est. Quòd si quis alia quidem virtuti concesserit, libertatem, securitatem, à curis vacuum esse, neminem timere, neminem suspectum habere; Voluptatem verò ipsi non concesserit, hic mihi in mentem veniet profusè ridere. Quid enim aliud est Voluptas, quàm à curis liberari, à timore, à mœrore, et à nullâ re posse vinciri? Uter enim, quæso, in Voluptate est, is-ne qui furit, agitatur, et à multis cupiditatibus confoditur, neque apud se consistit; an qui ab omnibus hisce fluctibus liber, in philosophiâ ceu in portu sedet? Annon palàm est hunc esse? Sed hoc cernitur virtuti proprium. Itaquè vitium, solum nomen habet Voluptatis, re autem ipsâ vacuum est. Et antequàm illâ fruaris, insania est, non Voluptas; postquàm illâ frui contigerit, ipsa statim extinguitur. Si ergò nequè initio, neque posteà licet

ejus videre Voluptatem, ubi cernetur et quandò? Ut autem id quòd dico clariùs ediscas, exemplo rem tractemus. Attende autem. Captus est quispiam amore mulieris pulchræ et formosæ. Hic donec assequatur optatum, furentibus et insanis similis est: postquàm autem assecutus est, concupiscentiam extinxit. Si ergò neque initio Voluptatem habet; furor enim tunc est; neque in fine; nàm concubitu œstrum extinxit: ubinàm illam inveniemus? Sed res nostræ non ità se habent; sed initio perturbatione vacuæ sunt, et usquè in finem Voluptas vigens perseverat; imò potiùs non finis est Voluptatis in nobis, neque bona nostra terminum habent, neque hæc Voluptas unquàm dissolvitur. Hæc itaquè omnia cogitantes, si Voluptatem amamus, virtutem suscipiamus, ut et præsentia et futura bona assequamur, quæ utinàm nos omnes adipisci contingat, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto sit gloria, imperium et honor, nunc et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen[1]. »

5° Familiarum dissidia, opposito religionis obice, distinctisque virorum ac mulierum officiis, temperare satagit, sicque hos et illas admonet et exhortatur :

« Cæterùm ne his solùm attendas, (nempè quòd Abraham ancillam ejecerit) sed examina, quòd contumeliam inferret dominæ, quòd se arroganter extolleret contrà eam, quo quid molestius esse possit liberæ mulieri et honestæ. Ne itaquè viri virtutem expectet uxor, ut tunc illa suam exhibeat; hoc enim nihil magnum esset, neque rursùs vir uxoris modestiam, ut tunc philosophetur; neque enim tunc rectè factum illud ipsius esset. Sed unusquisque, quæ sua sunt priùs præbeat. Si enim externis dexteram maxillam percutientibus, oportet præbere alteram; multò ma-

[1] S. Chrys. in Epist. 1 ad Cor. Homil. XXII, n. 5.

gis virum ferocem ferre oportet. Sed non hæc dico ut verberetur mulier, absit; nàm hæc extrema contumelia est, non verberatæ, sed verberanti. Sed si casu aliquo talem conjugem sortita fueris, ô mulier, ne indignè feras, cogitans repositam tibi mercedem, et in hâc vitâ laudem. Vobis quoquè viris hoc dico. Nihil tale sit peccatum, quo cogamini uxorem verberare. Et quid dico uxorem? neque ancillam verberare aut ei manus inferre viro ingenuo fuerit tolerandum. Quòd si ancillam verberare magnum infert viro probrum; multò magis contrà liberam manum intendere. Et hoc in externis etiam legislatoribus videre est, qui eam quæ ità percussa fuit non cogunt habitare cum percussore, utpotè qui illius consortio indignus sit. Etenim extremæ est iniquitatis, vitæ consortem, quæ tibi in rebus necessariis jamdiù operam præstabat, ut mancipium, ignominiâ afficere. Ideòque talem virum, si virum tamen licet appellare, non feram, patricidæ et matricidæ parem esse dixerim. Nàm si propter illam, et patrem, et matrem relinquere jussi sumus, non illis injuriam facientes, sed divinam legem implentes, ipsis parentibus adeò desiderabilem, ut et ipsi qui relinquuntur, gratiam habeant, et hoc cum studio magno efficiant; quomodò non extremæ dementiæ fuerit, eam contumeliâ afficere, propter quam parentes Deus jussit dimittere? Nùm hoc insaniæ solùm est? dedecus et ignominiam autem hujusmodi quis ferat? quis sermo possit eam explicare, quandò ululatus et gemitus per compita feruntur, et concursus est in domum ejus qui tàm indecorè se gerit et vicinorum et prætereuntium, ac si fera quæpiam, quæ intùs sunt, labefactet et perdat? Optabilius esset terram dehiscere ei qui tàm furiosè se gerat, quàm ut posteà in foro appareat. Sed mulier, inquit, audax et aspera est. Sed cogita illam esse mulierem, vas infirmum, te autem virum. Propterea enim

princeps constitutus es, et instar capitis datus es, ut feras ejus quæ tibi parere debet imbecillitatem. Fac itaquè ut imperium tuum sit splendidum : splendidum autem erit, cùm eam cui imperas non dedecore affeceris. Ac sicut is qui regnat tunc præclarior apparebit, cùm sibi inferiorem præfectum præclariorem reddiderit ; si autem illud tantum munus dedecore et ignominiâ affecerit, tunc à gloriâ suâ non parùm demitur : sic et tu si eam quæ post te imperat dedecore affeceris, non levi damno affeceris principatûs tui honorem. Hæc igitur omnia tecum reputans, temperanter ages, et cum his etiam vesperam illam cogita, quâ, te advocato, pater filiam suam quasi depositum quoddam tradidit, et illam ab omnibus separans, à matre, ab se, à domo, totam tibi illius curam dexterâ suâ tradidit. Cogita te ab illâ post Deum filios suscepisse, et patrem effectum esse, et indè ergà illum mitis esto.

» Non vides agricolas, quomodò terram quæ semel semina excepit, colant omni culturæ genere, etiamsi innumera habeat incommoda, etiamsi sit arida, si malas ferat herbas, si ex sitûs ratione imbribus inundetur ? Hoc et tu facito. Ità enim prior frueris et fructibus et tranquillitate. Nàm portus est uxor, et pharmacum lætitiæ maximum. Si ergò portum à ventis et fluctibus tutum reddas, multa frueris securitate, cùm à foro reverteris ; si autem tumultu et perturbatione repleas, tibi gravius paries naufragium. Ne hoc ergò eveniat, id quod dico fiat. Cùm quid molestum domi acciderit, illâ peccante, consolare illam et ne dolorem augeas. Etiamsi enim omnia amiseris, nihil tristius est quàm domi uxorem habere, quæ sinè benevolentiâ cùm viro degat. Quodcumque peccatum dixeris, nullum dicere possis quòd majorem inferat dolorem, quàm cum uxore litigare. Itaquè propter hæc omnia ejus dilectio omnium tibi pretiosissima sit. Nàm si oportet alterum al-

terius onera portare, multò magis uxoris; etiamsi pauper sit, ne id exprobes; etiamsi stulta, ne insultes, sed potiùs illam moderare. Nàm membrum tuum est, et caro una facti estis. Sed garrula est, ebriosa et iracunda. At magis ea propter dolere potiùs quàm irasci oportet: Deumque rogare, illamque monitis et consilio adjuvare, nihilque non agere ut vitium amputes. Si autem verberes et atteras, morbus non curatur; feritas enim mansuetudine solvitur, non aliâ feritate. Cum his et mercedem à Deo expectatam cogita. Etsi enim eam tibi licet excindere, non hoc facias propter Dei timorem, sed tot ejus vitia feras, metuens legem hâc de re positam, quæ uxorem ejicere prohibet, quocumque tandem morbo laboret, ineffabilem mercedem recipies, et antè mercedem maxima lucraberis: ipsam tibi obtemperatiorem reddens, teque ergà illam mansuetiorem exhibens. Narratur quispiam externorum philosophorum, qui malam haberet uxorem, et nugacem, et conviciantem, interrogantibus, quâ de causâ, cùm talem haberet, illam ferret, respondisse se quasi gymnasium et palæstram philosophiæ domi habere. Ero enim, aiebat, aliis mansuetior, in hâc quotidiè institutus. Magnâ voce exclamâstis? sed ego valdè nunc ingemo, cùm videam Græcos magis philosophos esse quàm nos, qui jubemur angelos imitari, imò qui jubemur ipsum æmulari Deum in mansuetudinis ratione. Philosophus ergò ille dicitur ideò malam illam uxorem non ejecisse; quidam autem dicunt ipsum ideò illam duxisse. Ego verò quia multi homines contrà quàm ratio ferat affecti sunt, hortor ut ab initio nihil non agant viri, ut bene moratam ducant uxorem et omni plenam virtute. Si verò contigerit ut à proposito aberrent, ac nec tolerabilem sponsam in domum induxerint, tunc philosophum illum imitentur, et his nihil adjiciant. Nàm mercator antequàm

cum socio pacta ineat, quæ possint pacem conciliare, non priùs navim in mare trahet, neque aliam attinget negotiationem. Et nos itaquè nihil non agamus, ut negotiationis nostræ sociam in hâc navi cum omni pace intùs teneamus. Ità enim et alia omnia nobis tranquilla erunt, et cum securitate vitæ præsentis pelagus trajiciemus. Hoc pluris faciamus, quàm domum, mancipia, pecunias, agros et ipsas res civiles ; idque maximè omnium in pretio habeamus, ut illa quæ nobiscum in ædibus residet, non tumultum moveat, neve à nobis dissideat. Ità enim et cætera nobis secundo cursu venient, et in spiritualibus multam habebimus facilitatem, hoc jugum cum concordiâ trahentes : omnibusque probè gestis reposita consequemur bona, quæ nos omnes assequi contingat, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unàque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen[1]. »

6° Non magis parcit Invidis, et præmisso membrorum corporis concordantiæ exemplo, sic illos emendaturus pergit :

« Hæc ergò omnes cogitantes, imitemur membrorum corporis dilectionem, neque contraria faciamus, malis proximi insultantes, et ejus bonis invidentes. Furentium enim hoc est et eorum qui in excessu mentis sunt. Etenim qui effodit oculum, maximum profert amentiæ signum : et qui manum exedit, apertæ insaniæ argumentum præbet. Si autem hoc in membris, in fratribus similiter admissam insipientiæ famam affert, et non leve detrimentum inducit. Nàm quandiù ille resplendet, tua quoquè forma apparet, et corpus totum ornatur. Neque enim ad se solum pulchritudinem adducit, sed et tibi gloriandi locum præbet. Si autem illum extinguas, toti corpori communes tenebras effecisti, et omnibus membris in-

[1] S. Chrysost. in Epist. 1 ad Cor. Homil. XXVI, n. 7, 8.

duxisti calamitatem, ut ex contrario si splendentem conserves, totius corporis formam conservas. Nemo enim dicit : « Pulcher est oculus ; » sed quid ? « Formosa est illa. » Si autem et ipse laudetur, post commune encomium laudatur. Sic et in Ecclesiâ contingit. Si enim quidam sint, qui bonâ famâ gaudeant, totum corpus laudis fructum percipit. Inimici namquè encomia non distinguunt, sed conjungunt. Et si quis dicendi facundiâ valeat, non illum solum encomiis celebrant, sed et totam Ecclesiam. Neque enim dicunt : Ille tantùm mirabilis est. Sed quid ? Mirabilem doctorem Christiani habent : et communem faciunt possessionem. Atqui Græci quidem conjungunt, tu verò dividis, et cum tuo corpore pugnas, tuisque membris adversaris ? Nescis hoc omnia subvertere ? Nàm *Regnum,* inquit, *in se ipsum divisum non stabit*[1]. Nihil autem ità dividit et separat, ut invidia et livor, hic gravis morbus, qui omni veniâ privatur, et malorum radice secundùm quid gravior est. Avarus enim tunc lætatur, cùm acceperit : Invidus verò tunc gaudet cùm alius non acceperit, non cùm ipse acceperit. Beneficium namquè suum putat aliorum adversitatem, non propriam felicitatem : communis quispiam hostis humanæ naturæ circumiens, et Christi membra percutiens ; quo quid furiosius fuerit ? Dæmon invidet quidem, sed hominibus, dæmonum verò nulli. Tu verò homo cùm sis, hominibus invides, et adversùs contribulem et congenerem insurgis, quod neque dæmon facit. Ecquam excusationem et defensionem habebis ? Cùm videris fratrem prosperè agentem, contremiscis et palles, cùm oporteret coronari, lætari et exultare ? Si autem velis eum æmulari, non impedio. Æmulare : sed ut illi, laudem sibi concilianti, similis sis ; non ut illum dejicias, sed ut ad idem culmen pervenias, ut eamdem

[1] Matth. XII, 25.

virtutem exhibeas. Hæc bona est æmulatio, imitari, non impugnare; non dolere de alienis bonis, sed morderi de propriis malis : cui rei contrarium facit invidia. Nàm propria negligens mala, de alienis bonis tabescit. Pauper enim non ità à paupertate suâ mordetur, quàm à proximi copiis; quo quid gravius fuerit? Ille quippè in hoc, ut jàm dixi, avaro etiam pejor est. Ille enim cùm quid acceperit, gaudet; hic verò cùm alius non acceperit lætatur. Quamobrem obsecro ut hanc malam relinquentes viam et ad zelum bonum mutati, (nàm talis zelus vehemens est et igne vehementior,) magna indè percipiatis bona. Sic et Paulus Judæos, ad fidem deducebat dicens : *Si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex istis*[1]; nàm qui ità æmulatur ut ille volebat, non tabescit cùm viderit alium in bonâ existimatione esse, sed quandò viderit se non id assequi. Invidus verò non sic; sed cùm alium prosperè agentem viderit, veluti quidam fucus est, qui alienos labores labefactat, et nunquàm ipse surgere tentat; flens verò cùm alium surgentem videt, omnia facit ut illum dejiciat. Cuinam quis hunc morbum comparaverit? Mihi autem hoc perindè esse videtur ac si quis piger asinus pinguedine gravis cum equo volucri conjunctus, neque ipse surgere velit, et pondere carnium ipsum conetur detrahere. Nàm et hic, ut ipse à profundo somno liberetur, nihil nec cogitat nec curat; nihil verò non agit ut eum qui in cœlum advolat supplantet, et dejiciat, accuratus diaboli imitator factus. Nàm et ille videns hominem in paradiso, non ipse studuit mutari; sed illum ejicere ex paradiso. Et rursùs videns illum in cœlo sedentem, et alios illò festinantes, idipsum meditatur, eos qui illò pergunt supplantans, et hinc majorem sibi congerens fornacem. Ubiquè enim hoc contingit. Nàm is cui invidetur,

[1] Rom. xi, 14.

si vigilet, splendidior evadit: Invidus verò plura sibi mala accumulat. Sic et Joseph illustris effectus est. Sic Aaron sacerdos: nàm Invidorum insidiæ effecêrunt ut Deus semel et bis eamdem ferret sententiam, et ut virga germinaret. Sic et Jacob multâ rerum copiâ abundavit, aliisque omnibus. Sic Invidi in mille se malis complicârunt. Quæ omnia scientes, fugiamus hujusmodi zelum. Cur enim, quæso, invides? quia spiritualem gratiam frater accepit? Et à quo, quæso, accepit? nonne à Deo? Ergò contrà illum inimicitiam suscipe qui donum contulit. Vides-ne quò malum serpit, et qualem colophonem peccatorum inducit, et quantum suffodit supplicii barathrum? Fugiamus ergò, Dilecti, neque invideamus, ac pro Invidis precemur, nihilque non agamus, ut morbum illorum extinguamus. Sed ne eadem quæ insani illi patiamur, qui volentes pœnas ab illis exigere, omnia faciunt ut flammam sibi accendant. At ne ità nos, sed defleamus illos et lamentemur. Ipsi enim sunt qui læduntur, vermem habentes perpetuum, cor ipsorum arrodentem, et veneni congregant fontem omni felle amariorem. Rogemus ergò benignum Deum, ut et illis morbum immutet: et nos ne unquàm in hunc incidamus. Nàm inacessum est cœlum ei qui hâc tabe laborat: et antè cœlum hæc vita non vitalis est. Neque enim lignum et lanam insidens tinea ità rodere solet, ut invidiæ febris ossa invidorum corrodit, et animæ temperantiam labefactat. Ut igitur et nos et alios ab innumeris eruamus malis, expellamus à nobis hanc malam febrim, quâvis tabe deteriorem; ut spirituali suscepto robore, et præsens certamen perficiamus, et futuras consequamur coronas, quas utinàm nos omnes adipisci contingat, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unàque Spiritui sancto, gloria, imperium, honor,

nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen[1]. »

7° Sic pariter sanctus Basilius peccatores arguit, qui sanctum Baptisma pravâ dilatione suscipere negligebant :

« Hùc igitur adesdum mihi, te ipsum totum ad Dominum transfer, da nomen tuum, Ecclesiæ ascribere. Miles recensetur in catalogo : athleta inscriptus decertat : civis civitate donatus inter tribules annumeratur. Omnibus his obnoxius es, ut miles Christi, ut athleta pietatis, ut cœli municeps. Conscribere in hoc libro, ut in cœlesti transcribaris. Disce, edocearis evangelicam disciplinam, exactam oculorum vigilantiam, linguæ continentiam, corporis servitutem, animi humilitatem, mentis puritatem, iræ extinctionem. Ad quidpiam si adigaris, superadde : si spolieris, ne litiga : si habearis odio, dilige[2]; persecutionem si patiaris, sustine : convitiis si afficiaris, obsecra[3]? Fac moriaris peccato : crucifigare cum Christo, dilectionem totam in Dominum transmove. Sed difficilia sunt hæc et gravia. Quid, quæso, rerum bonarum facile est? quis dormiens tropæum statuit? quis inter delicias et tibiarum modulos coronis fortitudinis exornatus est? Nemo nisi cucurrerit, sustulit bravium. Gloriam pariunt labores, comparantur coronæ defatigatione. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum*[4]; dico et ego, sed has tribulationes ea, quæ in regno cœlorum fruenda est, beatitudo excipit; peccati verò labores dolor gehennæ atque tristitia expectat. Imò etiam si quis diligenter animadvertit, ne ipsa quidem diaboli opera ab iniquitatis operariis sinè labore patrantur. Qui sunt castitatis sudores? At sudore madet scortator, absumente illum voluptate. Nùm continentia tantùm demit corpori, quantùm

[1] S. Chrys. in Epist. 1 ad Cor. Homil. xxxi, n. 4. — [2] Matth. v, 43, et seqq. — [3] 1 Cor. iv, 12, 13. — [4] Act. xiv, 21.

execrabilis et rabiosa incontinentia corrumpit? Noctes quidem insomnes peragunt qui pernoctant in precationibus : sed qui invigilant iniquitati, eas longè molestiùs traducunt. Nàm et timor, ne deprehendare, et voluptatum stimulus omnem prorsùs requiem fugant. Quòd si itineris ad salutem deducentis angustias fugiens, latam amplamque peccati viam persequare, vereor ne latam ad finem usquè secutus, consentaneum itineri diversorium reperias. Sed servatu difficilis est thesaurus. Invigila itaquè, Frater. Habes, si velis, adjutores, precationem ad noctis custodiam, jejunium quod donum custodiat, cantum Psalmorum, quo recreetur animus. Hæc tibi socia adjunge. Hæc tecum simul pernoctent ad res pretiosas custodiendas. Quid? dic mihi, nonne melius est ditescentes nos pro supellectilis pretiosæ custodiâ sollicitudinem pati, quàm ne habere quidem initio quidquam quod custodiamus? Nemo spoliationis metu repudiat bona. Ità enim nihil rerum humanarum consisteret, si in singulis quorum studio tenemur, adversos casus attenderemus. Nàm sterilitas agriculturam, naufragia mercaturam, nuptias viduitas, liberorum educationem orbitas comitatur. Attamen aggredimur opera ipsa, meliori spe innixi : rerum verò exitum Deo nostra moderanti committimus. Tute verbis quidem sanctimoniam magni facis : re verò ipsâ in deploratorum perditorumque numero versaris. Vide ne quandò te pœniteat malorum consiliorum, cùm ex pœnitentiâ nihil capies utilitatis. Prudentem te reddat Virginum exemplum. Illæ oleum in vasis non habentes, cùm ingredi illas unà cum sponso oporteret, tùm necessariis rebus destitui se animadvertêrunt. Quapropter Scriptura fatuas etiam eas vocat, quòd id tempus, quo utendum oleo erat, in circumeundo et comparando insumentes, imprudenter et incautè à thalami gaudio semetipsas exclusêrunt. Vide ne

tu quoquè annum de anno, menses de mensibus, diem de die differens, nec oleum luminis alimentum assumens, in diem inexpectatam aliquandò incidas, cùm jàm deficiet te vivendi facultas, eritque undiquè angustia, et afflictio cujuscumque levamenti expers, desperantibus medicis, desperantibus et propinquis; cùm crebro et sicco anhelitu pressus, vehementi febre internas partes inflammante atque succendente, ingemisces quidem pectore imo, sed qui condoleat reperies neminem; ac loqueris quidem tenue aliquid et remissum, sed non erit qui audiat; quidquid autem proferes, velut deliramentum contemnetur. Quis tùm conferet Baptisma? quis monebit te, sopore alto et gravi ex morbo correptum? Mœrent propinqui, morbum alieni contemnunt : monita quasi perturbationem afferentia negligit amicus, aut fortè etiam medicus decipit, nec de te ipso desperas ob naturalem vitæ amorem. Nox est, nec sunt auxiliarii ulli : non adest qui baptizet. Astat mors, urgent qui abducant. Ecquis te eripiet? Deus, qui contemptus est? Te scilicèt tùm exaudiet : tu enim eum nunc audis. Tempus præfinitum prorogabit? scilicèt dato tempore probè usus es.

» *Nemo te seducat inanibus verbis*[1]. *Nàm repentinus tibi imminebit interitus*[2], et exitium procellæ simile aderit. Veniet Angelus tristis, abducens violenter, trahensque animam tuam peccatis vinctam, crebrò se ad quælibet præsentia obvertentem, ac sinè voce gementem, occluso jàm gemituum ac lamentorum organo. O quàm dilaniabis te ipse! quantùm ingemisces! Sed te tuorum consiliorum frustrà pœnitebit, cùm videbis hinc hilaritatem justorum de egregiâ donorum distributione lætantium, illinc mœrorem peccatorum, qui in altissimis tenebris jacebunt. Quæ tunc dicturus es in dolore cordis tui? Hei

[1] Ephes. v, 6. — [2] 1 Thess. v, 3.

mihi! hoc grave peccati onus, cùm id exuere ità facile esset, non abjeci : sed horum malorum acervum traxi. Hei mihi! maculas ac sordes non ablui, sed sum peccatis commaculatus. Nunc essem cum angelis : nunc cœlestium bonorum deliciis fruerer. O prava consilia! ob temporariam peccati delectationem æternùm excrucior : ob carnis voluptatem igni trador. Justum est judicium Dei : vocabar, et non obediebam : docebar, et animum non attendebam : obtestabantur me, et ego deridebam. Hæc et alia ejusdem generis proferes, deflens temetipsum, si hìnc antè Baptisma abripiaris. O homo, aut gehennam metue, aut enitere ut regnum adipiscare. Vocationem ne sperne. Cave dixeris : *Habe me excusatum* [1], ob hanc et illam rationem. Causa nulla excusare potest. Mihi quidem subit lacrymari, cùm hoc mecum réputo, quòd turpitudinis opera ingenti Dei gloriæ præfers, quòdque peccato firmissimè inhærens ob libidinis delectationem, à promissis bonis te ipse exelùdis, sic ut tibi cœlestis illius Jerusalem bona videre non liceat. Illìc innumera Angelorum multitudo, Primogenitorum cœtus, Apostolorum throni, Prophetarum sedes, Patriarcharum sceptra, Martyrum coronæ, Justorum laudes. Exopta ut cum his numereris, posteaquàm Christi dono ablutus fueris et sanctificatus. Ipsi gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen [2]. »

8° Legant autem isti, qui mundi Theàtra non à vitio tantùm eximere, sed extollere etiam falsis laùdibus non verentur, quomodò sanctus Chrysostomus perorando illos exagitet, qui profanis interesse spectaculis, non re, sed nomine Christiani, præsumebant :

« Ipsis, inquit, apostolis aures claudimus. Cùm enim legitur Paulus, nec tu attendis : cùm prædicat Joannes, et tu non audis ; quandonàm pauperem recipies, qui apos-

[1] Luc. XIV. 18. — [2] S. Basil. in sanct. Bapt. n. 7, 8.

tolum non recipis? Ut itaquè et his ædes, et illis aures perpetuò apertæ sint, sordem omnem ab auribus animæ expurgemus; sicut enim sordes et limus aures corporis, sic meretricia cantica, sæculares narrationes, debita, sermones de usurâ et mutuo, magis quàm quævis sordes aures animæ obturant; imò non obturant modò, sed immundas reddunt. Nàm qui ista narrant, fimum in aures vestras injiciunt. Ac quod barbarus ille comminabatur dicens: *Comedetis stercus vestrum*[1], etc., sic et isti non verbo, sed operibus eò vos deducunt, ut hæc sustineatis; imò et longè gravius. Etenim illa cantica his longè fœdiora sunt: quodque deterius est, non modò hæc molestè non fertis; sed etiam ridetis, cùm oporteret execrari ac fugere. Quòd si hæc abominabilia non sunt, descende in orchestram, imitare quod laudas; imò adi eum, qui hunc risum excitat. Verùm id nunquàm facere ausis. Cur ergò illi tantum tribuis honorem? Atqui Græcorum leges descriptæ illos infames haberi volunt. Tu verò illos cum totâ civitate recipis, quasi legatos et duces, omnesque evocas, ut fimum in auribus accipiant. Ac servus quidem tuus, si quid turpe te audiente loquatur, mille plagas accipit; et si filius, si uxor, si quisquis alius hoc faciat, rem illam vocas contumeliam: si verò homines verberones et abjecti te vocent, ut turpia verba audias, non modò non indignaris, sed etiam gaudes, laudas. Ecquid huic dementiæ par fuerit? Sed turpia hujuscemodi non loqueris? Ecquid hinc lucri? Imò verò undè liqueat te non loqui? si enim hæc nunquàm proferres, non rideres audiens, neque tanto studio curreres ad vocem quæ te dedecore afficit. Dic enim mihi, gaudes-ne audiens blasphemias? annon exhorrescis, et aures obstruis? Ego certè id puto. Cur hoc? Quia tu nunquàm blasphemas. Idipsum

[1] 4 Reg. XVIII, 27, et Isai. XXXVI, 12.

facito circà turpia illa verba. Et si vis nobis clarè demonstrare te non gaudere dùm turpia dicuntur, ne auditu quidem illa feras. Quandonàm probus vir esse poteris, in hujusmodi turpibus audiendis enutritus? quandonàm castitatis sudores ferre poteris, sic paulatim diffluens ex risu, cantibus et verbis obscœnis? Nàm si vix anima, quæ ab his omnibus se puram servat, potest esse honesta et casta, quantò minùs poterit quæ hæc audire solet? An nescitis nos ad nequitiam proniores esse? Cùm autem hæc in artem et opus convertamus, quomodò fornacem illam effugere poterimus? Non audîsti quid dicit Paulus : *Gaudete in Domino*[1] ? non dixit : « In diabolo. »

» Quandò igitur audire Paulum poteris? quandò in sensum venire peccatorum, qui ex spectaculo illo ebrius semper es? Quòd enim hùc veneris, non mirum nec magnum est ; imò potiùs mirum est : hùc enim et segniter et perfunctoriè venis, illùc autem magno studio et animo accurris. Idque palàm est ex iis quæ domum refers, cùm indè recedis. Etenim lutum vobis illìc infusum per verba, cantica, risum, singuli domum reportatis ; imò non in domum tantùm, sed in mentem vestram inducitis : et ab iis quæ abominatione digna non sunt, averteris ; abominanda verò non odio habes, imò diligis. Multi certè à sepulchris redeuntes, sese abluunt ; à Theatris verò reversi non gemunt, non lacrymarum fontes effundunt ; quanquàm mortuus non sit immundus : peccatum verò tantam maculam aspergat, ut ne mille quidem fontibus possit ablui, sed solis lacrymis et confessionibus. Sed nemo maculam hujuscemodi sentit. Quia enim ea quæ timenda essent non timemus, ea quæ timenda non sunt, metuimus. Quis autem ille strepitus? quis tumultus? qui satanici clamores, et diabolici habitus? Alius juvenis cùm sit, comam retrò

[1] Philip. IV, 4.

reductam habet, et naturam ipsam effœminat aspectu, habitu, vestimentis, demùm omnibus, formamque teneræ puellæ affectat. Alius verò quispiam senex, è contrario capillis novacula abrasis, renibus succinctus, postquàm pudorem antè capillos succidit, stat ad alapas accipiendas et ad omnia dicenda faciendaque paratus. Mulieres autem, nudo capite, omni misso rubore, stant populum alloquentes, tantum videlicèt impudentiæ studium habentes, omnemque petulantiam et lasciviam in auditorum animos infundentes. Illud unum studium habent, ut castitatem omnem radicitùs evellant, naturam deturpent, mali dæmonis concupiscentiam expleant. Nàm hìc verba obscœna, habitus ridiculi, tonsura similis, incessus, vestitus, vox, membrorum mollities, oculorum inversiones, fistulæ, tibiæ, dramata, argumenta, omniaque demùm extremæ lasciviæ plena sunt. Quandonàm, quæso, resipisces, cùm tantum tibi fornicationis poculum infundat diabolus, totque intemperantiæ calices misceat? Nàm illìc fornicationes, adulteria, mulieres prostitutæ, viri muliebria patientes, juvenes molles, omnia iniquitate plena, portentosis rebus ac prodigiis. Non ergò de hujusmodi rebus ridere sedentes oporteret, sed lacrymari et ingemiscere. Quid igitur? an orchestram claudemus, inquies, et jussu tuo omnia subvertentur? Nunc certè omnia subversa sunt. Undenàm ii qui nuptiis insidias parant? Nonne ab hâc scenâ? Undè ii qui thalamos effodiunt? Nonne ab orchestrâ illâ? nonne hìnc viri uxoribus sunt molesti? nonne hìnc à viris uxores despiciuntur? nonne hìnc mœchi plurimi? Itaquè qui omnia subvertit, is est qui ad Theatrum pergit, quique gravem tyrannidem inducit. Nequaquàm, inquies, sed in bono legum ordine statutum est. Nàm mulieres abripere, pueros contumeliis adhibere, domos evertere, hæc ad illos spectant qui arces occupant. Et quis

mœchus, inquies, ex his spectaculis factus est? Imò quis non mœchus? Si liceret nominatim efferre, dicere possim quot viros hæc ab uxoribus sequestrârint, et quot captivos meretrices illæ ceperint, quorum alios à conjugali lecto adduxêrunt, alios ne uxores ducerent effecêrunt. Quid igitur, quæso, leges-ne omnes evertemus? Quin imò Theatris eversis legum transgressiones evertimus. Nàm qui civitates pessumdant, ex horum numero sunt. Hinc seditiones et perturbationes. Nàm qui in his ludis aluntur, quïque vocem ventris causâ vendunt, quorum opus officiumque est clamare, et quidvis absurdum facere; hi maximè sunt qui populos concitant, qui tumultus in urbibus faciunt. Juventus enim otiosa, in hisce malis educata, ferâ quâvis acrior efficitur.

» Undenàm, quæso, præstigiatores? Nonne indè proficiscuntur, ut populum vacantem temerè inflamment, idque faciant ut ex tumultibus saltatores bonis fruantur, et meretrices honestis mulieribus impedimento sint? In tantum enim maleficii genus perveniunt, ut mortuorum ossa movere non dubitent. Nonne hæc indè ideò oriuntur, quòd ad illum diaboli chorum sumptus innumeros consumere cogantur? Lascivia autem undè, necnon mala innumera? Vides-ne te esse qui vitam humanam evertis, dùm ad hæc pertrahis? Ego verò rem destruendam censeo. Tollamus ergò orchestram, inquies. Utinàm tolli posset; imò verò si vultis, quod ad nostram partem attinet, jàm sublata et subversa est. Attamen non hoc jubeo: stantem illam non frequentatam reddite, quæ major laus esset, quàm diruere. Si non alios, barbaros saltem imitamini, qui hujusmodi spectaculi turpitudine carent. Quæ nobis igitur deinceps excusatio erit, cùm nos cœlorum cives, cherubinorum choro ascripti, angelorum consortes, barbaris hâc in re pejores simus, cùm liceat sexcen-

tas alias his majores voluptates reperire? Si vis enim animum recreare, vade ad pomaria, ad fluvium, ad stagna : hortos contemplare, cicadas audi canentes ; martyrum sepulcra frequenta, ubi corporis valetudo, animæ utilitas, nihilque damni; nulla post factum pœnitentia, ut post *illa* spectacula. Uxorem habes et filios : quæ voluptas huic par est? Habes domum et amicos : hæc jucunda, et cum temperantiâ magnum lucrum pariunt. Quid enim, quæso, filiis jucundius? quid uxore dulcius iis qui continere volunt? Fertur barbarorum dictum philosophiâ plenum. Nàm de Theatris illis iniquis, et de importunâ illâ voluptate audientes dicebant : « Romani ac si filios et uxores non haberent, has excogitavêre voluptates : » quibus ostendunt nihil dulcius esse filiis et uxore, si quis honestè vivere velit. Quid ergò si ostendam, inquies, nihil damni ex hâc frequentiâ emergere? Certè vel hoc ipsum damnum est, sinè causâ ac temerè tempus insumere, et aliis offendiculo esse. Nàm si tu damnum non patiaris, *alium* hujus spectaculi studiosiorem reddis. Quomodò autem damnum non patiaris, qui præbes his spectaculis occasionem? Nàm præstigiator, corruptus puer, fornicaria mulier, omnesque illi diabolici chori, in caput tuum causam spectaculorum regerunt. Quemadmodùm enim si spectatores non essent, nec essent qui ludos hujusmodi exhiberent ; sic quia spectatores sunt, et ipsi gestorum ignem partiuntur. Itaquè licèt sinè castitatis dispendio id ageres, id quod certè fieri nequit, aliorum tamen perniciei graves dabis pœnas, sivè spectantium, sivè spectacula edentium : atque ad castitatem servandam majus lucrum fecisses, si illò non venisses. Si enim castus nunc es, multò castior esses si spectacula illa vitâsses. Ne itaquè inutiliter contendamus, neque inutiles defensiones excogitemus. Una defensio et excusatio est, si fugiamus fornacem babyloni-

cam, si procŭl ab Ægyptiâ meretrice degamus, etiamsi nudos oporteat ab illâ effugere. Ità enim et multa fruemur voluptate, conscientiâ nos non accusante, præsentem vitam castè agemus, futuraque bona consequemur, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen [1]. »

9° Sunt aliquandò circumstantiæ, ubi non tantùm insequitur vitium, sed peccatorum objectiones diluere contendit, ut fit in eâ quæ sequitur, Peroratione, quâ contumeliâ affectos ad libenter condonandas injurias invitat:

« Sed durum est injuriâ et damno affici? Non est durum, non est, ô homo! Usquequò præsentibus inhias? Neque enim hoc præcepisset Deus, si malum esset. Considera autem: qui injuriam fecit abiit pecunias habens, sed malam quoquè conscientiam. Qui autem injuriâ læsus est, pecuniis quidem privatus fuit, sed fiduciàm apud Deum habet, possessionem mille thesauris pretiosiorem. Hæc cùm sciamus ex proposito voluntatis philosophemur, nec eadem quæ stulti patiamur, qui tunc se non injuriâ læsos putant, cùm hoc illis à judicio accidit; contrà verò totum illud est damnum maximum et universum, quandò non philosophamur sponte nostrâ, sed indè superati. Nihil enim lucri referunt qui superati à judicio, id patiuntur: nàm tunc demùm illud ex necessitate fit. Quænam ergò splendida victoria est? Quandò tu id despexeris, quandò judicio non contenderis. Quid dicis? Omnia mihi ablata bona sunt, et silere jubes? Damno affectus sum; ut mansuetè feram hortaris? Et quomodò illud potero? Facillimè utiquè, si in cœlum respexeris, si videris hanc pulchritudinem, et ubi te suscepturum esse Deus pollicitus sit, si injuriam generosè feras. Hoc itaquè facito, et postquàm

[1] S. Chrys. in Matth. Homil. xxxvii, n. 5-7.

cœlum respexeris, cogita te similem factum esse ei qui illic super cherubim sedet. Nàm et ille contumeliâ affectus est, et id tulit; probris est affectus, nec sese est ultus; sputis dehonestatus est[1], et non sese vindicavit, sed contrariis remuneravit, innumeris afficiens beneficiis eos, qui talia fecerant. Et nos ipsius imitatores esse jussit. Cogita te nudum exiisse ex utero matris tuæ; nudus reverteris et tu et qui te affecit injuriâ; imò verò ille cum innumeris vulneribus, quæ vermes gignant. Cogita quòd temporanea sint præsentia: tecum reputa sepulcra majorum. Disce apertè ea quæ facta sunt, et videbis eum, qui te injuriâ affecit, te fortiorem fecisse: passionem namquè suam graviorem reddidit; amorem pecuniæ dico; tuam verò imbecilliorem, ablato feræ illius alimento. Ad hæc verò te liberavit à curis, ab animi angore, ab invidiâ sycophantarum, à turbâ, à tumultu, à perpetuo metu; et malorum colluviem in caput suum congessit. Quid igitur si cum fame, inquies, concertem? cùm Paulo hoc pateris, qui ait: *Usquè in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus*[2]. At ille, inquies, propter Deum. Et tu quoquè propter Deum; quandò enim non te ultus fueris, propter Deum id fecisti. Sed qui me injuriâ affecit, cum divitibus in deliciis degit. Imò verò cum diabolo; sed tu cum Paulo coronaris. Ne ergò famem timeas. *Non enim fame necabit Deus animas justorum*[3]. Et alius rursùm ait: *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet*[4]. Si enim passeres agri nutrit, quomodò te non nutriet? Ne simus ergò modicæ fidei, neque pusillanimes, ô Dilecti. Qui enim regnum cœlorum promisit et tanta bona, præsentia quomodò non dabit? Ne superflua desideremus, sed quod sufficiat: et semper divites erimus. Tegumentum quæramus et alimenta, et omnia accipiemus, et hæc et

[1] Marc. XV, 19. — [2] 1 Cor. IV, 10. — [3] Prov. X, 3. — [4] Psal. LIV, 23.

multò majora. Si autem adhùc doles, et deorsùm respicis, vellem tibi ejus qui te injuriâ affecit animam post victoriam ostendere : quomodò cinis facta sit. Tale namquè est peccatum. Quandiù patratur, quamdam voluptatem affert : quandò autem consummatum est, tunc modica illa voluptas avolat, succedit autem animi mœror. Hæc porrò patimur cùm quosdam contumeliâ afficimus, posteà verò nos ipsos accusamus. Sic etiam cùm rapimus, gaudemus : deindè verò à conscientiâ pungimur. Vides apud quempiam domum pauperis ? Defle, non eum qui privatus fuit, sed eum qui accepit ; non enim dedit, sed accepit malum. Nàm illum quidem præsentibus spoliavit ; se verò ex bonis ineffabilibus ejecit. Nàm si is qui egenis non elargitur, in gehennam abit ; qui illa quæ egenorum sunt accipit, quid patietur ? Ecqua utilitas, inquies, si ego mala patiar ? Magna certè utilitas. Non per supplicium ejus qui te malo affecit, remunerationem tibi constituit Deus ; nàm illud non magna res esset. Quæ enim utilitas si et ego et ille mala patiamur ? Atqui multos novi, qui hoc pro maximâ habent consolatione, et totum se accepisse arbitrantur, cùm eos qui sibi nocuêrunt, plexos vident. Attamen Deus non hìc sistit remunerationem. Sed vis scire quot te bona exceptura sint ? Totum tibi cœlum aperit, sanctorum concivem facit, in eodem choro ut sis efficit, à peccatis absolvit, justitiâ coronat. Si enim qui remittunt iis qui peccavêrunt, remissionem consequuntur ; qui non modò remittunt, sed ipsis abundè largiuntur, quàm non consequentur benedictionem ? Ne itaquè pusillo animo feras, sed etiam precare pro eo qui te læsit. Pecunias tuas accepit ? Sed etiam peccata, ut in Neemano et Giezi accidit. Quantas pecunias non dare voluisses, ut peccata tibi remitterentur ? Hoc itaquè nunc etiam usuvenit. Si enim generosè feras, nec maledicas, splendidâ redimitus est co-

ronâ. Non meus est sermo : sed audîsti Christum dicentem : *Orate pro iis qui vobis molestiam creant ;* et cogita quantum sit præmium, *Ut sitis similes Patris vestri qui est in cœlo*[1]. Itaquè nullo privatus es, sed etiam accepisti ; non injuriâ affectus, sed coronatus es, animo magis philosophus effectus, Deoque similis, pecuniarum curâ liberatus, regnum cœlorum assecutus. Hæc itaquè omnia nobiscum reputantes, in injuriis philosophemur, Dilecti, ut et à præsentis vitæ perturbatione liberemur, et inutilem mœrorem abjiciamus, futurumque gaudium consequamur, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et unà Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen[2]. »

10° Postquàm autem vitia dejicere conatus est, virtutum etiam erigere procurat imperium, nec unquàm sublimior evadit, quàm cùm pauperum advocatus, causam inopum coràm divino tribunali agere aggreditur :

« Hæc non sinè causâ nunc dico ; sed quia plerique egenos curiosè interrogant, inquirunt patriam, vitam, mores, artem, corporis valetudinem : accusationes intentant, et sexcentas de sanitate rationes repetunt. Ideòque multi corporis mutilationes simulant, ut fictæ calamitatis artificio crudelitatem immanitatemque nostram flectere valeant. Et æstate quidem taliter criminari, grave licèt sit, non usquè adeò tamen grave est : hyeme verò, urgente frigore, ità se inhumanum et ferum præstare judicem, veniamque nullam otiosis concedere, annon summæ crudelitatis fuerit? Cur itaquè Paulus, dicet aliquis, Thessalonicensibus hanc legem ferebat : *Si quis non vult laborare, nec manducet?* Ut et tu hæc audias, et non ipsum

[1] Matth. v, 44, 45. — [2] S. Chrysost. in Epist. 1 ad Cor. Homil. XVI, n. 6.

tantùm, sed te quoquè hisce Pauli verbis compelles. Pauli quippè leges non pauperibus tantùm, sed etiam nobis positæ sunt. Dicam aliquid onerosum et molestum : scio fore ut vos succenseatis ; attamen dicam : non enim ut offendam, sed ut emendem dico. Illis otium objicimus, rem sæpè veniâ dignam : nos autem ea perpetramus, quæ otio longè graviora sunt. At ego, inquies, paternam hæreditatem habeo. An ergò, dic mihi, quia ille pauper est et ex pauperibus ortus, nec opulentos majores habuit, dignus est qui pereat? Profectò eâ ipsâ de causâ, commiseratione et misericordiâ apud divites dignus fuerit. Tu quidem sæpè diem in theatris transigens, vel in consessibus, colloquiisque, ex quibus nihil accedit lucri, multis obloqueris, nihilque mali te facere nec otiosum esse putas : hunc verò miserum et ærumnosum, qui in precibus, lacrymis milleque ærumnis toto die versatur, damnas, ad tribunal trahis, de eoque rationes exposcis ? Hæccine, quæso, humani sunt animi? Igitur quandò dicis, quid dicemus Paulo? tu ea ipsa tibi, non pauperibus dicito. Alioquin verò, ne minas ejus tantùm legas, sed et veniam quoquè : nàm qui dicit : *Si quis non laborat, nec manducet*, adjecit : *Vos autem, Fratres, nolite deficere benefacientes* [1]. At quonam illi specioso obtentu utuntur? Fugitivi sunt, inquiunt, peregrini, verberones, qui suâ relictâ patriâ in civitatem nostram confluunt. Ideò-ne, quæso, stomacharis, et civitatis coronam vellicas, quia omnes eam communem esse portum existimant, et propriæ alienam præferunt? Imò verò hâc de causâ exultare oportuit ac lætari, quia ad manus vestras, quasi ad commune quoddam emporium omnes accurrunt, et communem matrem hanc civitatem esse arbitrantur. Ne, quæso, tantum encomium labefactatis, neque antiquam hanc paternamque laudem

[1] 2 Thess. III, 13.

decidatis. Olim namquè cùm fames totum orbem invasura esset, hujus civitatis incolæ, Jerosolymitanis, iisdem ipsis, de quibus jàm sermo habetur, per Barnabam et Paulum pecunias non paucas misêrunt [1]. Quâ igitur fuerimus veniâ, quâ defensione digni, quandò majores quidem nostri, etiam procul positos, suis pecuniis, etiam ad ipsos accurrentes aluêrunt; nos verò eos, qui aliundè ad nos confugiunt, pellimus, deque illis rationes expetimus, cùm sciamus nos plurimorum malorum esse reos? Quòd si Deus ità diligenter nos scrutaretur, ut nos causam pauperum, nullam veniam vel misericordiam consequeremur. *In quo* enim *judicio*, inquit, *judicabitis, judicabimini* [2]. Esto igitur benignus humanusque conservo: multaque peccata dimitte, ac misericordiam exerce, ut et ipse talem impetres sententiam. Quid tibi ipsi negotia facessis? quid curiosè scrutaris? Si Deus præcepisset ut aliorum vitam scrutaremur, rationes exposceremus, moresque curiosè disquireremus, annon multi id molestè ferrent? annon intrà se dicerent: Quid igitur hoc est? difficilem nobis rem Deus præscripsit: an possumus aliorum vitam examinare? Nùm scimus quænam ille talis peccata admiserit? Annon multi similia plurima dicerent? Nunc verò cùm nos ab hujusmodi perquisitione liberavit, ac mercedem nobis perfectam se daturum pollicitus est, sivè mali, sivè boni sint ii, qui accipiunt, nobis ipsis negotium facessimus. Et undè hoc liquet, inquies, quòd sivè bonis, sivè malis dederimus, mercedem accepturi simus? Eo quòd ipse dixerit: *Orate pro insectantibus, et calumniantibus vos, ut sitis similes Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* [3]. Quemadmodùm ergò Dominus tuus, cùm innumeri ipsum blasphement, innumeri fornicentur,

[1] Act. xi, 30. — [2] Matth. vii, 2. — [3] Id. v, 44.

furentur, latrocinentur, sepulcra effodiant, infinita mala perpetrent, à suis ergà omnes beneficiis non absistit; sed communes radios, communes imbres et fructus terræ profert, suam exhibens ergà homines beneficentiam: sic et tu facito, et cùm tempus misericordiæ humanitatisque exhibendæ affuerit, pauperes fove, famem seda, ab ærumnis libera, nihil ulteriùs scrutare. Nàm si vitam hominum curiosè disquiramus, nullius unquam miserebimur: sed hâc intempestivâ curiositate præpediti, absque fructu, et omni adjumento destituti manebimus, multùmque laboris frustrà et incassùm suscipiemus. Quapropter rogo, inopportunam hanc curiositatem abjicientes, egenis omnibus largiamur, idque abundanter faciamus, ut et ipsi illo die magnam à Deo misericordiam et benignitatem consequamur, quam nos omnes obtinere contingat, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quocum Patri, simulque sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen[1]. »

Tàm frequens est S. Chrysostomus in commendandâ Pauperum causâ, ut necessarium videatur etiam hìc unam aut alteram adjungere circà idem argumentum Perorationem; hìc enim præcipuè facundiæ explicat divitias. Sic exaggerato Judæorum ardore, qui Christi triumphalem ingressum præparaverant, cùm veniret Jerosolymam, indè initium sumens, eleganter simul et vividè progreditur:

« Quâ veniâ digni erimus, si cùm alii asinam, cui insidebat, vestimentis operiunt, alii ejus pedibus vestimenta substernunt; nos nudum illum videntes, nec jussi nos exuere, sed aliquid impendere; ne hanc quidem liberalitatem exhibeamus? Illi sequuntur antè et post, nos verò et accedentem repellimus, et contumeliis afficimus? Quanto hæc supplicio, quantâ ultione digna sunt? Ad te accedit

[1] S. Chrys. de Eleemos. n. 6.

Dominus egenus; nec supplicationem vis audire, sed incusas, increpas, et hæc talibus auditis verbis. Si verò vel panem unicum largiens et tantillùm pecuniæ, ità tenax es, avarus et segnis, quis futurus esses, si omnia essent evacuanda? Non vides illos in theatro liberales homines quanta meretricibus profundunt? Tu verò ne dimidiam quidem illorum partem, imò sæpè ne quàm minimam partem erogas. At diabolus quibuscumque dare jubet, dùm gehennam nobis conciliat, et tamen das : Christus verò egenis dare jubet, et regnum promittit; et tu non modò non das, sed etiam contumeliosus es; mavisque obedire diabolo, ut crucieris, quàm Christo, ut salutem consequaris. Quid hâc stultitiâ deterius? Ille gehennam tibi affert, hic regnum : et tamen, hoc relicto, ad illum accurritis. Et hunc accedentem repellitis, illum procul positum advocatis. Neque aliter res se habet, quàm si rex purpurâ vestitus et diademate ornatus non persuadeat: latro autem ensem vibrans, mortemque comminatus facilè persuadeat. Hæc itaquè cogitantes, Dilecti, tandem aliquandò oculos aperiamus et vigilemus. Nàm certè pudet me de Eleemosynâ loqui, cùm tam sæpè hoc argumentum tractaverim sinè magno admonitionum fructu. Plùs certè quidpiam præstatis, sed non quantùm vellem. Vos seminantes video, sed non largâ manu. Quamobrem timeo ne parcè metatis. Quòd enim parcè seminemus, si placeat, exploremus utrùm plures sint in civitate pauperes quàm divites, et quinam nec pauperes, nec divites sint, sed medium locum tenentes. Decima pars civium divites, decima pars pauperes qui nihil habent : reliqui verò sunt in medio loco positi. Dividamus itaquè per egenorum numerum totam urbis multitudinem, et quantum sit dedecus videbitis. Nàm admodùm divites, pauci sunt; qui hos sequuntur plurimi; rursùm pauperes longè his pauciores sunt. Attamen cùm

tot sint qui esurientes alere possint, multi sunt qui esurientes lectum petant; non quòd non valeant opulenti illis facilè necessaria subministrare, sed quia admodùm duri inhumanique sunt. Nàm si divites, et ii, qui facultatibus mediocriter pollent, inter se dividant eos qui pane et vestibus egent, vix quinquaginta, vel fortè centum viris pauper unus alendus reperietur. Attamen in tantâ copiâ eorum, qui necessaria subministrare possunt, quotidiè pauperes egestatem suam deplorant. Et ut discas illorum immanitatem, Ecclesia unius admodùm divitis, et unius mediocris fortunæ reditum habet, et cogites velim quot viduas, quot virgines alat quotidiè : earum certè catalogus ad ter mille pertingit. Ad hæc etiam in carcere vinctos, in xenodochio ægros, alios benè valentes, peregrinos, membris mutilos, altari assidentes alimenti vestisque causâ, aliosque casu accedentes fovet quotidiè : neque tamen ejus facultates imminutæ sunt. Itaquè si decem viri tantùm paria subministrare vellent, nullus foret pauper.

» Ecquid, inquies, liberis nostris supererit? Sors semper manet, et reditus augetur, si in cœlis facultates eorum reponantur. Quòd si ità non vultis, saltem dimidium, vel tertiam, vel quartam, quintam aut decimam numerate. Per Dei gratiam enim posset hæc civitas nostra decem civitatum pauperes alere. Et si placet, hæc computemus ; imò nulla computandi necessitas : manifestum quippè est quàm facilis res illa sit. Videte igitur quot quantaque una domus ad urbana onera sæpè subministrare non gravetur, vixque tamen hunc sumptum sentiat. Si hoc quisque divitum ministerium in pauperes exercere vellet, uno temporis momento cœlum abriperet. Quæ venia igitur, quæ excusationis umbra, quandò ne ea quidem, quæ hìc migrantes relicturi sumus, tàm largiter egenis suppeditamus, quàm alii scenicis erogant, cùm tan-

tum indè fructum carpere debeamus? Etiamsi enim hìc semper mansuri essemus, his pulchris sumptibus parcere non oporteret; cùm autem post tantillùm temporis hìnc migraturi, nudique rapiendi simus, quam defensionem habebimus, qui ex proventibus, famelicis et oppressis non largimur? Non te cogo ut possessiones minuas; non quòd nolim; sed quòd te admodùm segnem videam. Non hoc ergò dico : sed ex fructibus expende, neque hìc pecunias collige. Satis est tibi si pecuniarum proventum quasi ex fonte fluentem habeas; fac earum consortes pauperes, et esto bonus œconomus eorum, quæ tibi à Deo data sunt. Sed, inquies, vectigalia pendo. Ideò-ne hìc contemnis quia nemo exigit? Et illi quidem qui, sivè terra proventum tulerit, sivè secùs, te cogit et vexat, repugnare non audes; illi verò qui ità mansuetus est, et tunc solùm exigit, cùm terra protulerit, ne verbum quidem respondes? Ecquis te liberabit ab intolerabilibus illis suppliciis? Nullus planè. Si enim hìc ideò studiosè solvis, quia non danti gravissimæ pœnæ paratæ sunt; cogites velim hìc graviores parari, non quòd vinculis constringaris, non quòd in carcerem conjiciaris, sed quòd in ignem abeas æternum. Quamobrem hæc prima vectigalia solvamus. Magna quippè facilitas, major merces, copiosior negotiatio, gravior nobis ultio, si improbè agamus. Nàm supplicium nos excipiet nullum finem habiturum. Quòd si mihi milites alleges, qui pro te contrà barbaros pugnant; est quoquè hic pauperum exercitus, qui pro te bellum gerunt et pugnant. Cùm enim accipiunt, precibus Deum tibi placant : placantes autem, non barbaros, sed dæmonum insidias repellunt : non permittunt ut te malignus ille fortiter invadat, nec ut frequenter insurgat, sed ejus vires resolvunt.

» Cùm ergò hos milites videas quotidiè contrà diabolum propter te pugnantes precibus orationibusque, à te ipso

hoc pulcherrimum tributum repete, alimenta nempè ipsorum. Cùm enim mansuetus hic rex sit, non imposuit tibi exactores, sed vult te sponte deponere : etiamsi parùm deponas, accipit tamen ; si non ità locuples post multùm temporis reposueris, non cogit non habentem. Ne igitur patientiâ ejus abutamur ; sed thesaurizemus nobis, non iram, sed salutem ; non mortem, sed vitam ; non supplicium et ultionem, sed honores et coronas. Non est hìc quid pendendum ad vecturam oblatorum, non laborandum ad argentum corradendum. Si deponas illa, ipse Dominus in cœlum transfert ; ipse tibi negotiationem parat multùm lucri afferentem. Non est hìc quærendus homo qui deposita transferat : tantùm depone, statim depositum ascendit ; non ut alii milites alantur, sed ut tibi maneant cum magno fœnore. Hìc enim cùm das, data repetere non licet ; illìc vero magno cum honore illa rursùm recipies, majoraque ac spiritualia lucra referes. Hìc quæ dantur sunt exactio ; illìc usura, fœnus, debitum. Nàm chirographa tibi Deus fecit : ait enim : *Qui miseretur pauperis, Deo fœneratur*[1]. Dedit tibi arrham et vades, etsi Deus sit. Quæ arrha, qui vades ? Quæ sunt in præsenti vitâ, sensibilia, spiritualia, exordia futurorum. Quid igitur tardas et dubitas, cùm tot tantaque jàm receperis, tot expectes ? Nàm quæ recepisti, hæc sunt : corpus tibi efformavit ; animam tibi indidit, te solum in terrâ ratione ornavit, eorum quæ sub aspectum cadunt omnium usum dedit, cognitionem suî tibi largitus est, Filium suum pro te tradidit, baptisma tot refertum donis concessit, necnon sacram mensam ; promisit regnum et ineffabilia bona. Tot ergò acceptis et tot accepturus, id enim rursùm dicam, circà perituras pecunias parcus es ? Ecquam habebis veniam ? sed liberos respicis, et illorum causâ dare refugis ?

[1] Prov. XIX, 17.

Et hos quoquè institue ad hujusmodi facienda lucra. Nàm si argentum haberes sub fœnore collocatum, et debitor probus esset, malles certè syngrapham quàm aurum filio relinquere, ut indè proventus ipsi esset magnus, nec cogeretur alios quærere ubi posset collocare. Nunc chirographum hujusmodi filiis dato, et Deum ipsis relinque debitorem. Agros non vendis, sed filiis relinquis, ut proventus maneat, et accessio illis pecuniarum fiat. Hoc porrò chirographum, quovis agro, quibusvis proventibus fructuosius, et tot ferens fructus, relinquere times? Ecqua stultitia, quæ insania hæc est? Et hoc cùm scias te, etiamsi illud filiis relinquas, illud tamen abeuntem tecum esse portaturum. Talia quippè sunt spiritualia, magnâque largitate fruuntur. Ne itaquè ità pauperes animo simus, neque ergà nos ipsos inhumani evadamus : sed hanc quæstuosam mercaturam suscipiamus, ut et ipsi hìnc migrantes illam auferamus, et tamen filiis relinquamus, futuraque consequamur bona, gratiâ et misericordiâ Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen[1].»

Hoc legenti cuilibet nulla jàm excogitari posse videntur, quæ tàm eloquenter dicta, non jàm superare, sed vel adæquare valeant. Tantæ autem facundiæ lumen quasi evanescere dixerim, ubi cum illâ admirabili prosopopœâ comparatur, quâ Christum inducit fidelium misericordiæ supplicantem. Ipsum loquentem audiamus :

« Nos verò neque Christus, neque ea quæ Christi sunt, à sæcularibus rebus abstrahunt : sed sicut serpentes, vel viperæ, vel porci, vel hæc omnia simul, sic in limo volutamur. In quo enim feris illis meliores nos sumus, qui cùm tot et tanta habeamus exempla, adhùc in terram respiciamus, ac ne parùm quidem ad cœlum respicere sustinea-

[1] S. Chrys. Hom. LXVI, in Matth. n. 3-5.

mus? Sed Deus quidem Filium suum tradidit : tu verò ne panem quidem das ei qui pro te traditus et occisus est. Pater propter te illi non pepercit, cùm verè Filius ipsius esset : tu verò illum fame tabescentem contemnis, cùm sumptum facturus sis ab iis quæ illius sunt ; idque propter te facturus sis. Quid hâc iniquitate deterius fuerit? Traditus est propter te, occisus propter te, circumit esuriens propter te; ex iis quæ illius sunt das, ut ipse utilitatem accipias : at ne ità quidem das. Quibus lapidibus non stupidiores sunt, qui tot rebus se pertrahentibus in diabolicâ illâ inhumanitate manent? Neque enim satis ille habuit crucem et mortem subire ; sed et pauper fieri voluit, et peregrinus, erro et nudus, atque in carcerem conjici, infirmitatemque pati, ut vel sic te advocaret. Si mihi non retribuis, ut pro te passo, miserere meî tamen propter paupertatem. Si nolis propter paupertatem misereri, propter morbum vel propter carcerem flectaris. Si ne hæc quidem ad humanitatem pertrahunt, annue ob petitionis tenuitatem. Nihil à te sumptuosum peto, sed panem, tectum, verborum consolationem. Si posteà adhùc ferox maneas, saltem propter regnum cœlorum melior efficiaris, saltem ob præmia quæ promisi. Verùm ne horum quidem ullam rationem habes? Saltem propter naturam te frangas, nudum videns, et memento nuditatis meæ in cruce, quàm propter te passus sum. Si illius nolis, at istius quâ pauper et nudus sum. Vinctus tunc fui propter te, et nunc etiam propter te ; ut sivè illis, sivè his motus vinculis, aliquid misericordiæ mihi præstare velis. Jejunus fui propter te, rursùs esurio propter te : sitivi in cruce pendens, per pauperes nunc sitio, ut vel ex illis vel ex his te ad me ipsum alliciam, et pro salute tuâ benignum te reddam. Ideò te, mille devinctum beneficiis, vicem mihi rependas rogo : non ut à debente exigo, sed ut largientem corono, et pro modicis

istis regnum do. Non dico : Solve paupertatem meam ; nec, Largire mihi divitias, quamvis propter te pauper sim ; sed panem tantùm peto, et vestem, et in fame modicam consolationem. Si in carcerem conjectus sim, non cogo te ut à vinculis me solvas et educas ; sed unum quæro tantùm, ut propter te vinctum videas ; hæc mihi gratia satis erit, pro quâ tibi cœlum largior : quanquàm te ego gravissimis exolvi vinculis : ac mihi satis erit, si velis me vinctum invisere. Possum quidem citrà hæc te coronare ; sed volo tibi debitor esse, ut cum coronâ quædam tibi fiducia accedat. Atque ideò cùm possim me ipsum alere, circumeo mendicans ; ad fores tuas astans tendo manus, cupiens à te nutriri : te enim admodùm diligo. Ideò mensam amo tuam, ut amicis mos est : hâc verò de re glorior, et orbis theatro præsente prædico te, omnibus audientibus, nutritium ostendo meum. Atqui nos cùm à quopiam nutrimur, erubescimus et hoc dissimulamus. Ille verò quia nos admodùm amat, etiamsi nos taceamus, hoc prædicat cum laudibus magnis, nec erubescit dicere se nudum à nobis indutum, esurientemque nutritum fuisse. Hæc igitur omnia cogitantes, non intrà laudes consistamus, sed quæ dicta sunt perficiamus. Quid enim prosunt plausus et tumultus, unum tantùm à vobis quæro, operum exemplum et per ipsas res obedientiam. Hæc laus mea est, hoc lucrum vestrum ; hoc mihi diademate splendidius. Hanc itaquè hinc egressi et vobis et mihi coronam per omnium manus parate ; ut et in præsenti vitâ, bonâ in spe, unà vivamus, et ad futuram vitam migrantes innumera bona assequamur. Quæ utinàm omnes sortiamur, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unàque sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen[1]. »

[1] S. Chrys. in Epist. ad Roman. Homil. xv, n. 6.

11° Qui sic inopibus divitum pietatem conciliare sæpiùs allaborabat, idem ille incessanter incumbebat, ut divitum regis, Dei amorem, positis antè oculos tot tantisque bonitatis ejus beneficiis, hominibus afflaret. Habeas, quæso, hanc Perorationem, quæ tota fiduciam charitatemque spirat :

« Promissionibus divinis fidamus, neque alacritas tempore obsolescat, neque mens remissior fiat ex obicibus qui interveniunt ; sed virtuti divinæ fidentes, quasi jàm antè oculos videremus promissiones impleri, ità puram et sinceram fidem exhibeamus. Magna enim et immensa promisit nobis Dominus, et quæ nostram transcendunt rationem, nempè nos participes regni fore, et ineffabilium bonorum consortes, cum angelis versaturos, et liberandos à gehennâ. Cæterùm neque diffidamus ideò quòd ea non videntur corporalibus oculis ; sed cogitantes mentiri non posse eum, qui promisit, et ipsius potentiæ magnitudinem considerantes, hæc oculis fidei contueamur, et ex iis, quæ jàm concessa sunt, etiam de futuris bonam spem habeamus ; eâ enim de causâ et hìc multa nobis donata sunt, ut ex iis adjuvemur, manuque ducamur, ut de illis quoquè benè speremus. Nàm qui Filium suum tradidit propter suam in nos charitatem, quomodò non omnia nobis reliqua largiturus est ? Sicut et Paulus inquit : *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non et omnia nobis cum illo donabit*[1] ? Si Filium suum tradidit pro nobis peccatoribus, si baptismatis donum largitus est, si priorum peccatorum remissionem tribuit, si pœnitentiæ viam nobis aperuit, si innumera alia ad salutem nostram operatus est, manifestum est eum et futura bona nobis reposita præbiturum. Nàm qui propter suam bonitatem, antequàm

[1] Rom. VIII, 32.

esse inciperemus, hæc præparavit, quomodò non et frui concedet? Quòd autem priùs hæc bona nobis præparaverit, audi quid dicat stantibus à dextris : *Venite, benedicti Patris mei, hæreditate accipite regnum paratum vobis antè constitutionem mundi*[1]. Vidisti bonitatis excellentiam, quantâ ergà nostrum genus benignitate usus sit, ut et antè jacta fundamenta mundi nobis regni cœlorum fruitionem præparare dignatus sit? Igitur ne simus ingrati, obsecro, neque indignos talibus nòs donis constituamus; sed diligamus, ut decet, Dominum nostrum, nihilque faciamus, quod ejus ergà nos benevolentiam impediat. Nùm enim nos priores rem illam cœpimus? Imò ipse prior magnam et inenarrabilem charitatem ergà nos declaravit : quomodò igitur non absurdum fuerit, si eum, qui nos sic dilexit, non diligamus totis viribus nostris? Ipse propter suam ergà nos charitatem omnia cum voluptate sustinuit : et ex ipso paterno sinu exiliens, ut ità dicam, servi formam assumere voluit, per humana omnia transire, et ferre à Judæis contumelias et opprobria, deniquè et crucem, ac mortem ignominiosissimam, ut nos qui humi trahebamur, et infinitis peccatorum sarcinis oppressi eramus, nostrâ in se fide liberos faceret. Hæc enim omnia mente recogitans beatus Paulus, fervidus Christi amator, et quasi alatus universum orbem peragrans, qui in corpore quæ incorporeorum propria sunt, facere studebat, clamabat dicens : *Charitas enìm Christi detinet nos*[2]. Vide probitatem, vide virtutis excellentiam, vide ferventem amorem : *Charitas Christi detinet nos;* hoc est, compellit, cogit, concitat. Deindè volens interpretari quod à se dictum erat, inquit : *Judicantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est, ut et*

[1] Matth. XXV, 34. — [2] 2 Cor. V, 24.

viventes posthàc non sibi ipsis vivant, sed illi qui pro eis mortuus est et resurrexit[1]. Vidisti quomodò jure dixit : *Detinet nos charitas Christi. Si enim pro nobis*, inquit, *omnibus mortuus est, propter hoc mortuus est, ut nos viventes posthàc non nobis ipsis vivamus, sed ei qui pro nobis mortuus est et resurrexit.* Accipiamus igitur apostolicam admonitionem, et non nobis ipsis vivamus, sed ei qui pro nobis mortuus est et resurrexit. Et quomodò, dicet quispiam, poterimus non nobis ipsis vivere ? Audi beatum virum iterùm dicentem : *Vivo autem, non jàm ego : vivit autem in me Christus*[2]. Vide quomodò super terram ambulans et carne circumdatus, quasi cœlum inhabitans et inter incorporeas virtutes versans afficiatur ? Proindè alibi iterùm dicebat : *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixérunt cum affectionibus et concupiscentiis*[3]. Hoc igitur est non sibi ipsis vivere, sed ei qui pro nobis mortuus est et resurrexit, quandò quasi mortui sumus præsenti vitæ, et nihil eorum, quæ videntur, suscipimus. Nàm idcircò Dominus noster crucifixus est, ut hanc vitam pro illâ commutemus ; imò per hanc, illam nobis negotiemur. Præsens enim vita, si volumus esse sobrii et vigiles, ducit nos ad fruitionem vitæ æternæ ; atque poterimus, si parumper voluerimus vigilare et aperire mentis oculum, quietis illius semper apud nos meminisse ; et ità præsentia præterire ac prætervolare, ad futura autem et semper durantia mentem intendere, sicut Beatus ille nos erudivit, dicens : *Quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me*[4].

» Vide animam igne succensam, vide mentem alatam, vide rationem incensam Dei amore. *Quòd*, inquit, *nunc vivo, in fide vivo.* Non enim, inquit, putetis me facere

[1] 2 Cor. xiv, 15. — [2] Galat. ii, 20. — [3] Id. v, 24. — [4] Id. ii, 20.

aliquid rerum hujus vitæ causâ. Nàm licèt carne circumdatus sim, necessitatibusque naturæ alligatus, in fide tamen vivo, quæ est in Christum, despiciens omnia præsentia, et spe quæ in illum est omnia prætercurrens, intentam in illum mentem habeo. Deniquè ut discas excellentiam amoris ejus, dixit: *In fide vivo Filii Dei, qui me dilexit, et tradidit semetipsum pro me.* Considera quàm insignis grati animi significatio. Quid dicis, ô beate Paule? Paulò antè dicebas: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum;* et nunc dicis: *Qui dilexit me*[1], atque ut proprium appellas commune beneficium? Etiam, inquit. Nàm licèt pro omni humano genere sacrificium ab eo sit oblatum, tamen propter amorem in eum, id quod factum est proprium mihi facio. Ità et prophetis mos est facere et dicere: *Deus, Deus meus*[2], quamvis totius orbis sit Deus. Sed peculiare hoc est amori, ut ex communibus propria faciat. *Filii Dei*, inquit, *qui dilexit me.* Quid dicis? te solum dilexit? Omnem, inquit, hominum naturam dilexit, sed ego ei gratias debeo, quasi me solum dilexisset. *Et tradidit semetipsum pro me.* Quid igitur? pro te solo crucifixus est? annon ipse dicit: *Cùm exaltatus fuero, omnes traham ad me ipsum*[3]? Nonne tu ipse dixisti: *Pro nobis omnibus tradidit semetipsum*? Etiam, inquit; non loquor pugnantia, sed amorem meum ità consolor. Jàm vide iterùm et aliud quod dictis illis nos docet. Cùm enim superiùs dixerit de Patre: *Pro nobis omnibus tradidit illum;* hìc dicit: *Semetipsum tradidit:* et illìc quidem, ut concordiam ostendat, ac parem honorem Patris et Filii, et passionem subindicet, quoniam etiam alio loco dicit: *Factus obediens usquè ad mortem*[4], ubiquè passioni fidem faciens. Hìc autem posuit: *Tradidit*

[1] Rom. VIII, 32. — [2] Psal. XXI, CXVII, CXLII. — [3] Joan. XII, 32. — [4] Philip. II, 8.

semetipsum, ut indicet eum voluntariè passionem suscepisse, et non necessitate, neque vi, sed volentem cupientemque totius humani generis salutem operari, crucem sustinuisse. Qualem igitur vicissim amorem exhibere poterimus, tàm divitem ergà nos charitatem declaranti? Etiamsi animam ipsam impendamus pro ejus legibus, et pro observatione mandatorum, quæ ab ipso sunt data, neque sic ad charitatis modum pertingere poterimus, quam ergà nostrum declaravit genus. Ipse enim Deus cùm esset, pro hominibus hoc subiit, et Dominus pro servis; ac non pro servis simpliciter, sed pro ingratis et perpetuis inimicis. Et ipse prior in indignos, et millies lapsos tantam contulit beneficentiam; nos autem, etiamsi faciamus quæcumque poterimus, nihil magnum faciemus, ut ei, qui nos tantis beneficiis prævenit, aliquid rependamus. Nostra enim, si qua sequuntur, retributio quidem sunt et debitum; illius autem sunt gratia et beneficia, largitionisque magnitudo. Hæc igitur omnia cogitantes, diligamus Christum, sicut Paulus ipsum dilexit, nullamque præsentium rationem habeamus, sed perpetuum ejus amorem in animâ nostrâ firmum et stabilem servemus. Ità enim et omnia, quæ in hâc vitâ sunt, deridebimus, et terram quasi cœlum inhabitabimus, neque ex prosperis rebus remissiores erimus, neque ex adversis contristabimur, sed omnibus præteritis, ad amabilem Dominum nostrum hinc festinabimus, neque dilationem gravatim feremus, sed nunc et nos sicut Beatus ille dicemus: *Quòd nunc vivimus in carne, in fide vivimus Filii Dei, qui dilexit nos, et semetipsum tradidit pro nobis*[1]: ut et præsentem vitam absque mœrore perficiamus, et futuris bonis frui mereamur, gratiâ et misericordiâ Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto sit gloria,

[1] Galat. II, 20.

imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen [1]. »

12° Non satis etiam habet sanctus Doctor, si de spiritualibus magna et mirabilia disserat, sed et consolationes pro terrestribus malis ingerere nonnunquàm allaborat, ut in eâ Peroratione, quâ lacrymas super mortuos effusas, aut sistere omninò, aut saltem minùs amaras efficere satagit :

« Nemo itaquè deinceps lugeat, neque lamentetur, nemo hoc Christi opus calumnietur. Vicit enim ille mortem. Quid ergò frustrà ploras? mors somnus effecta est. Quid lamentaris et luges? Illud enim si gentiles facerent, irridendi essent. Cùm autem fidelis hoc turpiter fecerit, quam habebit excusationem? Quæ venia erit hæc insipienter agentibus post tantùm temporis et claram resurrectionis probationem? Tu verò, ac si studeas hoc peccatum amplificare, præficas nobis gentiles adducis, luctum excitans et fornacem incendens, nec audis Paulum dicentem : *Quæ societas Christi cum Belial? aut quæ portio fidelis cum infideli* [2]? Certè gentiles, qui nihil de resurrectione sciunt, consolandi tamen rationes inveniunt dicentes : « Fortiter feras : neque poteris id quod factum est, infectum reddere, vel lamentis rem mutare. » Tu verò qui sublimioris utiliorisque philosophiæ præcepta audis, non erubescis turpiora quàm ille agens? Neque enim dicimus nos : « Fortiter feras, non possumus enim quod factum est infectum reddere ; » sed, « Fortiter feras, nàm omninò resurget, dormit enim puella, non mortua est : quiescit, nec periit. Illam excipiet resurrectio, vita sempiterna, immortalitas, sors angelica. » Non audis Psalmum dicentem : *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi* [3]. Deus mortem beneficium

[1] S. Chrysost. in cap. XIII, Genes. Homil. XXXIV, n. 5, 6. — [2] 2 Cor. VI, 15. — [3] Psal. CXIV, 7.

vocat, et tu luges? Et quid ampliùs faceres si defuncti inimicus et hostis esses? Si lugendum, diabolo lugendum est. Ille lugeat, ille lamentetur, quia ad majora bona pergimus. Illius nequitiâ digna est hujusmodi lamentatio, secùs tu, qui ad coronam et requiem vocaris. Nàm portus tranquillus mors est. Perpende igitur quot malis plena sit vita præsens, cogita quoties ipsi maledixeris. Nàm in pejus semper res vertuntur, atque à principio non modicam damnationem sortitus es. *In doloribus*, inquit, *paries filios*: et, *In sudore vultûs tui, comedes panem tuum*[1]: et, *In mundo tribulationem habebitis*[2]. At de futuris rebus nihil hujusmodi dicitur, imò contrarium prorsùs: *Effugit dolor, tristitia et gemitus*[3]: et, *Ab Oriente et Occidente venient, et recumbent in sinu Abrahæ, et Isaac et Jacob*[4]: et illîc sponsus spiritualis, lucernæ fulgidæ, translatio in cœlum.

» Cur ergò mortuum deturpas? cur aliis timorem, tremoremque mortis accersis? cur occasionem multis præbes incusandi Deum, utpotè qui magna fecerit mala? Imoverò cur posteà pauperes vocas, et sacerdotes rogas ad precandum? Ut in requiem abeat, inquies, is qui mortuus est, ut propitium habeat judicem. Eâ igitur de causâ ploras et ingemiscis? Ergò tecum ipse pugnas, cùm illi tempestates paras qui ad portum abiit. Et quid faciam, inquies? id natura exigit. Non est naturæ culpa neque rerum seriei; sed nos, qui omnia susdequè vertimus, molles nimiùm sumus, nostram prodimus nobilitatem, et infideles deteriores facimus. Quomodò enim cum alio de immortalitate disseremus? Quâ ratione Gentilem ad illam credendam inducemus, cùm magis quàm ille mortem horreamus et timeamus? Multi certè ex Gentilibus, qui immortalitatem

[1] Gen. III, 16 et 19. — [2] Joan. XVI, 33. — [3] Isaï. XXXV, 10. — [4] Matth. VIII, 11.

non credebant, mortuis filiis, impositâ sibi coronâ, vestem candidam induêrunt, ut præsentem gloriam aucuparentur. Tu verò ne ob futuram quidem gloriam cessas effœminato more lamentari et plangere. Sed hæredem non habes, neque successorem? Quid verò malis, bonorum tuorum hæredem esse, an cœlorum? quid malis, an ut ille tua excipiat bona, quæ brevi relinquenda sunt, an manentia æternaque bona? Illum hæredem non habuisti, sed habuit Deus: non fuit cohæres fratrum suorum, sed fuit Christi. Et cui vestes, inquies, cui ædes, cui servos et agros relinquemus? Ipsi profectò, et sic tutiùs reponnes, quàm si viveret; nihil quippè te impedit. Nàm si barbari unà cum defunctis res ipsorum cremare solent, multò magis te par est ad defunctum mittere ea quæ ad ipsum pertinent, non ut in cinerem reducantur ut illa, sed ut majorem illi gloriam pariant; et si peccator decessit, ut peccata eluantur, si justus, ut illi mercedis ac retributionis argumentum accedat. At videre ipsum desideras? Eamdem igitur quàm ipse vitam transige, et citò illâ sacrâ visione frueris. Illud etiam cogita te, si nos non audieris, in futuro id omninò experturum esse. Verùm nulla tibi merces erit: nàm à temporis diuturnitate, consolatio illa tibi accedet. Si porrò nunc philosophari volueris, duo præcipua lucraberis; te quippè à malis circumstantibus erues, et splendidiore coronâ à Deo donaberis. Eleemosynam enim multasque alias virtutes superat calamitatum tolerantia. Cogita ipsum Dei Filium nostrum esse; ille pro te mortuus est, tu pro te ipso. Dixit autem: *Si impossibile est, transeat à me calix iste*[1]: ac tristitiâ mœroreque affectus mortem non effugit, sed etiam plurimis tortus cruciatibus, mortem subiit non vulgarem, sed omnium turpissimam: et antè mortem flagella, antè flagella verò

[1] Matth. XXVI, 39, et Luc. XXII, 42.

convitia, derisiones, contumelias, te instituens ad omnia fortiter ferenda. Sed post mortem, postquàm corpus deposuerat, illud cum majore gloriâ resumpsit, teque bonâ spe fulsit. Hæc si non fabula sunt, ne plores; hæc si credibilia putas, ne lacrymeris. Si verò fleveris, quomodò poteris Gentilibus persuadere te verè credere?

» At tibi adhùc intolerabilis casus ille videtur? Ergò non lugendus ideò ille est, qui à tot calamitatibus jàm est liber? Ne itaquè ipsi invideas. Nàm tibi ob immaturum ejus obitum mortem optare, lugereque quia non vivit, ut talia multa patiatur, invidi certè est. Noli ergò cogitare ipsum nunquàm domum esse rediturum, sed te brevi ad illum esse migraturum. Ne cogites ipsum non ultrà hùc esse venturum; sed cogita hæc visibilia non ità ut sunt mansura, sed transformanda esse. Nàm cœlum, terra, mare et omnia transmutantur, tuncque omnia cum majore gloriâ accipiet filius tuus. Et siquidem peccator abiit, nequitiæ cursus interceptus fuit; neque enim si mutandum illum fore Deus prævidisset, illum antè pœnitentiam abripuisset. Si verò justus discessit, in tuto bona sua possidet. Undè manifestum est lacrymas tuas non esse lacrymas amoris, sed irrationabilis affectûs. Nàm si defunctum amares, gaudere oporteret et lætari, quòd à præsentibus fluctibus sit ereptus. Quid enim ampliùs, quæso, videre est? quid insolitum et novum? Nonne eadem ipsa quotidiè revolvi videmus? Diem nox excipit, noctem dies, hiemem æstas, æstatem hiems, et nihil ampliùs. Et hæc quidem semper eadem, mala verò semper insolita et nova. Hæc verò volebas illum quotidiè haurire et hìc manere, ægrotare, lugere, timere, tremere, et alia mala pati, alia formidare? Neque enim dicere ausis potuisse illum longum hoc pelagus tranjicientem, mœroribus sollicitudinibusque vacuum esse. Ad hæc perpende te non genuisse immorta-

lem, ac si non jàm mortuus esset, paulò posteà moriturum fuisse. At non satiatus eras illius consuetudine? Sed ibi semper illo frueris. At velles hìc ipsum videre? Et quid vetat? Licet tibi illum videre, si sapias: spes enim futurorum ipso visu clarior est. Tu verò si in regiâ esset, ibique floreret, non quæsisses illum videre: ac cùm ad longè meliorem sortem abierit, propter parvum absentiæ tempus animo deficis? cùm maximè consortem tecum habeas. Sed virum non habes? At consolatorem habes patrem orphanorum et judicem viduarum. Audi Paulum hanc viduitatem beatam prædicantem, ac dicentem: *Quæ autem verè vidua est et solitaria, speravit in Domino*[1]. Etenim hæc probatior erit, quæ majorem exhibuerit patientiam. Noli igitur lugere de eâ re quæ tibi coronam parat, de quâ mercedem postulas. Reddidisti enim depositum, si id quod tibi creditum erat exhibuisti. Ne sis ergò sollicita, si in thesauro inviolabili, quod possidebas deposuisti. Si porrò didiceris quæ sit præsens vita, quæ futura, quòdque hæc sit aranea et umbra, omnia verò quæ in illâ sunt, immota immortaliaque, non alio egebis sermone. Nunc enim filius tuus ab omni mutatione ereptus est. Si autem hìc mansisset, fortè bonus, fortè malus futurus erat. Annon vides quot homines filios suos abdicant, et quot pejores abdicatis coguntur domi retinere? Hæc itaquè in mente versantes philosophemur; ità enim et defuncto grati erimus, et apud homines multis laudibus fruemur, atque à Deo magnam patientiæ mercedem referemus, æternaque bona consequemur; quæ utinàm nos omnes adipiscamur, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen[2]. »

13° Multa vitia persequentem Chrysostomum, multas vir-

[1] 1 Tim. v, 5. — [2] S. Chrys. in Matth. Homil. xxxi, n. 3-5.

tes commendantem vidimus; cùm autem id operis non parvum habeat adjunctum laborem, debiliorque homo efficacibus indigeat auxiliis, quibus adjutus viam sibi ad victoriam sternat, nihil prætermittit sanctus Doctor, ut fidelem animam spiritualibus armis muniat, sacramque inprimis Eucharistiam, fidei, spei et charitatis principium sanctè accipientibus, proponit:

« Si enim regem quis non utcumquè nec perfunctoriè acceperit: quid regem dico? ne vestem quidem regiam quis impuris manibus tetigerit, etiamsi in solitudine sit, etiamsi solus et nemo adsit: atqui nihil aliud est vestis quàm stramen vermium. Si verò tincturam miraris, ipsa quoquè mortui piscis sanguis est; nemo tamen ausus fuerit illam sordidis contrectare manibus. Si autem humanum vestimentum nemo ausus fuerit temerè tangere, quomodò corpus universorum Dei immaculatum et purum, quod cum divinâ illâ naturâ versatum est, per quod sumus et vivimus, per quod portæ mortis fractæ sunt, et fornices cœli aperti sunt, cum tantâ contumeliâ accipiemus? Ne quæso, ne nos ipsos jugulemus per impudentiam; sed cum horrore et puritate omni ad ipsum accedamus, et cùm ipsum videris propositum, tibi ipsi dic: Propter hoc corpus non sum ego ampliùs terra et cinis, non ultrà captivus, sed liber. Ideò cœlos spero et bona illìc reposita me accepturum esse, immortalem vitam, angelorum sortem, cum Christo consuetudinem. Hoc corpus clavis confixum, flagris cæsum, mors non tulit. Hoc corpus sol cùm crucifixum videret, radios avertit. Ideò tunc velum scissum est, petræ ruptæ sunt, et universa terra concutiebatur. Hoc est illud corpus, quod cruentatum fuit, lanceâ perfossum, quod salutares fontes scaturivit orbi, alium sanguinis, alium aquæ. Vis aliundè ejus vim discere, interroga mulierem sanguinis fluxu laboran-

tem, quæ non ipsum, sed ejus vestimentum, imò non totum, sed fimbriam tetigit. Interroga mare quod dorso suo ipsum gestavit : interroga et ipsum diabolum, et dic : Undè habes plagam illam insanabilem? undè fit ut nihil jàm possis? undenàm captus es? A quo detentus fuisti dùm fugeres? Et nihil aliud dicet, quàm corpus crucifixum. Per hoc stimuli ejus confracti sunt, per hoc corpus ejus contritum, per hoc principatus et potestates traductæ sunt : *Spolians enim,* inquit, *principatus et potestates traduxit confidenter, triumphans de illis in semetipso*[1]. Interroga mortem et dic : *Undenàm sublatus est stimulus tuus? undenàm soluta est tua victoria*[2]? undenàm præcisi sunt nervi tui, et puellis infantibusque facta es ridicula, quæ tyrannis et justis omnibus antehàc formidabilis eras? Et huic corpori causam ascribet. Cùm enim crucifigebatur, tunc mortui resurrexêrunt, tunc carcer ille ruptus est et portæ æreæ confractæ sunt, et mortui resurrexêrunt, et janitores inferni omnes obstupefacti sunt. Atqui si fuisset unus ex multis, contrarium accidere oportebat; mortem fuisse potentiorem, sed non fuit : non enim erat unus ex multis; ideò illa soluta fuit. Et sicut ii qui alimentum accipiunt, quod retinere non possint, etiam quæ priùs percepta fuerant propter illud evomunt; ità etiam accidit in morte. Corpus, quod ipsa non poterat conficere, accipiens, illa quoquè rejecit, quæ intùs retinebat : cùm illud intùs haberet, parturiebat et premebatur, donec ipsum evomuit. Ideò ait Apostolus : *Solutis doloribus mortis*[3]. Nulla enim mulier prægnans parturiensque tanto labore premitur, quanto illa corpus habens dominicum, dilacerabatur. Et quod in babylonico dracone accidit, cùm accepto cibo medius diruptus est, hoc et isti evenit. Non enim Christus per os mortis egressus est,

[1] Coloss. II, 15. — [2] Id. XV, 55. — [3] Act. II, 24.

sed ipso medio draconis ventre dirupto et dissecto, sic ex penetralibus prodiit, cum splendore multo, radiosque emittens, non usquè ad hoc cœlum, sed usquè ad ipsum supernum solium : nàm illùc quoquè ipsum adduxit. Hoc corpus dedit nobis et tenendum et comedendum, quod intensæ dilectionis fuit; eos enim quos ardenter amamus, etiam sæpè mordemus. Ideò Job amorem famulorum, qui circà illum erant, ostendens, dicebat illos ipsum vehementer amantes dixisse : *Quis nobis det de carnibus suis ut impleamur*[1] ? Sic et Christus dedit nobis carnes suas ut impleamur, ad majorem nos amicitiam attrahens.

» Accedamus igitur cum fervore ad illum, et cum ardenti charitate, et ne subeamus supplicium. Quantò enim majora beneficia acceperimus, tantò magis puniemur, cùm beneficiis indigni apparebimus. Hoc etiam corpus in præsepi jacens reveriti sunt Magi; et viri impii ac barbari, patriâ domoque relictâ, viam emensi sunt longam, et venientes cum timore et tremore multo ipsum adoravêrunt. Imitemur ergò saltem barbaros, nos cœlorum cives. Illi namquè in præsepe respicientes et in tugurio, et nihil eorum respicientes, quæ tu nunc vides, cum tremore multo accessêrunt. Tu verò non in præsepe respicis, sed in altare; non mulierem tenentem, sed sacerdotem astantem, et Spiritum cum ubertate magnâ in proposita supervolantem. Non simpliciter hoc ipsum corpus vides, ut illi, sed nôsti ipsius et virtutem et dispensationem omnem, et nihil ignoras eorum quæ per ipsum perfectâ sunt, cùm omnia initiatus accuratè didiceris. Excitemus itaquè nos ipsos et horreamus, et multò majorem quàm barbari illi pietatem exhibeamus, ut non temerè et inconsideratè accedentes, ignem in caput nostrum congeramus. Hæc autem dico, non ut ne accedamus; sed ne temerè accedamus. Sicut

[1] Job, XXXI, 31.

enim temerè accedere, periculum est; sic his mysticis cœnis non communicare, fames est et mors. Hæc enim mensa nervi animæ nostræ, mentis vinculum, fiduciæ causa, spes, salus, lux, vita est. Si cum hoc sacrificio, illò abierimus, cum fiduciâ sacra illa vestibula adibimus, quasi quibusdam aureis armis instructi undiquè. Ecquid futura dico? Hìc enim tibi terram cœlum facit hoc mysterium. Aperi ergò cœli portas, et perspice; imò potiùs non cœli, sed cœli cœlorum, et tunc videbis illud quod dictum est. Quod enim illìc omnium pretiosissimum est, hoc tibi in terrâ jacens monstrabo. Sicut enim in regiâ, quod omnium magnificentissimum est, non muri sunt, non tectum aureum, sed regium corpus in solio sedens; sic et in cœlis regium corpus. Sed hoc nunc tibi licet in terrâ videre. Non enim angelos, non archangelos, non cœlos et cœlos cœlorum, sed ipsum tibi horum Dominum ostendo. Vidistine quomodò id quod omnium pretiosissimum est in terrâ respicias? Neque vides tantùm, sed et tangis; nec tangis tantùm, sed etiam comedis, et eo accepto domum reverteris. Absterge igitur animam; præpara mentem ad horum mysteriorum perceptionem. Etenim si regis filius cum ornatu, purpurâ et diademate concreditus tibi esset gestandus, omnia quæ sunt in terrâ abjecisses. Nunc antem non filium regis, sed ipsum Dei Filium unigenitum accipiens, non exhorrescis, dic mihi, et non omnem sæcularium rerum amorem abjicis, neque illo tantùm ornatu gloriaris, sed adhùc in terram respicis, pecunias amas, et auro inhias? Ecquam habiturus es veniam? quam excusationem? Non vides quantùm sæcularem omnem magnificentiam aversetur Dominus? Nonne ideò cùm natus esset in præsepi positus est, et matrem accepit vilis conditionis? Nonne ideò dicebat ei qui ad cauponam respiciebat: *Filius autem hominis non habet ubi caput recli-*

net[1] ? Quid verò discipuli ? Nonne eamdem servabant legem, in pauperum domos diversantes ; alius quidem apud sutorem, alius apud tabernaculorum opificem, et apud purpurariam ? Non enim domûs splendorem, sed animarum virtutes quærebant. Hos itaquè et nos imitemur : pulchritudinem columnarum et marmorum prætercurrentes, superas verò mansiones quærentes ; et omnem fastum humanum calcemus cum pecuniarum cupiditate, altumque sensum assumamus. Si enim sapienter attendamus, neque mundus hic nobis dignus est, nedùm porticus et ambulacra. Quamobrem, rogo, animam nostram ornemus, hanc domum apparemus, quâ etiam acceptâ hìnc migrabimus, ut æterna bona consequamur, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium et honor in omnia sæcula. Amen[2]. »

VIII. Alium quandoquè terminandi orationem modum adhibent sancti Doctores, qui in eo versatur quòd Exoptationes fiant pro iis qui concioni interfuêrunt, juxtà illud S. Gregorii Nazianzeni in Apologiâ quam habuit pro se ipso, cùm episcopatum fugiens secessisset in Pontum, undè, licèt invitus, deniquè redux, sic perorabat :

« Quid longiori oratione nobis opus est ? Habetis nos, ô Pastores et Collegæ : habes nos, ô Grex sancte, ac Christo pastorum principe digne : habes, ô Pater, ad omnia victum, magisque secundùm Christi leges quàm externas, tuæ potestati subjectum. Obedientiam habes ; benedictionem redde. Duc tu quoquè precibus tuis, præi sermone, fulci spiritu : *Benedictio enim firmat domos filiorum*[3]. Atque utinàm firmemur, tàm ego quàm *spiritualis hæc domus*[4] *quam elegi*, quamque mihi *requiem in sæculum sæculi*[5] fieri opto, ab hâc Ecclesiâ ad cœlestem trans-

[1] Matth. VIII, 20. — [2] S. Chrysost. in Epist. I, ad Cor. Homil. XXIV, n. 4, 5. — [3] Eccli. III, 11. — [4] I Petr. II, 5. — [5] Psal. CXXXI, 14.

misso, atque *ad celebrem illam primitivorum frequentiam, qui in cœlis descripti sunt*[1].

» Talis quidem deprecatio nostra est, tàmque æquà et honesta: *Deus autem pacis*[2], *qui fecit utraque unum*[3], nosque nobis invicem reddidit, qui reges *in thronis collocat*[4], *et pauperes à terrâ excitat, atque inopes è stercore erigit*[5]; *qui elegit David servum suum, et de gregibus ovium sustulit*[6], cùm inter filios Jesse *minimus* natu esset[7]; qui ad Evangelii perfectionem *dat verbum evangelizantibus virtute multâ*, ipse *dexteram nostram manum teneat, et voluntate suâ deducat, et cum gloriâ suscipiat*[8]; pastores pascens, et ductores ducens; ut ipsius gregem *scitè pascamus*, non autem *in vasis imperiti pastoris*, quorum alterum in benedictione, alterum in maledictione apud veteres positum erat: ipse det *virtutem et fortitudinem plebi suæ*[9] *et exhibeat sibi*[10] splendidum gregem, et *immaculatum*[11], ac cœlesti aulâ dignum, *in lætantium habitatione, in sanctorum splendore*[12]: *ut in templo ejus omnes dicamus gloriam*[13], grex simul ac pastores, in Christo Jesu Domino nostro, cui omnis gloria in sæcula sæculorum. Amen[14]. »

IX. Sæpiùs deniquè Precibus ad Deum directis orationem claudunt, quod pluribus quidem, sed sancto præsertim Ephræm familiare est, cujus occurrentia quasi temerariò, placet hìc ascribere:

« Tu mihi, Christe salvator, factus es via vitæ, ad Patrem ducens. Sola hæc gaudium in se continet, finisque

[1] Hebr. XII, 22, 23. — [2] Rom. XV, 33. — [3] Ephes. II, 14. — [4] 1 Reg. II, 8. — [5] Psal. CXII, 7. — [6] Id. LXXVII, 70. — [7] 1 Reg. XVII, 14. — [8] Psal. LVII, 12; Id. LXXII, 24, et Zach. XI, 15. — [9] Psal. LXVII, 36. — [10] Ephes. V, 27. — [11] Psal. LXXXVI, 7. — [12] Id. CIX, 3. — [13] Id. XXVIII, 9. — [14] S. Gregor. Theolog. Orat. II, n. 116 et 117.

ejus regnum cœlorum est. Factus es mihi, Domine Jesu, Fili Dei, vita vitæ et illuminatio, hausique per me ipsum ex tuo fonte dona, plenus desiderio. Facta est tua gratia in corde servi tui lux atque lætitia, dulcior in ore famuli tui super mel et favum. Facta est gratia tua in animâ servi tui velut thesaurus, paupertatem ditavit, egestatem et putredinem depulit. Facta est gratia tua servo tuo refugium et virtus, protectio et exaltatio, gloriatio et cibus totius vitæ. Quomodò ergò servus tuus, Domine, magnam charitatis et gratiæ tuæ dulcedinem silere poterit? Indignum os meum aperui; sed quo pacto lingua mea largitorem bonorum pro dignitate laudare et glorificare poterit? aut quomodò rursùs ego peccator excludere audebo gratiæ tuæ fluctus in corde meo pullulantes, ac suavitate multiplicium donorum plenos? Canam gloriam cœlorum Domino, qui famulo suo dona cœlestia per multiformia munera est largitus. Magnificabo gratiam tuam, Christe salvator: in hâc etenim magnificandâ ego ipse magnificabor. Non cessabo, Domine, linguâ meâ gratiam tuam collaudare; non silebit mea cithara modulans cantica spiritualia. Ad te, Salvator, qui gloria es vitæ meæ, desiderio tuî trahor; tua gratia mentem meam ad sequendum te, dulcedine quâdam, trahit. Fiat tibi cor meum terra bona, quæ semen bonum suscipiat, illamque rore vitæ æternæ perfundat gratia tua: eademque gratia, manipulum optimum è terrâ cordis metat compunctionem, adorationem, sanctificationem, cujusmodi semper tibi sunt gratissima. Converte meam animam cum ove illâ inventâ ad ovile paradisi deliciarum: anima mea in illo lumine inveniatur; et sicut ovem illam inventam in humeros tuos sustulisti, ità quoquè indignam hanc meam animam ad te manu tuâ trahe, offerasque utrumque immaculato atque immortali Patri; ut cum omnibus sanctis in deliciis illis paradisi di-

cam : Gloria Patri immortali ! Adoratio ei qui cœlestia dona vili atque abjecto contulit, ut gloriæ drachmam ipse offerat Regi universorum in sæcula. Amen [1]. »

Sic alibi sanctus idem Diaconus :

« Oro te igitur, lux veritatis, Christe, Nate benedicti Patris, figura substantiæ ejus, qui sedes ad dexteram majestatis ejus, incomprehensibilis Fili Dei, impervestigabilis Christe, gloria et gaudium desiderantibus et diligentibus te, exultatio et lætitia expectantibus te, vita mea Christe : salva me peccatorem in regno tuo, lux mea, Domine. Qui laborat operarius, mercedem sui à te laboris expectat : heu ! lingua mea laborat, laudem tuam enarrando, Salvator ; verùm ne mihi retribuas secundùm opus meum, neque secundùm actus meos rependas mihi ; sed salvum me fac per gratiam tuam, et per miserationes tuas miserere meî : quia benedictus es tu, unà cum benedicto Patre tuo, et Spiritu tuo sancto vivificante et paraclito, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen [2]. »

[1] S. Ephræm. Serm. II, de Beatitud. — [2] Id. Serm. II, in secund. Domin. Advent.

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX

TOMI SECUNDI.

PARS II.

DE STATU ARTIS RHETORICÆ APUD SANCTOS PATRES. *pag.* 1

SECTIO I.

DE RITU SACRARUM CONCIONUM APUD SANCTOS PATRES. 2

CAPUT I. *De Iis quibus commissum fuerit concionandi munus.* 3
I. Hoc munus maximè pertinet ad Episcopos. *ibid.*
II. Maximè ad Episcopum ordinarium. *ibid.*
III. Ex ejusdem consensu ad Pontificem externum. 4
IV. Jure ordinario etiam spectat ad Presbyteros. 5
V. Ex concessione transferebatur et ad Diaconos. 6
VI. A publico verbi officio interdicti lapsi et hæretici. 8
VII. Item et laïci. 10
VIII. Laïcis tamen in persecutione et gravibus quibusdam circumstantiis, facta quandoquè publicè disserendi facultas. 11
IX. Mulieribus autem nunquàm; publicè taceant, nec doceant nisi privatim. 12
CAPUT II. *De Necessitate prædicandi Pastoribus animarum impositâ.* 13
I. Episcopis cæterisque animarum curam gerentibus necessariò est impositum concionandi officium. *ibid.*

II. Eâ de re pavet S. Augustinus. *pag.* 14
III. Ut officio satisfaciat Notariorum ope utitur S. Gregorius Magnus. 15
IV. Interpretum opem adhibet S. Chrysostomus. 16
V. Per Epistolas, absentes prædicant veritatem beati antistites. *ibid.*
VI. Sermones scribunt ab aliis pronuntiandos. 17
VII. Sancti Tridentini concilii allegatur auctoritas. 19
VIII. Aliud ejusdem decretum. *ibid.*
IX. Sequitur iterùm aliud. 20
X. Exhortatio ad prædicationem ex Scripturâ. *ibid.*
XI. Optatio ad Deum ut fideles suscitet verbi ministros. *ibid.*

CAPUT III. *De Præparatione ad officium concionandi subeundum adhibitâ.* 21
ART. I. De præparatione remotâ. 23
I. Facere. *ibid.*
II. Orare. 28
III. Legere. 30
1° Lectio profanorum commendatur. 31
2° Instantiùs commendatur lectio Scripturæ sacræ. 36
3° Necnon et sanctorum Patrum. 44
IV. Audire. 46
V. Meditari. 48
ART. II. De præparatione proximâ. 49
I. Scribere vel dictare conciones sancti Doctores solebant. *ibid.*
II. Ità tamen ut pro rerum adjunctis aliquandò ex tempore dicerent. 51

CAPUT IV. *De Tempore concionum opportuno.* 56
ART. I. De legitimis sacrarum concionum diebus. 57
I. Conciones fiebant præcipuè die Dominico. *ibid.*
II. Necnon et Festivis diebus. 58
III. Et in Profestis. 61
IV. Imò et aliquandò diebus singulis. 62
V. Maximè verò in Quadragesimâ et Paschali hebdomadâ. 64
VI. In episcopatûs Natali et anniversario die. 65

VII. Quin et sæpiùs plures in uno die prædicabant. *pag.* 66
VIII. Aut idem in eodem die pluries. 68
ART. II. De consuetâ concionum horâ. 69
I. Conciones sæpiùs factæ matutino tempore. *ibid.*
II. Inter missarum solemnia. *ibid.*
III. Item et tempore pomeridiano. 71
ART. III. De prolixitate sacrarum concionum. 73
I. Determinatum in concionando tempus. 74
II. In unius fermè horæ curriculo coactum. 75
CAPUT V. *De Loco habendis concionibus destinato.* 76
I. Primis temporibus ubiquè habebantur conciones. *ibid.*
II. Proprius autem concionum locus Ecclesia. 77
III. Ex edito loco loquebatur orator. 78
IV. Hujus editi loci nomina varia. 81
V. Locus ille sæpiùs inter chori cancellos habebatur. 82
VI. Ex ambone lectorum aliquandò propter turbam concionandi necessitas. 85
CAPUT VI. *De Methodo in concionibus adhibitâ.* 86
ART. I. De variis apud antiquos orationum generibus. *ibid.*
I. Catecheses. 86
II. Homiliæ. 93
III. Sermones seu Conciones. 110
IV. Panegyrici. 133
V. Invectivæ. 193
ART. II. De variis orationum partibus. 205
§. I. De Exordio. *ibid.*
I. Exordia desumpta ex rei visceribus. 207
II. Ex temporum circumstantiis. 208
III. Ex circumstantiis locorum. 209
IV. Ex circumstantiis rerum. *ibid.*
1° Ex magno recentique eventu. 210
2° Ex iis quæ præcedenti oratione fuerunt explanata. 211
3° Ex ipsâmet recitatâ evangelicâ lectione. *ibid.*
V. Ex circumstantiis personarum. 212
1° Ex personâ Dicentis. *ibid.*
2° Ex personâ Præsidentis. 217
3° Ex personâ Audientium. 220
4° Ex personâ Adversariorum. 221

VI. Exordia per interpellationem Dei et creaturarum. 222
§. II. De Propositione et Divisione. 224
§. III. De Narratione. 226
I. Narratio simplex. 227
1° Narratio factorum sacræ Scripturæ. 228
2° Narratio factorum ecclesiasticorum. 229
3° Narratio factorum supernaturalium. 239
4° Narratio factorum profanorum. 249
II. Narratio allegorica. 251
III. Narratio parabolica. 262
§. IV. De Argumentatione. 266
I. Convictio. *ibid.*
1° Argumenta desumpta ex sacrâ Scripturâ. *ibid.*
2° Ex placitis præcedentium Doctorum. 275
3° Ex Conciliorum decretis. 277
4° Ex Ratione. 280
II. Persuasio. 283
1° Ornamenta. *ibid.*
2° Affectus. 286
III. Figuræ. 292
1° Inductio. *ibid.*
2° Syllogismus. 293
3° Disjunctio. 294
4° Ironia. *ibid.*
5° Sorites. *ibid.*
6° Interrogatio. 295
7° Subjectio. 297
8° Sententiæ. *ibid.*
9° Epiphonemata. 298
10° Prolepsis. 300
11° Descriptiones. 303
12° Antitheses. 323
13° Repetitio. 327
14° Communicatio. 328
15° Correctiones. 330
16° Argumenta ad hominem. 331
17° Similitudines. 332
18° Exclamatio. 335
19° Obsecratio. 337

20° Hyperbole. *pag.* 338
21° Concessio. 339
22° Exhortatio. *ibid.*
23° Prætermissio. 340
24° Præcisio. 343
25° Dubitatio. *ibid.*
26° Congeries. 344
27° Suspensio. 350
28° Optatio. 351
29° Maledictiones. 353
30° Preces et invocationes. 355
31° Enumeratio. 357
32° Prosopopœa. 362
33° Sermocinatio. 366
34° Parallela. 369

§. v. De Refutatione. 388

§. vi. De Peroratione. 426

I. Peroratio ex opportunitate Temporis. 436
II. Ex Præsidentis personâ. 437
III. Ex personâ de cujus fit encomium. 441
IV. Per Mortuorum interpellationem. 443
V. Per Laïcorum allocutionem. 448
VI. Per allocutionem Vivorum simul et Mortuorum. 452
VII. Circà ipsum Argumentum. 458
1° De Pœnitentiâ. *ibid.*
2° Contrà Avaritiam. 461
3° Contrà Jurandi consuetudinem. 466
4° Contrà falsam peccati Voluptatem. 473
5° Contrà familiarum Dissentiones. 476
6° Contrà Invidiam. 480
7° Contrà Baptismi Dilationem. 484
8° Contrà Spectacula. 487
9° Contrà peccatorum Objectiones. 493
10° De Eleemosynâ. 496
11° De Amore Dei. 507
12° De Consolatione super mortuos. 512

13° De suscipiendâ Eucharistiâ. 517
VIII. Peroratio per Exoptationes. 521
IX. Peroratio per Preces ad Deum. 522

EXPLICIT INDEX.

3 2044 069 681 880